MALA E BONIS ECCLESIAE MALÈ, SIUE CAPTATIS, SIUE DISPENSATIS LUCUBRATIO R.P...

Theophile Raynaud

MALA
E BONIS ECCLESIÆ
MALE, SIVE CAPTATIS,
Siue Diſpenſatis.
LVCVBRATIO

R. P. THEOPHILI RAYNAVDI
ex Societate IESV.

Qua cum quælibet Eccleſiaſticorum bonorum rapinæ, ſubductiones, & imminutiones illegitimæ exagitantur, tùm nominatim quæcunque ex beneficiis malè vel partis, vel diſpenſatis locupletationes, perſonis ac familiis ominoſæ, & exitiales demonſtrantur.

LVGDVNI,
Sumptibus CLAVDII PROST, in vico Mercatorio,
ſub Signo Veritatis.

M. DC. LIV.
Cum Priuilegio Regis, & Approbatione.

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO

D.D. IOANNI VINCENTIO De Tullia, Episcopo Vaurensi, Regi ab intimis consiliis &c.

O*PVS de malis è bonis Ecclesiæ, haud incuriosis à me lucubrationibus elaboratum* ANTISTES ILLVSTRISSME, *non priùs volui in communem hominum venire conspectum, quàm sub tui se clientela nominis, commisisset. Tenuitati quippè & obscuritati eius, consultum volui, ab amplitudine tua granditatem, à gloria lucem eidem concilians. Non possum tenue quippiam fœtui huic meo tibi concredito sperare ab homine cuius se in pectore sapientia velut in diuersorio lucidæ domus inclusit, (vt depactum Auito ab Eonodin elogium huc transferam,) cuius probata mihi in scholis quindam Theologicis ingenio vis planè eximia; cuius dicendi è sacro suggesto rara facultas, veluti aureis Gallicani Herculis catenis, frequentem concionem semper illigauit, quem dexteritas & in arduis quibusque negotiis gerendis felicitas mirè omnibus probauit, qui acceptissimus Christianissimo Regi, Sarmatis ex nobilissima legatione venerabilissimus, in vtroque regno insignia sapientiæ ac peritiæ rerum agendarum specimina edidit. Neminem latet in vtraque illa aula, quàm splendidè sapientiæ tuæ ac virtutum fulgor micuerit. Quis à te vel prudentior, vel doctior, vel religiosior non discessit? De Politicis argutè, de litera-*

rum ſtudiis ſubtiliter ſimul & amoenè, de religione, ſuauiter ac illuminate diſſerens, raro in verbis nitore, in ſententiis candore, mira vbique luce, quæ nec blandiatur delicioſius, nec perſtringat horridius, cumulante hæc omnia Sanctitate modeſtiáque dicentis, lucente in oculis, eminente in fronte, arridente in ore, toto denique corporis & oris habitu gratioſè ſpectabili, confluentes & audientes mulſiſti.

NEQVE verò eſt cur ad tam eximia decora pauidus auertar, cui pridem facilitas & humanitas tua ſingularis eſt perſpectiſſima. Prædicat etiamnum Arauſio, faciliores ad te aditus, mélque orationis tuæ, & morum ſuauitatem. Hæreſis ipſa tot illhic ad terrorem circumuallata propugnaculis, per tot ora bombardarum, pauorem longè latéque tranſmittens, humanitatis tuæ fruendæ cauſa frequens ac fidens ad te erepebat; libertatem tot machinis propugnatam, allocutionis ſuauitate feliciter expugnabas, haud exiguo diuinæ gloriæ prouentu per multiplices erronum ad viam regiam reuocationes, & ſalubrem Chriſti hoſtium deditionem ad arma tua potentia Deo. Has illhic te colono fruges animorum lectas & vberes, hos de impietate triumphos, recolunt inibi grati ac læti, pij Catholici, nunquam apud ſe obſoleturam Tullianæ gentis memoriam profitentes, & ſacras dictiones, eloquentia verè Tulliana, ſed tua, atque adeò ſacra & Chriſtiana, de ſapientis ſententia, velut ſtimulos & quaſi clauos in altum defixos, imo in pectore retinentes. Onero modeſtiam tuam PRÆSVL AMPLISSIME, quæ tamen adeò nunquam ſecundis vllis intumuit acclamationibus, vt nec vlla grauiſſimorum munerum varietate, dignitatum amplificatione, continuam laudem moderationis infregerit, ſed Dei quantum fas fuit æmulatione, ſemper IDEM IPSE perſtiteris; & cum vbique tibi, ſiue intra noſtros fines, ſiue apud exteros, admirationem integritas, autoritatem prudentia, doctrina gloriam, gratiam eloquentia compararit; non magis tamen eximiis illis ornamentis & rerum geſtarum tametſi

præluſtri-

præluſtri gloria quàm moderatione animi celebraris.

HI ME publici commodi illices, ad meditationes haſce meas tibi inſcribendas, grata violentia attraxere. Sed acceſſit ſingularis tua erga me humanitas plurimis teſtata argumentis, non modò cum ſcholas meas Theologicas auditor frequentares, ſed etiam poſtquàm è puluere illo in ſolem publicæ rei gerendæ eductus, fauorem omnium ordinum collegiſti. Et quanquam nec facultatis nec tenuitatis eſt meæ, reddere gratiam; mirabilem tamen in modum cupio, vt intelligas, quàm non apud ingratum, quàm apud memorem beneficia collocaris. Hoc igitur qualecunque eſt, delatum velut ad aram benignitatis tuæ donarium, eadem qua omnes complecteris, humanitate abs te recipi, in ſempiternum obſeruantiæ pignus poſtulo.

ILLVSTRISSIMÆ AMPLITVDINI TVÆ.

Addictiſſimus.

THEOPHILVS RAYNAVDVS.

NOS infra signati Doctores in Theologia, facultatis Parisiensis, fidem facimus, Legisse & examinasse Librum, cui titulus est, mala bonorum Ecclesiæ; compositum à *R.P. Theophilo Raynaudo* Sacerdote è Societate IESV, in quo cum nihil fidei orthodoxæ, nec bonis moribus repugnans legerimus, animo lubenti in vtilitatem omnium, aprobauimus. In quorum testimonium syngrapham nostram die 7. Augusti anni Domini 1652 Lugduni apposuimus.

F. STEPHANVS MOLIN, Carmelita.

F. M. MICARD, Minor.

ATtento prædicto testimonio, nos opus cui titulus est mala bonorum Ecclesiæ à doctissimo *P. Theophilo Raynaudo*, compositum in lucem prodire non vetuimus. Lugduni die 8. August. 1652.

DEVILLE Vicar. Generalis.

VEu l'Approbation des Docteurs; ie n'empesche pour le Roy, que le Liure mentionné en icelle, soit mis en lumiere par ledit Claude Prost, Marchand Libraire de cette Ville, auec les deffences en tel cas requises & accoustumées. Fait à Lyon le 10. Aoust 1652.

LORIN.

SOit fait suiuant les conclusions du Procureur du Roy, ce 9. Aoust 1652.

SEVE.

Florentius de Montmorency, Vicarius Generalis Societatis IESV.

CVM opus, cui titulus est; *Mala bonorum Ecclesiæ*, à P. Theophilo Raynaudo nostræ Societatis sacerdote compositum, tres eiusdem Societatis Theologi, quibus id commisimus, recognouerint, & in lucem edi posse probauerint, facultatem concedimus, vt typis mandetur, si iis, ad quos pertinet, ita videbitur. Romæ 27. Iulij 1649.

Florentius de Montmorenci.

Facultas R. P. Prouincialis in Prouincia Lugdunensi.

EGo Paulus de Barry Societatis IESV in Prouincia Lugdunensi Præpositus Prouincialis, iuxta priuilegium eidem societati à Regibus Christianissimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. 14. Februarij 1611. concessum, quo Bibliopolis hominibus prohibetur ne libros ab omnibus nostræ societatis compositos absque superiorum eius permissione imprimant, permitto Claudio Prost Lugdunensi Bibliopolæ, vt opus quod inscribitur Mala bonorum Ecclesiæ, à P. Theophilo Raynaudo nostræ societatis sacerdote compositum, ad sex proximos annos imprimere ac libere diuendere possit. Datum Lugduni 3. Octobris 1652.

PAVLVS DE BARRY.

CONS

CONSPECTVS OPERIS

OCCASIO ET SCOPVS SCRIPTIONIS.

OCCASIO
ET
SCOPVS
SCRIPTIONIS.

Inter plerasque peruersitates, quibus Dei Ecclesia in his seculorum finibus deterrinè afficitur, haud scio, an tetrior vlla atque frequentior possit occurrere, quàm peruersa bonorum Ecclesiasticorum captatio, eorumdémque licitè & absque labe comparatorum abusio.

TVRPITVDO QVOTIDIANA, IN CAPTAtione Ecclesiasticorum beneficiorum.

1. FOEDA bonorum Ecclesiasticorum captatio, quotidiana est. [Nunc quidem (ait de æuo suo. S. Bern. ser. 6. in Psal 90.) Pax à paganis, pax ab hæreticis: Sed non est pax à falsis filiis. Multiplicasti gentem Domine IESV, sed non magnificasti lætitiam: quoniam multi sunt vocati, pauci verò electi. Omnes Chrstiani, & omnes ferè quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi. Ipsa quoque Ecclesiasticæ dignitatis officia, in turpem quæstum, & tenebrarum negotium transiere: nec in his salus animarum, sed luxus quæritur diuitiarum. Propter hoc tondentur, propter hoc frequentant Ecclesias, missas celebrant, psalmos decantant. Pro Episcopatibus, & Archidiaconatibus, Abbatiis, alijsque dignitatibus, impudenter hodiè decertatur, vt Ecclesiarum reditus in superfluitatis & vanitatis vsu dissipentur.] Idem nunc quoque valet.

Vix dies abit, quin pulsemur consultorum percunctationibus; ecquæ sit ratio, vel lucrum ex beneficij dimissione faciendi, vel quæ possit via suppetere adipiscendi numerata pecunia sacerdotium, quod qui possidet velit dimittere, sed non absque mercede & pretio. Diceres, agi de vineæ aut agri emptione ac venditione: haud enim secus ineuntur pacta & pretium statuitur appenditúrque, quàm si prædium è bonis paternæ hæreditatis annumerata iusta solutione distraheretur. Huic mercimonio quisque pro seipso, patres in filiorum gratiam, fratres pro fratribus, assiduam & diligentem nauant operam: plerique apertè & palàm; nonnulli quibus aliquid adhuc prisci candoris est reliquum, ita remordentis conscientiæ lancinationes lenire tentant, adito quopiam vel Theologo, vel sacrorum Canonum perito, vt tamen omnino cupiant, escam captatam nequaquam excidere: efflagitent verò vt per Theologiam accommodatitiam, cuius est hoc tempore ad omnes mangonias vsus creberrimus, sub ministretur ratio & modus perueniendi citra Dei offensam, (saltem in speciem) quò cupiditas anhelat. Quod si contingat consultum non loqui placentia, nec ijs accenseri velle quorum Deus ossa dissipabit, alij & alij adeuntur, tótque sutelis, artibus, fraudibus, pudendísque mendaciis impia negotiatio obuoluitur, tanta sollicitudine ac nauitate res vrgetur, vt tandem honestè peccandi, si fas est dicere, potestas fiat.

2. Dicam quod recèns expertus sum, nec sine stupore & fastidio. Nuper hic è forensium accipitrum infimo ordine quidam, homo laicus & coniugio illigatus, cum à Prælato cuius tractabat negotia, potestas facta esset, vt in locum filij qui abiecta secularis cleri militia in Cœnobium se receperat, aliquem sufficeret, cui minuta quædam beneficia queis filius potiebatur, & immunitas ab onere residendi filio ab eodem Prælato ex Apostolico priuilegio tributa conferri possent; causatus hoc suum esse salarium, id sibi à Prælato non vt beneuolentiæ pignus, sed in diuturni obsequij compensationem ac solutionem esse constitutum; decies eoque ampliùs, præbendam quamlibet, nec ferè rariùs, residendi immunitatem, iusto, imo iniusto & detestabili pretio distrahendam, auctionatus est plurimò licitanti addicturus: & quoties violandi numinis metum in ea nundinatione obtendi vidit, consultos ab se Theologos in ea causa, (& certos designauit graues planè & omni exceptione maiores,) negotiationémque huiusmodi, ab eis sceleris puram pronunciatam, effrontissimè peierauit: víxque impacta tertiùm & quartùm mentitione, per eos qui sibi tale responsi monstrum affingi dolebant, retardatus est ab impostura; nequitiæ autem fœdi commercij pertinacissimè inhæsit, donec post numeratam specie gratitudinis non modicam pecuniæ summam, cum vno aliquo rem confecit. Quod hic sacrorum bonorum nundinator, circa ea quæ dixi obiecta; passim alij circa similia, lucri odorem è re qualibet bonum ducentes, indefesso studio ac cupidissimè præstant; Quódque magis mirere, eò processit malignitas, vt plerique, ne religione quidem turpis mercimonij tangantur; nec secus de bonis istis agi posse existiment, quàm de merè profanis. Idque frequenti vsu deprehensum est, ijs præsertim solemne esse, qui anteriores militiæ labores, Principum secularium interuentu, hac remuneratione, circa prolem ab

Ecclesi

Ecclesiastico gradu cui eam addixerant resilientem, compensatos possunt obtendere.

Hereditaria Sanctuarij possessio.

3. PAulò infrequentior, sed tamen non paucis è nobilium ordine haud ignota est ea aditio Ecclesiasticorum bonorum de quibus agimus, quæ veriùs inuolatio & prædatio aperta dici debeat, qua nixi Principum fauore, illatum semel in familiam sacerdotium, non secus ac si hæreditate possiderent Sanctuarium Dei, perpetuari in ea volunt, etiamsi absque titulo legitimo, cuiusmodi est ille duntaxat qui per collationem Ecclesiasticam obtingit. Sunt quibus in eo euentu, obducenda colore aliquo videatur nequitia. Quod enim æmulum fortassis aliquem extimescant, nec sibi satis in nuda autoritate sua & potentia, præsidij esse arbitrentur, ad retinendam partam à maioribus de Ecclesia prædam, si desit qui beneficiarij titulum præferat; vel etiam ne apud vulgus audiant quod sunt, raptores inquam & vsurpatores sacrorum bonorum quæ nullo idoneo titulo suppetente, legitimo autem titulo si quis fuit antiquato, piget dimittere, interim dum minor natu puer adolescit, & per ætatem capax euadit beneficij, vel dum expectatur concipiendus aut edendus in lucem, clitellarium quempiam Clericum conquirunt, cui sarcinam inijciant, qua stato tempore ex pacto clanculario liberandus sit; interea qualicunque prouentuum portione ad societatis in scelere compensationem attributa, minimè tamen creditis ijs diplomatibus Pontificiis, quæ aditi titulo legitimo sacerdotij fidem facere, & iugi excutiendi securitatem fiduciario Clerico præstare possint. Id enim asininæ imprudentiæ, & socordiæ, rebus domesticis splendorique familiæ malè prospicientis, esse censeretur. Hæc in Ecclesiastica bona grassatio, tam frequens est, quàm tetra, omnique auersatione damnanda.

Ardor in multiplicandis Ecclesiasticis beneficiis.

4. NEc illa agendi ratio labe vacat, aut infrequens est, qua plerique nunquam bonorum Ecclesiasticorum & sacerdotiorum saturi, quantumuis ad honestè exigendam vitam ab ijs constituti & instructi; ad aggregandum circa se densum lutum, semper aspirant. Est hæc cupiditatis fera, in sacris hominibus non minùs rabida, atque etiam tetrior, quàm in laicis, iudice. S. Bernardo serm. ad Pastores in. Synodo [sicut populus (inquit) sic & sacerdos: sicut laicus, sic & Clericus. Vterque cupit, vterque diligit mundum, & ea quæ in mundo sunt. Laicus tamen cum labore; sed Clerici sine labore volunt possidere totum mundum. Communicare volunt cupiditati & superfluitati hominum, sed non labori. Peccare volunt, sed non flagellari cum hominibus. Vnde timendum est, quod flagellentur cum dæmonibus.]

Mirum dictu. In personis Deo addictis, cupiditas bonorum temporalium est plerumque truculentior. Quod enim circa Nonnas obseruatum est à D. Augustino lib. de bono viduitatis cap. 21. æquè circa omnes sacras & continenti æ voto illigatas personas locum habet. Nimirum naturam corruptam, si

contingat intercludi ei vnum aliquem exitum quo eius vitium erumpat, vberiùs ac pleniùs effluere per aliud fortè patens ostium. Sicut videmus inter corporis sensus, vno oblæso alterum vegetiorem reddi. Nam qui cæcus est, audit acutiùs. Et qui surdus est, videt perspicaciùs, velut compensante natura alterius sensus defectum, aut tarditatem, omnésque vires quæ in plura organa corriuatæ, tenuiores pro vnoquoque fuissent, deriuante abundantiùs pleniúsque ad illud vnum quod manet expeditum. Non dissimiliter iuxta B. Augustinum, cum cupiditas corporum, & ignis ille inflammatus à gehenna, qui nobis à rota natiuitatis consertus est, iniectis continentiæ velut aquis restinguitur; multo acriùs efferuescit cupiditas temporalium fluxorúmque bonorum, quod Sanctimoniales meritò monebat D. Augustinus. Sed (vt vides) ea ratio circa omnes sacras personas æquè militat. Accedítque certum experimentum in benè multis è Clero, qui cum deberent ignescere cœlestibus duntaxat flammis, quod notabat indictum pro eis solùm holocaustum (vt Philippus Abbas l. de Continentia Cleric. c. 88. optimè obseruauit) flagrant tamen ardentissimis desideriis cumulandi beneficia, & sacrum censum in molem immensam amplificandi. Quæ planè est delira illa fatuitas, quam sapiens Ecclesiastis 4. vanitatis & afflictionis pessimæ damnat, in eo qui *vnus est, & secundum non habet, & tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi eius diuitiis, nec recogitat dicens, cui laboro?* De huius morbi popularitate & grauitate quod notissima sit, habemus communem assensum.

5. Hæ sunt rationes, quibus in bonorum Ecclesiasticorum comparatione immane quantum hodiè peccatur: vt liceat profectò quas querelas Isidor. Pelus. l. 1. Epist. 250. de suo æuo emisit, de nostro item fundere. [Ingratus noster atque improbus animus, omnia Dei beneficia, indignè suscepit. Spiritum sanctum accepimus; ac turpibus actionibus, ipsum propulimus. Miraculorum donum consecuti sumus; ac perfidia nostra & incredulitate illud rejecimus. Doctrinam ac sapientiam, is qui eiusmodi munerum autor est nobis inspirauit, ac per impietates & sacrilegas doctrinas eas submouimus. Cœleste sacerdotium, fidei nostræ commissum est: ac per lubricum & periculosum iudicium, illud corrupimus. Ille per vim Episcopatum accepit; & genere suo rerum statum onerat. Ille dispensatorem agit, & famulorum gregibus altare obturbat. Hic ad illius familiaritatem se adiunxit, & pauperum bona interuertit. Ille huic fauet; & spadones atque effœminatos, abiecta mancipia in templum infert. Papæ! quot maculis diuinum sacrarium contaminatur.]

Pauci planè quod de S. Athanasio ait Naz. orat. 21. n. 7. Apostolico & spirituali modo beneficia adeunt: [sed modo qui postea inoleuit.] Vbi de veris antiquorum successoribus luculenter. De proximiore ætate Sarisber. l. 7. Polycr. c. 17. non minùs tragica narrat his præter cætera. [Ecclesia data est in direptionem, aliis palam, aliis clam occupantibus eam. Nam & ipsa occupanti conceditur, eo fortè quod in nullius bonis est. Non est enim inuentus, nisi perrarus, qui accingatur gladio super femur suum, ad præsumptionem ambitionis reprimendam. Illa namque machinas multiplices erigit, vt eam expugnet nemine defendente. Alius enim de nobilitate confisus, aut viribus potestatum,

violenter

violenter in Sancta irruit, & si fortè pulsat ad ostium, parietem aut limina suffodere non veretur. Nam & seditionem concitabit in Moysem, & alienum ignem in templum inferet, & vasa Sanctuarij contaminabit. Alius sperans in multitudine diuitiarum, Simone ducente ingreditur, non inueniens ibi, qui eum & pecuniam suam iubeat ire in perditionem. Alius in muneribus ad Petrum reformidat accedere, clanculo tamen per impluuium auri, ac si per tegulas Iupiter elabatur in gremium Danaes, sic in sinum Ecclesiæ procus descendit incestus. Alius obsequio quasi muneris ignarus, adest: ac si obsequia non cedant in muneris rationem. Profectò nullum maius est munus, quàm cum homo seipsum hominis deuouet seruituti. Alium allisione quadam vocantis liberalitas præuenit; sed postmodum collatam gratiam suo Giezi pleniùs compensabit.] Addit alia de similibus iniquitatibus quæ vtinam ætatem quoque nostram non contaminarent.

Ecclesiastici census legitimè parti, vsus peruersus.

6. IAm expensio illicita eorumdem quantumuis legitimè comparatorum Ecclesiasticorum bonorum, quanta labe sordeat, & nihilominus quàm quotidiana & diffusa sit, nemo pro dignitate explicet. Labor sanctorum, imo ipsiusmet Christi sanguis (hoc enim nomine apud Patres & Doctores Chistianos meritò veniunt hæ facultates) in vanos & superfluos; interdum (proh dolor!) in abominandos & homine, nedum Christiano ac Clerico planè indignos vsus expenduntur; vt innoxium propè videri possit in mensæ lautitias, vestium splendorem, famulorum copiam, canum venaticorum greges, equorum immensam vim, sacros prouentus prodigere præ nefaria eorumdem profanatione in lænas aut lupas. Nam ille, multorum sacerdotiis ditatorum, tam creber quàm antiquus mos, omnia in nepotes & cognatorum euectionem conferendi, etiam iis sordidissimè sibi subductis quæ ad personæ decus pertinerent, quod charitatem potiùs & pietatem præferat, non iam inter næuos à multis recensetur; sed in laude ponitur: & est tamen is vsus admodùm damnosus si spectemus consequentem inde diuini cultus neglectum; his sanguisugis omnem censum sacrum exsugentibus, & miserum beneficiarium iugi cura exedentibus, supra quàm liberi Patres eis thesaurizare obstrictos grauant. Vt possit profectò, quod S. Franciscum de quibusdam suorum erga Clarissas nimiùm affectis dicere solitum ferunt, ad istos transferri. *Timeo Fratres, ne Deus abstulerit nobis vxores, & diabolus dederit nobis sorores.* Nec enim secus dici posse videtur, timendum esse, ne Deus sacris hominibus filios ademerit, indicta continentiæ lege; Diabolus autem ad auaritiæ ignitabulum, nepotes pro filiis subrogauerit. Et ita habet vetus Distichum apud Ludolphum de vita Christi par. 1. cap. 68.

Cum factor rerum priuarit semine Clerum,
Ad Satanæ votum, successit turba nepotum.

Tacta hactenus est nequitia in comparatione bonorum Ecclesiasticorum, titulo beneficij; vel in eorumdem bonorum fructibus malè expendendis.

Varia sacrilegia in opes sacras.

7. IN hæc ipsa Ecclesiastica bona nomine beneficiorum Ecclesiasticorum insignita, alia ratione inuolatur adhibito latrocinij genere, quod illis, æquè ac mobilibus (vt vocant, sacris rebus, puta vasis aut vestibus diuino cultui addictis commune est. Non pauci enim vt rem domesticam compendio augeant, si fortè auctoritates & tabulas, quibus Ecclesiasticus ordo prædium aliquod vel quodcunque immobile bonum sibi vendicat nanciscantur, in flammarum pabulum dedunt lacerántue, vt bonum illud in vnam massam cum cæteris profanis facultatibus conflatum, adiungant hæreditati; nec iam titulo beneficij Ecclesiastici vero aut ementito, per se aut suos possideant, sed ciuili titulo, subductum Ecclesiæ habeant sibi, transmittendum ad posteros vel hæredes, non secus ac quæ iure ciuili obuenerint, aut proprio marte fuerint comparata. Quæ nefaria & prorsus impia rei familiaris augendæ ratio, eiusdem nequitiæ & malignitatis labe sordet, qua inuasio vasorum sacrorum aut vestium diuinis ministeriis addictarum, per sacrilegum prædonem; vasa conflaturum, vestes verò mutata forma ad communem & profanum vsum sceleratè versurum; nisi quod, sacrilegium rei immobilis, ob frugiferam eius conditionem, tetrius intra eandem sceleris speciem est, quàm quod admittitur direptione & expilatione mobilium; quod sceleris fastigium olim solis Hæreticis templa expilantibus frequentatum, nunc iure belli (vt putant) ad Catholicos si quando infesti in hostium eiusdem Catholicæ Religionis oras irruunt, permanauit. Nihil à me affingi vident, qui his diebus quibus nihil auditur præter prælia & opiniones præliorum, promercalibus Ecclesiarum spoliis hostiliter direptis & asportatis, compleri fora per Catholicos conspicantur. Quid vero mirum homines militiam, veriùs, pro abusu inoliro, vt S. Bernardus aiebat, templi milites alloquens, malitiam profitentes, audire ac præstare talia, circa vasa sacra & vestes, cum etiam sacras lipsanthecas, vt cum Ambrosio dicam, seminibus æternitatis diuites, prædæ esse cum prædæ patent, nimium quantum compertum sit, & quidem nupero scriptori astipulante in Tractatione de reliquiis l. 1. c. 8. art. 3. Sed Bonifacius 9. apud Longinum in Polonica historia ad annum 1039. iniecto anathemate, asportationem reliquiarum iure belli prætexto, sacrilegam pronunciauit, & restitutioni obnoxiam; id quod etiam Petrus Card. de Fuxo Martinj V. legatus, asseruit anno 1425. Quam nullæ autem sint rationes quibus hoc sacrilegij patrocinium nititur, in proximè instauranda Heteroclitorum editione testatum dabo. Hîc satis est, hoc sacrilegium cæteris nunc vigentibus annumerasse. Tandem decimas Ecclesiæ à plerisque subduci, vel apertè negari, frequentissimum est nunc quoque. Numerantur tamen inter Ecclesiastica bona, quod Dei ministri ius ad rem circa eas habeant, earúmque fraudatio & iniusta subductio, graue malum est, bonis Ecclesiasticis malè subductis adiunctum.

Quàm

Quàm iustum aduersùs has omnes nequitiæ phalanges armari, & quo ordine.

8. ADuersùs omnes istas, nequitiæ circa bona Ecclesiastica propagines stylum armare consilium est, vt laborantem infœlicibus hisce germinibus Ecclesiæ agrum, quoad in nobis erit, liberemus, & Sanctis purè aditis ac sanctè tractatis, auertatur furor Domini: quem hac nominatim ex causa infestum imminere, haud vanus est sapientum multorum timor. Est sanè iudice. S. Bernardo, hæc omnium maxima quæ Ecclesiam vnquam infestauerint persecutio, quæ in peruersa bonorum Ecclesiasticorum captatione & dispensatione consistit. Ita enim pronunciat. Serm. 33. in Cant. in fin. & serm. ad Pastores in Synodo. [Meritò (inquit hoc secundo loco) clamat Ecclesia sancta hodie; Ecce in pace, amaritudo mea amarissima. Multa est hodiè & longè grauior, quam credi possit, persecutio sanctæ Ecclesiæ; & talis incumbit, qualis à principio non fuit. Multis modis persecutus est eam Diabolus, sed numquam grauiùs quàm hodiè, quia nunquam fuit maior perditio Christianorum, nec liberior aut securior transgressio diuinorum præceptorum. Ecclesiam incipientem, persecutus est per hæreticos, iam lætam & florentem persequitur per motus illicitos. Tria sunt in anima, ratio, voluntas, sensualitas. Rationis est iudicium, voluntatis desiderium, caro debet obsequium. Carnem ergo cruciauit in martyribus, rationem perturbauit in simplicibus, sed voluntatem hodie deprauat generaliter in omnibus. Fuit ergo amaritudo Ecclesiæ, amara quidem in persecutione Tyrannorum, sed amarior in versutia hæreticorum, sed amarissima hodie per prauitatem desideriorum.] Fusissimè id confirmat Viualdus in opere Regali tract de persecutionibus Ecclesiæ Dei, in nona. Interest igitur Christiana rei calamum stringere in hanc malorum lernam.

9. Pro duplici autem serie Ecclesiasticorum bonorum proximè tacta, bipartitam instituam tractationem. Prior aperiet mala bonorum Ecclesiasticorum alio quàm beneficij titulo malè vsurpatorum, siue mobilium siue immobilium: & siue iure actuali subiectorum Ecclesiæ, siue ei debitorum per ius ad rem. Visum enim est hinc ordiri, vt commodior esset vniuersi operis nexus atque textura. Posterior tractatio, complectetur mala bonorum Ecclesiasticorum sacerdotiis siue beneficiis adiunctorum, tùm quæ ex huiusmodi bonorũ adeptione vitiosa vel accumulatione nimia, tùm quæ ad dispensationem indebitam fructuum ex eis prouenientium consequuntur; non probando diffusè, vel explicando copiosè quid hac in parte vetetur probetúrue; Id enim tametsi prorsus dimittendum in loco non erit, tamen magna ex parte supponetur, indicatis duntaxat fontibus, è quibus affatim haurire, & sitim si quem adurat, restinguere ad satietatem liceat (doctissimorum inquam Recentiorum, qui rem beneficiariam accuratè & diligenter discusserunt, tractationibus: (sed quod rari admodùm hactenus præstiterunt, nemo certè ex instituto, expendendo malitiæ his mangoniis confertæ atrocitatem; libratis in eam rem sacris oraculis, & Patrum Doctorúmque testimoniis, ac etiam rationibus. Quæ mihi opera in dies magis necessaria videtur; spectata ægritudinis contrariæ in dies ingraues-

centis malignitate. Maxima namque pars mortalium auidiſſimè fertur in captationem eſcæ temporalis conſertæ muneri aut iuri ſpirituali, prætetitis quatuordecim illis ſaporibus eiuſdem eſcæ, in quibus aperiendis multus eſt Gulielmus Pariſienſis l. de virtutibus C. 11. quorum recogitatione poſſet obtundi appetentia iuſto concitatior; neque item ſenſu interno perceptis duodecim aliis (vt idem autor appellat) ſaporibus ſpiritualibus palato animæ ritè conſtituto ſapientibus, & totidem titulos grauis obligationis, ea bona, quippè ſancta & Chriſti ſanguine perfuſa, ſanctè expendendi præferentibus, vnde magno ſuo malo, nec exiguo Eccleſiæ detrimento, bona hæc ſacra captant, & prehenſa adminiſtrant. Itaque operæ pretium eſt, improuidos errem dedocere, quod hac tractatione præſtitum venio. Aſpirare piis conatibus Spiritum Sanctum, pro cuius ſponſa purganda ſatago, in hoc veſtibulo apprecor, déque eius bonitate non vanam auxilij ſpem concipio.

LIBER

LIBER PRIMVS

Mala bonorum Ecclesiasticorum, alio quàm beneficij titulo vsurpatorum.

BONA Ecclesiastica, tametsi interdum paulò pressiùs sumpta, restringuntur ad ea bona quæ sustentationi ministrorum sunt addicta: Tamen laxiùs sumpto vocabulo, ea omnia dicuntur, quæ sacra sunt, siue quia ad vsum Ecclesiarum donata sunt, & referuntur aliquo tandem modo peculiari ac proprio ad cultum Dei, siue quia loci sacri tutelæ concredita, eius sanctitudinem participant. Eorum quæ ad vsum Ecclesiarum donata sunt, saltem in radice & in iure ad rem, vt decimas comprehendamus, duo generatim membra secerni possunt. Aliqua enim sunt mobilia, aliqua immobilia. Immobilium nomine censentur corporalia bona fixam radicem habentia, vt prædia, domus; Item bona incorporalia, puta iura fructifera census, seruitutes, & similia iura perpetua, ijs non exclusis quæ *se mouentia* vocantur; quatenus enim fructifera sunt, & per quandam successionem perpetua esse possunt, reuocantur ad immobilia; quantùcunque reclamante vocis cortice, quo attento, ab immobilibus secernuntur: l. *si quis.* C. *de sacros. Eccles.* Quæcumque verò alia bona, censentur nomine nobilium, etiamsi sint bona pretiosa, aut vasa sacra magni pretij; quæ cum in ordine ad cauendam eorum alienationem, comprehendantur sub immobilibus, iuxta Panormitanum cap. *tua*, de his quæ fiunt à Prælatis, &c. tamen reipsa & in se sumpta, sunt bona mobilia, vt constat ex. l. *lex qua mancipia* C. *de administr. tuto.* Hæc bona aliquando titulo beneficij comparantur, siue beneficium iustè ac licitè, siue iniquè, & iniustè obueniat, quod multipliciter potest accidere: & idcirco de malis bonorum eo titulo vsurpatorum, seorsim agendum est. Aliquandò bona prædicta non comparantur titulo beneficij, sed aliquo alio modo; interdum illicito, vt quæ sacrilegè subducuntur, vel per vim auferuntur: interdum verò comparantur modo ex se licito, saltémque honestatis colorem præferente, puta quia præuia facultate legitimi superioris vsurpari videntur. Dicendum de his omnibus eodem ordine.

SECTIO PRIMA.

De sacrilega vsurpatione bonorum Ecclesiasticorum, alio quàm beneficii titulo.

HIs postremis verbis, excluditur simonia in beneficiis. Est enim ea simonia verum sacrilegium, quidquid dicat Caietanus 2.2. q. 99. art. 1. vbi vult, simoniam contradistingui sacrilegio, non secus ac furtum aut rapinam, ab emptione rei alienæ à latrone. Hæc enim est commutatio voluntaria inter latronem & emptorem; furtum verò & rapina sunt commutationes inuoluntariæ inter Dominum & furem siue raptorem. Similiter igitur simoniam quæ agitur inter duos homines, sub ratione emptionis & venditionis consentientes, Caietanus secernit à sacrilegio quod inter hominem volentem & Deum refragantem transigitur; quatenus res sacra, contra Dei veri domini voluntatem profanè tractatur. Hanc tamen doctrinam multipliciter refellunt Less. l. de Iust. cap. 45. num. 8. & Suares. l. de sacril. c. 1. num. 3. Multi enim sunt contractus voluntarij circas res sacras, qui quia profanationem earum continent sunt contra Religionem, & sacrilegio sordent, nec tamen sunt simoniaci: vt venditio indebita rerum Ecclesiæ, matrimonium personæ voto simplici castitatis obstrictæ, aliæque huiusmodi commutationes voluntariæ. Latiùs ergo patet ratio sacrilegij, quàm ratio commutationis inuoluntariæ circa rem sacram, ac proinde quantumuis simonia contingat commutationem voluntariam circa rem sacram, est tamen verum sacrilegium, vt agnoscit Soto l. 9. de Iust. q. 5. art. 1. & 2. & Turrecr. in c. *audiuimus* 1. q. 3. ac ibid. Glossa. Idem habetur in Concilio 2. Turon. cap. 28. Nimirum simonia continet magnam rei sacræ vilipensionem & inhonorationem, proindéque est *sacriladium*, iuxta ridiculam sacrilegij notationem quam approbant Baldus ad l. 3. C. *de furtis*. Azo in summa cod. titulo. Ghirlandus de pœnis coitus q. 1. num. 1. Nider in 6. præc. Decal. c. 2. *litera* F. Hanc tamen sacrilegij speciem hinc remouemus, quia beneficij titulo admittitur. Cum enim quis inuoluat sacrilegè in bona Ecclesiastica beneficij quod clam numerata pecunia est adeptus, prætendit possessioni titulum beneficij, séque beneficiarium nominat. De quo sacrilegio, & malis bonorum per illud captatorum, seorsim dissserimus. Nunc alia sacrilegia circa bona Ecclesiastica excutiamus, dimisso sacrilegio impropriè dicto, quod. S. Basilius. q. 247. breuium, agnoscit in laude bonorum operum Deo subducta. Alia item sacrilegia impropriè dicta, secernit, in isto hærens Concilium Trosleianum c. 4.

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

Generalia de ſacrilegio, communi vſurpationi bonorum Eccleſiaſticorum, tam mobilium, quàm immobilium.

Priuſquam in particulari ad ſacrilegam acceptionem bonorum quorumcunque Eccleſiaſticorum deſcendamus, attingenda generatim ſunt quædam, omnibus circa ea bona ſacrilegiis communia.

Sacrilegæ bonorum ſacrorum acceptiones, ſpecie multiplices, penes varium eorum cum Deo nexum.

1. IN PRIMIS verò illud ſcrutandum occurrit, de quo inter aliquos certatum videtur, ſíntne hæc ſacrilegia vnius ſpeciei infimæ in ratione malitiæ ſacrilegij. Partem quidem affirmantem indubitatam habebunt, qui vniuersè ſacrilegium circa res ſacras putant eſſe ſpeciem infimam in genere moris, quod multi tribuunt Diuo Thomæ 2.2.q.99. art. 3. *in corpore articuli*, vbi trimembrem ſacrilegij diſtinctionem proponens; nempe ſacrilegij circa perſonas, loca, & alias res ſacras, videtur de tribus illis ſacrilegiis loqui, vt de ſpeciebus vltimis in genere ſacrilegij. Et ita diſertè tradit ibi Caietanus dub. 3. Sicut tamen de aliis duobus mēbris perſpicuum videtur, ſacrilegium non eſſe ſpeciem atomam, (quis enim fœdationem Virginis ſacræ, & eiuſdem verberationem, eiuſdem moralis ſpeciei exiſtimet, & non eſſe neceſſe vtramque ſpecialiter exprimere in confeſſione?) Ita manifeſtum videtur, tertium membrum quo rerum ſacrarum violatio continetur, non eſſe vnam moraliter ſpeciem; quod clarè euincunt Suares. lib. de ſacrilegio c. 5. à num. 4. & Leſſius l. 2. de virtut. c. 45. n. 19. Reſtringendo autem ſermonem ad rerum ſacrarum acceptionem de qua ſola agimus, dicendum ſimiliter videtur, eam non eſſe atomam ſpeciem. Nam ſicut calix initiatus, ſacratior eſt quàm triticum vel prædium Eccleſiæ, ita vſurpatio vnius videtur terrior in genere ſacrilegij, quàm acceptio alterius. Eſt enim rei vnius ſacræ cum Deo nexus, multò arctior & maior quàm alterius. Vnde quia penes illum rei cum Deo nexum, & perfuſionem à fontali eius ſanctitate, petitur malitia ſacrilegij; conſentaneum eſt, pro illius nexus varietate variam exiſtere ſacrilegij malitiam.

Qui eum nexum ſtatuunt in ſolius Dei immediato dominio.

2. VT verò nexus ille rei cum Deo & eius multiplicitas, fundans ſpecificam ſacrilegarum acceptionum diuerſitatem dilucidior fiat, tra-

ctandum est vnum rerum sacrarum decus, penes quod aliqui fundarunt immunitatem talium rerum, quam qui violat per iniustam acceptionem, sacrilegus efficitur. Nonnulli ergo senserunt, bona Ecclesiastica id habere peculiare, vt immediatè subsint diuino dominio, non per metaphoram, sed cum omni proprietate, ita vt nullus mortalium siue collectiuè siue distributiuè spectatus, id est nullus singularis homo, vel nulla communitas aut congregatio, habeat plusquàm dispensationem huiusmodi bonorum; dominium verò sit penes solum Deum, vel Christum Dominum. Hanc sententiam, & quoad mobilia & quoad immobilia bona Ecclesiastica, Nauarrus habet pro communi sententia omnium Doctorum Catholicorum; cámque Pontificum & Conciliorum decretis ac rationibus latè confirmat Tract. de reddit. q. 1. monito 16. & 21. ac. 40. Rursúsque q. 3. monito 31. Imo comment. de spoliis §. 9. num. 24. ait id esse ex fide certum. Temperatiùs Suares l. 4. defens. fid. c. 18. num. 8. ait hanc esse opinionem satis piam & probabilem, quæ hac præter cæteras ratione suadeatur. Si aliquis homo esset huiusmodi bonorum Dominus, maximè summus Pontifex, apud quem est suprema potestas dispensandi omnia bona Ecclesiastica vt sæpè dicitur, cum dist. 96. tum 12. q. 2. & in titulis de rebus Eccles. non alien. ac de immunit. Eccles. Atqui Pontificem non habere dominium rerum Ecclesiasticarum, ac ne illarum quidem quæ sunt specialiter Romanæ Ecclesiæ, disertè traditur cap. *non licet* 12. q. 2. ex Concilio Roman[illegible]. sub Symmacho. Nam non nisi ad modum fidelis atque prudentis disp[illegible]atoris tractare potest hæc bona; nequit autem pro arbitrio de eis disponer[illegible] Multò minus igitur cæteri Antistites, vel integræ congregationes, quæ omn[illegible] in bonorum sibi commissorum dispensatione à Pontifice pendent, totum dominium horum bonorum habere censeri poterunt: Sed id dominium, soli Deo ac Christo tribuendum est. Nec putant hi autores, absurdum esse, quod res aliqua temporalis & humana, sit extra humanum mortalium Dominium, quia fideles supra humanam naturam per fidem operando, potuerunt ea velle tradere Deo & Christo, & reipsa tradiderunt; acceptantibus quidem Dei & Christi ministris; dominio autem non in eos, sed in Deum & Christum translato. Hanc sententiam sic expositam cæteris probabiliorem reputat Azor t. 2. l. 6. c. 1. q. 4. *ad finem*, allegans pro ea Glossam c. *Saluator* 1. q. 3. & c. *cum verior* 23. q. 8. ac Innocentium c. *cum super eo* de causa possess. & propriet. & Panormitanum c. *cum esses* de testam. in reper. n. 29. Idem etiam habet Major in [illegible] d. 24. q. 18. concl. 1. & 2. Et quanquam hi Autores de bonis maximè immobilibus agunt dempto Nauarro qui ad fructus quoque bonorum Ecclesiasticorum sententiam suam diffundit: tamen non est dubium quin eadem vel etiam multo potior sit ratio censendi, bona mobilia Ecclesiastica quæ Deo sunt consecrata esse sub speciali Dei ac Christi dominio; cum iisdem de causis ob quas immobilia vendicantur Christo ac Deo; tum peculiariter ob consecrationem. Et hæc, est communis Iurisperitorum sententia apud Suarem. l. 4. defens. c. 19. n. 5. ex quo inferunt, res semel consecratas non esse laicis reddendas, etiamsi ante consecrationem ipsorum essent & iisdem inuitis sint consecratæ; addúntque non esse furti reum, qui rem consecratam, videlicet calicem, homini priuato surripit. Iuxta hanc porrò sententiam, non est obscurum quo nexu bona de quibus

quibus agimus cum Deo connectantur, atque adeò cur sacrilega sit eorum acceptio. Nam rem hominis inuito domino accipere, furtum vel rapina est, rem autem Deo peculiari dominio subiectam vsurpare, sacrilegium est, vt fert ipsa vocis notio, videtúrque sanciri in Pœnitentiali Romano tit. 2. c. 1. art. 2.

Refelluntur.

3. MIhi hoc fundamentum nexus rerum sacrarum cũ Deo, & sacrilegij in earum acceptione, non probatur, non modò quia hic sacrilegij titulus non est vniuersalis; (neque enim cadit in bona Ecclesiis ad securitatem concredita, vt per se patet; neque in bona Ecclesiasticorum, quorum acceptio est sacrilegij malitiæ obnoxia, iuxta autores nonnullos supra signatos;) sed etiam quia quoad bona immobilia, & mobilia sacra, videlicet vasa ministerij, dominium illud non videtur satis fundatum, & à plerisque grauissimis Doctoribus exploditur: vt à Sarmiento tract. de redit. p. 4. c. vlt. Vasque tract. de redit. c. 2. §. 1. dub. 2. Molina tract. 2. de Iust. disp. 29. & 142. Lorca disp. 40. de charit. n. 14. Lessio c. 4. de Iust. n. 19. Sopranis tract. de alien. rerum Eccles. c. 3. qui eo capite multas & varias sententias autorum excutit de illius dominij subiecto; quibusdam illud tribuentibus beneficiario, aliis Ecclesiæ, aliis Summo Pontifici. Quamuis autem parum nostra refert, cui illarum sententiarum quis adhæreat, dum modò terrenum dominum rebus de quibus agimus non neget; tamen verisimillima sententia videtur, quæ cœtui Ecclesiasticorum cuiusuis Ecclesiæ earum dominium adscribit: vel quod eodem recidit, ipsi Ecclesiæ prout fictione iuris vna quædam persona est, obligata ad res illas transmittendas ad posteros, nec nisi cum consensu superiorum idoneorum iure ad id designatorum, apta ad eas alienandas ex graui causa. Nam vt Lessius c. illo 4. n. 51. benè limitat, huiusmodi res ne cum Pontificis quidem consensu possent licitè distrahi, nisi iusta causa subesset.

4. Itaque rerum Ecclesiasticarum dominium immediatum, non est penes Deum aut Christum, nisi quatenus Christus & Ecclesia sunt vna persona. Quæ explicatio optimè traditur l. 6. Capitul. Franco. c. 305. Neque Canones quibus sæpè asseritur has esse res Dei, quod est Nauarri argumentum, eo reuera pertinent, vt hoc dominium Dei peculiare & proprium, exclusis quibusuis peculiaribus creatis dominis astruatur: sed tantum eò pertinent, vt agnoscatur finis in quem hæ res collatæ sunt Ecclesiis; nempe cultus Dei: Sicut etiam sæpè legimus, res Ecclesiasticas fructiferas & fructus earum, esse res pauperum: non quod reuera subsint domino pauperum, sed quod ita sint res quidem Ecclesiarum, fructus autem beneficiariorum, vt si quid honestæ sustentationi beneficiariorum supersit, expendendum sit in bonum pauperum, similésve pias causas. Quod si Ecclesiæ quibus hæc bona adiudicauimus, non possunt ea liberè alienare, & in quoscunque vsus conuertere, non potest inde concludi exclusio dominij. Nam neque hæres quanto tempore paruulus est, potest de rebus quarum verè habet dominium pro libito disponere, sed sub tutoribus & actoribus est vsque ad præfinitum tempus à Patre. Similiter ergo Ecclesiæ possunt habere dominium bonorum de quibus agimus, tametsi ligatum, ita vt abs-

que idoneorum maiorum cõsensu non possit exeri. Quod verò Iurisperiti adducti inter argumẽtandum pro rebus sacris dominio Dei subijciendis, affirmabant res sacras non debere reddi ijs qui priùs eas possederant, friuolum est, & malè fundatur à Iurisperitis in c. *comperimus*. 14. q. 6. quo S. Gregorius statuit, Synagogas inuitis Iudæis consecratas in Ecclesias, non esse Iudæis reddendas, sed soluendum earum pretium, *quia quod semel consecratum est, non debet Iudais restitui*. Hæc est enim S. Gregorij ratio; quam imperitè Iurisperiti diffundunt ad omnia consecrata non reddenda dominis Christianis, etiamsi & in vsus tantùm sacros retinere velint. Et æquè ineptum est, quod ijdem Iurisperiti apud Syluestrum v. *Sacrilegium*. num. 2. tradunt deneganda actione furti aduersùs eum, qui à priuato, rem consecratam qui eam tamquam propriam possidet, surripuerit. Negari enim non potest, quin ea sit vera iniustitia in talem priuatum; & quin sit acceptio rei non suæ, inuito domino & possessore legitimo. Non potest igitur ei denegari aduersùs furem, actio furti sacrilegio cumulati.

Legitimus rei Ecclesiastica, cum Deo nexus, astruitur.

1. VErus ergo nexus rei Ecclesiasticæ cum Deo, ratione cuius acceptio eiusdem inuito domino est sacrilega, ducendus est partim ex vsu proximo & immodiato ad diuinum cultum, vt patet de sacris vasis & omnibus rebus consecratis: partim ex eo quod res Ecclesiasticæ ordinentur remote ad cultum Dei, quia inseruiunt sustentandis ministris. Vnde non sunt tam proximè sacræ, nec tam è vicino, (vt sic dicam), sanctitate Dei perfunduntur, quàm res illæ quæ initiantur. Quod considerans D. Thomas 2. 2. q. 99. art. 1. cũ varias res sacras distinxisset, in tertio membro obiectorum sacrilegij, primo quidem loco ac velut in vertice tertij illius membri, statuit Sacramenta, & scilicet quæ ad sacramenta reducuntur; vt oleum benedictum, & Chrisma. In secundo gradu collocat vasa, vestes, & omnia quæ ad Ecclesiæ ac sacrorum ministrorum ornatum pertinent. Demum in tertio & postremo gradu, tanquam adeò proximè non contingentia, statuit res Ecclesiæ sustentandis sacris ministris destinatas; proptereàque Angelus. V. *Sacrilegium* ad finem, negat acceptionem huiusmodi rerum propriè sacrilegam; nec esse res istas nisi largè sacras, tradunt Ioan. Faber. Instit. de rerum diuis. §. *nullius* & Suarez contra Iacob. l. 4. c. 27. n. 6. Quanquam quia sunt etiam aliquo tandem modo res sacræ, idcirco earum acceptio dicitur sacrilega, vt ex variis iuribus confirmat Layman l. 4. tract. 10. c. 7. n. 15. Ex hac porrò diuersitate sanctitatis rerum sacrarum, facile est confirmare; quod in primo puncto affirmabam, de multiplici specie malitiæ sacrilegij, in acceptione harum vel illarum rerum sacrarum, secundi vel tertij ordinis propositi.

Acceptio rei sacra, & sacrilega, & iniusta, sapè dupliciter.

6. EX dictis habemus, duas malitiæ moralis species, adunatas in huiusmodi acceptione rei sacræ inuito domino. Nempe malitiam sacrilegij ob rei cum Deo nexum, & malitiã iniustitię ob subductionem rei inuito domino

mortali,

mortali, quisquis ille sit. Ostendimus enim reuera aliquem talem dominum violari, eíque non esse negandam furti actionem aduersùs furem: & hæc est iniustitiæ malitia pugnans contra iustitiam. Altera verò malitiæ species, pugnat contra religionem. Hanc tamen malitiam, fateor posse interdum geminari, in eadem accceptione. Quod aliqui affirmant accidere, cum res sacra de loco sacro accipitur, Aiunt enim, tunc non tantùm violari sanctitatem rei sacræ per talem iniquam contrectationem, sed etiam violari locum qui & ipse consecratus est, & eius sanctitas eo facto iniusto violatur. Numeraui tamen eam malitiam duplicem vt vnam, quia vtraque est sacrilegij, & vtraque pugnat cum re sacra in eodem secundo gradu. Et ob eam causam, non videtur facile monstrare, quomodo duæ illæ sacrilegij malitiæ, specie differant. Parum verò refert, quod concurrant in eundem actum, & in eo simul subiectentur; quod iuxta Metaphysicum pronunciatum non valet nisi de accidentibus specie differentibus. Hoc inquam parum refert. Nam etiam physica accidentia solo numero differentia, possunt in eodem subiecto multiplicari, dommodò habeant diuersas habitudines, ob quas ea congeminatio accidentium specie similium, fiat non inutilis, vt patet in speciebus intentionalibus similium obiectorum, quæ in eodem aëre & oculo, sola indiuiduali diuersitate interueniente, multiplicantur. Si quis tamen eam specificam malitiarum diuersitatem moralem, penes varia sacrilegij fundamenta proposita velit agnoscere, cum Laymano l. 4. tract. 10. cap. 7. num. 16. parum, intererit, dummodo eam benè stabiliat, & idonea fundamenta quibus varia præcepta formalia malo illo actu interdicentia nitantur, solidè proferat.

5. Nunc vt tertiam malitiæ speciem, in eadem iniqua rei sacræ acceptione concurrentem aperiamus, attingendus est duplex modus, quo acceptio iniqua, & sacrilega rerum de quibus agimus, patrari potest. Potest enim vel clam, vel aperta vi fieri. In acceptione clancularia, species malitiæ contra iustitiam, non est alia quàm malitia furti subiacens malitiæ sacrilegij, & per eam determinata. Quamuis enim denominatio fiat à malitia tetriore, & simpliciter ea acceptio dicatur sacrilegium, quia à potiore fit denominatio; tamen non excluditur malitia subiacens ex acceptione rei inuito domino. Et inde commodè exponi potest, quomodò duæ illæ malitiæ non semper seruent proportionem, quoad quantitatem moralem virulentiæ & grauitatis peccati. Tametsi enim quoties acceptio est venialis in ratione iniustitiæ, dummodò desit formalis defectus Religionis, probabile est malitiam non esse nisi venialem in ratione sacrilegij, vt Suarez notauit tract. 2. de Relig. l. 3. c. 5. *in fine*, Tamen non quoties actio est mortaliter mala in ratione iniustitiæ, consequens est vt sit etiam mortalis in ratione sacrilegij. Nam vt plurimum, id quod est magis per se ac directè volitum, est ratio furti vnde malitia furti, potest esse auctior in suo genere, quàm malitia sacrilegij in suo. Quanquam quia admodum difficile est ista secernere, & prudenter æstimare, securius est pro generali regula statuere, quoties malitia furti est mortalis, talem quoque esse malitiam sacrilegij, & ambas ex necessitate esse in confessione aperiendas.

8. Cum autem acceptio non est clanculantia, sed habet adiunctam violentiam; tunc addenda est prædictis, tertia malitiæ species, ducenda ex viola-

tione personæ. Vis enim seu violentia cuius memini, non est vis illata parietibus tecto, foribus, vt malè sensit Soto l. 3. de Iust. q. 3. art. 2. sed est vis illata personæ cuius res accipitur; siue fiat impetus in ipsam personam, quæ à Iurisperitis dicitur *violentia præcisa & absoluta*, siue tantùm incutiatur grauis metus, ex quo personna, quamuis non contingatur nec feriatur vllo modo, adigatur facere quod lubens & volens non susciperet; quam Iurisperiti vocant *violentiam conditionatam & latè dictam*. Hæc igitur vis, nouam malitiæ speciem superaddit iniustitiæ furti, vt rectè statuit Val. 2. 2. d. 5. q. 10 p. 4. & Bonac. disp. 2. de rest. q. 8. p. 1. num. 3. vnde oritur illa virulentia rapinæ supra furtum, quam rectè notauit S. Chrysost. hom. 10. in 1. ad Thessalo. *in fine*, & S. Augustinus adductus c. *pœnale* 14. q. 5. Videndi qui id pressiùs expendunt, S. Thomas 2. 2. q. 66. art. 9. & Gabr. in 4. d. 15. q. 3. *Littera* E. Itaque in acceptione rei Ecclesiasticæ per vim, tres malitiæ species necessariò in confessione aperiendæ concurrunt; nempe malitia furti, rapinæ, & sacrilegij.

Malignitas acceptionis bonorum Ecclesiasticorum, colligitur.

9. EX his pespicuum esse potest, quanta sit malignitas sacrilegæ acceptionis bonorum Ecclesiasticorum, præsertim si per rapinam fiat. Quod cum inferiùs sigillatim tractandum sit, & seorsim quoad bona mobilia, & seorsim quoad bona immobilia, nunc generatim duntaxat est attingendum. Qua in parte, campus amplissimus ad excurrendum pateret, prolatis innumeris testimoniis Scripturarum, Conciliorum, & Patrum, quæ congeruntur tribus libris Concilij Aquisgranensis, sub Pipino iuniore celebrati, conscriptis, aduersùs *insanissimam, diuinaque iniuriæ plenissimam sententiam*, vt Concilium l. 1. c. 3. loquitur, eorum qui res sacras & Ecclesiasticas, siue mobiles, siue immobiles, ob humanas necessitates diripere pro libito, culpa vacare contēdebant, dicentes; *Quid cura est Deo, sanctisque eius, ob quorum amorem & honorem Deo dicuntur oblata, cum vtique in eorundem Sanctorum vsus, nihil ex his cedat? Et vbi Deus hæc quæ Ecclesiarum Rectores accipiunt, iussit sibi offerri, præsertim cum omnia quæ in terris sunt, sua sint, & ille ea ad vsus hominum creauerit?* Sic illi, & quoad donaria mobilium, & quod ex l. 1. c. 37. ac l. 3. c. 7. patet, etiam immobilium. Hæc sacrilegij plenissima opinio, totis illis quos memoraui libris, neruosè ac fortiter omni telorum sacrorum genere intorto, repellitur. Insigne est quod l. 2. c. 6. habetur ex. 1. Reg. 2. Vbi Heli corripiens filios sacrilegos, ait hominem qui in hominem peccauerit, sperare posse Dei placationem; at qui Deum ipsum violauerit, destitutum iri deprecatore. Id esse nimium terribile; ait Concilium prædictum. [Inter cætera namque peccata, quibus in Deum peccatur, non minimum peccatum extat illud, quo cultus Dei contemnitur, aut diminuitur, vel dehonestatur. Et idcirco tam ingens peccatum, modis omnibus est cauendum. Quicunque ergo ea, quæ diuini nomini consecrata sunt, aufert, in Deum se peccare nullo modo dubitet. Sed & hoc valdè est terribile, quod Dominus loquens ad Heli sacerdotem, ita inter cætera inquit: *Quicunque glorificauerit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Cum multis modis Deus in operibus nostris glorificetur, iuxta illud

illud Euangelicum, *Videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est*; Specialiter tamen glorificatur Deus in cultu suo, & in suis quæ ei consecrantur, & sanctificantur. Contemnitur autem ab his, qui in tantam vesaniam prorumpunt, vt illi consecrata auferre non formident. Quibus valdè pertimescendum est, illud quod sequitur; *Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Magna porrò ignobilitas est, aliquam Deo in suis sacratis rebus iniuriam inferre, & à voluntate & seruitio illius se disungere, & hostis sui voluntati, & obsequio mancipare.]

10. Iuuat his adiungere insignem locum ex 6 capitul. Franco. c. 305. quo generatim grauitas sacrilegij in res quascunque sacras, siue mobiles, siue immobiles optimè his verbis aperitur. [Omnia quæ domino offeruntur, proculdubio consecrantur; & non solùm sacrificia quæ à sacerdotibus super altare Domino consecrantur, oblationes fidelium dicuntur, sed quæcunque ei à fidelibus offerantur, siue in mancipiis, siue in agris, vineis, siluis, pratis, aquis, aquarúmque decursibus, artificiis, libris, vtensilibus, petris, ædificiis, vestimentis, pellibus, lanificiis, pecoribus pascuis, membranis, mobilibus & immobilibus, vel quæcunque de his rebus, quæ ad laudem Dei fiunt; vel ad supplementum sanctæ Dei Ecclesiæ, eiúsque sacerdoribus, atque ornatum præstare possunt. Domino Ecclesiæque, siue à quibuscunque vltrò offeruntur, Domino indubitanter consecrantur, & ad ius pertinent sacerdotum. Et quia Christum & Ecclesiam vnam personam esse veraciter agnoscimus, quæcunque Ecclesiæ sunt, Christi sunt; Et quæ Ecclesiæ, vel in supradictis, vel in quibuscunque speciebus, siue pollicitationibus, siue pignoribus, siue scriptis, siue corporalibus rebus offeruntur, Christo offeruntur, & quæ ab Ecclesia eius, quocumque commento alienantur vel tolluntur, siue alienando, siue vastando, siue inuadendo, siue minorando, siue diripiendo, Christo tolluntur. Et si ab amico quippiam rapere furtum est, precipuè Christo Domino nostro, qui est rex regum, & dominus dominantium: aliquid auferre, alienare, subripere, vel vastare, sacrilegium est: omnes namque Ecclesiæ prædones, manifestissimè sunt sacrilegi; & nullus sacrilegus nisi per puram probatámque atque publicam pœnitentiam & per Ecclesiæ satisfactionem, Episcoporúmque per manus impositionem, iuxta Canonicas sanctiones reconciliationem, regnum Dei possidebit: & non solùm à regno Dei fit alienus, sed etiam à liminibus sanctæ Ecclesiæ, (& præcipuè ab illius quàm læsit) vsque ad prædictam satisfactionem, extorris efficitur. Talium verò scelerum patratoribus, nisi post prædictam satisfactionem, nec viuis nec mortuis communicare minimè debemus: quia qui rapuit pecuniam proximi sui, iniquitatem facit; qui non solùm sacrilegi, sed etiam fures, sacrilegi & lupi, atque homicidæ, pauperúmque necatores sunt; & insuper anathematis vinculo damnati, coram Deo & sanctis eius efficiuntur.] Hæc ex parte leguntur, & aliis plerisque additis locupletantur in Concilio Trosleiano anno 909. celebrato c. 4.

11. In Concilio 2. Turonensi c. 25. decernitur horrendum anathema cum maledictionibus Scariothicis in huiusmodi inuasores, & confirmatur c. 26. & in Concilio 1. Paris. c. 1. Eiusmodi anathema erat, quod cum denudatione altarium, luminum extinctione, ac officiorum diuinorum cessatione omni-

moda, intorqueri solitum constat, vt sancti quorum erant bona ablata, id est quorum titulo Ecclesiæ bona illa possidentes erectæ erant, insurgerent vltores ac vindices, vt sæpè sæpiùs accidisse infra videbimus; attigitque Baronius anno 682. agens de Canone 7. Toletanæ Synodi decimæ tertiæ, qua vetitum est, ne sacri ministri priuatæ vltionis cupidi, idipsum præstarent. Et meritò, ne sacræ diræ essent fomenta odiorum, & simultatum pruiatarum; vel instrumenta exercendæ animi impotentiæ. At pro causa Eccclesiæ, & indemnitate sacri peculij, iusta fuit vltio. Nam si rem fisci diripere capitale est, quanto iustius rem Dei obsequio mancipatam, seruare intactam?

Quando, & quatenus, possit ea acceptio, illimis esse.

12. AN tamen aliquis sit euentus vrgentissimæ necessitatis, in quo acceptio huiusmodi rerum, possit esse libera à peccato, distinctiùs infra expendam, & quoad mobilia, & quoad immobilia: monstrabóque tum demum in grauissima necessitate licitam esse posse eam acceptionem, cum interuenerit facultas legitima, & consensus rectorum Ecclesiæ: non minis expressus, sed planè liber & delatus potiùs quàm extortus. Vixque incident vnquam circunstantiæ, in quibus non sit necessarium interponi promissionem haud fictam, restituendi quæ accepta fuerint; restituendi, inquam, primo, quoque tempore, cum reuentum fuerit ad pinguiorem fortunam, & vrgens necessitas cessauerit. Tametsi enim aliquando contrariam praxim viguisse constet; tamen ratio aperta videtur euincere, necessitatem restitutionis talium bonorum: cum possunt restitui, ne fraudentur pia cogitata eorum qui res suas obtulerunt Deo; & vt inæqualitas in bonis Dei inducta, reducatur ad æqualitatem. Sanè qui in extrema necessitate rem alterius accipit sibi, quæ alicuius momenti sit, nec censeatur donata; tenetur eam, si postea facultas suppetat, restituere, vt rectè asserunt Adrianus in 4. tract. de restit. §. *quia dictum* Couarr. reg. peccatum p. 2. §. 1. num. 3. & 4. Nauarr. in summa cap. 17. num. 61. & 62. Tol. l. 5. instruct. cap. 24. Lessius l. de Iust. cap. 26. num. 8. & 63. & ratio profertur, quia non obstante necessitate summa accipientis, dominium rei manet penes eum à quo accipitur. Itaque extrema necessitas, tantùm tribuit ius re vtendi, vt periculum euadatur cum quàm minimo fieri poterit alterius incommodo. Superest ergo obligatio rem illam restituendi, cum fortuna feret. Igitur eadem obligatio multo magis vrgere debet quoad res sacras, si ob extremam aliquam necessitatem accipiantur. Euentus certè non semel docuit, prætermissionem restitutionis huiusmodi rerum, non esse prætermittentibus impunitam, præsertim in Carolo Martello, vt notauit Paulus Æmilius, & ex eo Denochares. l. 3. de sacrif. cap. 31.

Sicut autem alij, grauissima obligatione vetantur sacrilegè accipere res sacras, aliter quàm in euentu prædicto; Ita Ecclesiastici, & præsertim Prælati, obligantur eas tueri ab inuasoribus, quod ad mortem vsque fecisse S. Theodorum Episcopum Traiectensem ea ex causa martyrem, habent eius acta.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

De sacrilega vsurpatione mobilium.

Inter bona mobilia Ecclesiastica, recensebo hoc loco, omnia obiecta specialis sacrilegij in rebus mobilibus. Eiusmodi sacrilegium, vel penes obiectum, vel penes locum sacrum, vel penes vtrúmque constituitur; & aliquando est occultum, carétque adiunctione violentiæ; vt cum quis clam furatur calicem consecratum; aliquando verò admittitur vi aperta, habétque concomitantem violentiam, domino aut personæ possidenti, vel custodienti, illatam.

Acceptio quæcunque mobilium sacrorum, sacrilega. Idem statuendum esse de acceptione non sacrorum è loco sacro qui affirment, qui negent.

1. EIVS sacrilegij quod ablatione rei sacræ de loco sacro continetur, generatim sumpti, (id est, siue habeat adiunctam violentiam, siue non habeat,) notio non est obscura: illúdque & iura ciuilia & Canonica agnoscunt, vt notat Paulus Grillandus Tract. de pœnis omnif. coitus illiciti q. 1. num. 4. ex cap. *quisquis* 17. q. 4. & l. *diuus.ff. ad l. Iul. pecul.* Dissident verò ea iura, quoad sacrilegium penes obiectum solum, vel penes solum locum. Nam quando res sacra auferrur de loco non sacro, vel quando res non sacra aufertur de loco sacro, nullum interuenit sacrilegium, stando in iure ciuili; quod non attendendo rationem culpæ, sed in ordine ad solam pœnam, sic statuit, vt Grillandus supra num. 4. & 5. docet, adducto Bartolo ad dictam l. *Diuus*, qui testatur esse communem Iurisperitorum sententiam. Multos in eam rem iuris Ciuilis Doctores, adducit Iulius Clarus l. 5. §. *Sacrilegium.* num. 1. Idem habet Fabius lib. 4. Instit. c. 2. videndus insuper l. 7. c. 4. Aliter verò res habet spectato iure Canonico, quo peccati macula attenditur; & etiam sententiam Scholasticorum cum S. Thoma 2.2 q 99. art. 3. nec non de sententia Summistarum, quos profert & sequitur Fagundes l. 4. in 2. Eccles. præcep. cap. 4. num. 9. Hi inquam omnes, aliter statuunt de re proposita. Et meritò. Nam Ioannes Papa adductus eo cap. *quisquis* 17. q. 4. docet sacrilegium committi, non modò auferendo sacrum de sacro, sed etiam auferendo non sacrum de sacro, aut sacrum de non sacro. Nihil clarius.

2. Tantùm difficultas aliqua est, quoad secundum membrum; Nam aliqui vniuersè negant, acceptionem rei non sacræ in loco sacro esse sacrilegam. Ita Soto l. 5. de Iust quæst. 3. art. 1. §. *Hinc inepte.* Fagund. in 2. Eccles.

l. 4. cap. 4. num. 9. & 12. Henriq l. 2. cap. 6. num. 5. *litera N.* Diana rep. tract. 7. resol. 27. Suarez verò tract. 2. de relig. l. 3. cap. 5. num. 7. vniuersè affirmat acceptionem rei cuiuscunque, etiamsi non sacræ in loco sacro esse sacrilegam: quæ videtur communis sententia Canonistarum, ad c. *quisquis* & ad c. *sacrilegium* 17. q. 4; Iurisperitis simul atque Theologis omnibus, eadem tribuit Bisciola t. 1. subsect. l. 20. c. 26. subscribúntque passim Summistæ v. *Sacrilegium*, & Nauarr. in summa. c. 6. num. 4. & cap. 17. num. 95. Syluest. V. *Sacrilegium.* §. 2. Rosella ibidem num. 1. Laym. l. 4. tract. 10. cap. 7. num. 18. Rebellus p. 1. l. 3. q. 15. num. 25. Regin. l. 23. cap. 1. num. 12. & probabilius id censet Valentia 2. 2. d. 6 q. 15. puncto 1. Adeò autem inhæret Suarez sententiæ, vt loco citato num. 9. dicat, sententiam contrariam, quæ absolutè negat rem quæ in loco sacro accipitur contra voluntatem domini, esse obiectum sacrilegij, & non debere specialiter exprimi in confessione sacramentali, cum materia talis est vt actio in ratione furti extra eum locum esset mortalis; nequaquam posse censeri *practicè probabilem ac securam, cum sit paucorum Doctorum contra torrentem aliorum, sine textu, & sine firma ratione, quæ vel probabiliter suadeat.* Fundamentum petitur, ex eo quod ius Ecclesiasticum, dicto capit. *quisquis* statuat locum sacrum tali immunitate gaudere, vt quidquid in eo est, etiamsi non sacrum, debeat esse inuiolabile, nec possit accipi absque violatione immunitatis sacro loco debitæ; intelligendo per *locum sacrum*, Ecclesiam, monasterium, hospitale, eremitorium Episcopi autoritate erectum, vt breuiter attigit Molina Tract. 2. de Iust. disp. 694. num. 1. & Sanches pleniss. l. 9. de Matri. d. 15. à num. 23. & fortassis vt horum sacrilegiorum ansam præcideret Theodulphus Aurelianensis in suo Capitulari, c. 8. vetuit quicquam profanum inferri Ecclesiis, ibi custodiendum.

Eligitur pars affirmans, si res non sacra, sit loci sacri tutelæ concredita.

3. MEdia sententia inter prædictas extremas, videtur probabilior, nempe neque quidlibet non sacrum in loco sacro acceptum constituere sacrilegium, neque verè statui nunquam inde existere sacrilegium: sed si res non sacra fuerit veluti in tutelam constituta in templo, ibíque ad securitatem deposita, vt passim videmus in pagis fieri, cum instant milites, & piceatæ eorum manus timentur: tunc quidem, acceptionem rei non sacræ in loco sacro inuito domino esse sacrilegam; sin minùs vacare sacrilegij labe. Sunt in ea sententia Lopez 1. p. Instruct. cap. 33. *initio,* & apud eum Canus ac Penna. Item Lessius l. de Iust. cap. 45. num. 14. Ægid. disp. 7. de pœnit. n. 22. Salas 12. tract. 13. d. 3. num. 15. Sayrus l. 2. Thesau. cap. 5. num. 13. Fagundes l. 4. num. 9. Henriq. l. 2. de pœnit. cap. 6. num. 5. Reginal. lib. 14. num. 42. Et videntur in eadem sententia esse Vasq. 1. 2. d. 98. cap. 2. & Sanches l. 9. de matrim. d. 15. num. 4. & 21. quatenus inter specialia sacrilegia à loco petita numerant duntaxat homicidium in loco sacro patratum, & ibidem factam effusionem humani seminis. Nempe, quia hæc duo duntaxat, sunt ibi ab Ecclesia specialiter vetita; ratione sanctitatis loci sacri quem dehonestant.

4. Quod ergo ereptio rei concreditæ loco sacro, vt ibi tuta esset, sit ereptio sacrilega,

sacrilega, perspicuum est ex violatione loci sacri: Vnde aduersùs huiusmodi rerum Ecclesiæ concreditarum acceptionum disputat fortissimè. S. Ambros. l. 2. offic. cap. 29. Illud sanè (inquit,) diligenter tuendum est, vt deposit viduarum intemerata maneant, sine vlla seruentur offensione: nec solùm viduarum, sed etiam omnium. Fides enim adhibenda omnibus, sed maior est viduarum causa, & pupillorum. Denique hoc solo viduarum nomine (sicut in libris Machabæorum legimus,) commendatum templo, omne seruatum est.] Intexit narrationem de Heliodoro, ob huiusmodi sacrilegium castigato diuinitùs. 2. Machab. 3. tum addit. [Seruanda est igitur filij depositis fides, adhibenda diligentia. Egregiè hinc vestrum enitescit ministerium, si suscepta impressio potentis quam vel vidua, vel orphani tolerare non queant, Ecclesiæ subsidio cohibeatur; si ostendatis plus apud vos mandatum domini, quàm diuitis valere gratiam. Meministis ipsi, quoties aduersùs regales impetus pro viduarum, imò omnium depositis, certamen subierimus. Commune hoc vobiscum mihi recens exemplum Ecclesiæ Ticinensis proferam, quæ viduæ depositum quod susceperat, amittere periclitabatur. Interpellante enim eo qui sibi illud Imperiali rescripto vendicare cupiebat, clerici non tenebant authoritatem; honorati quoque & intercessores dati, non posse præceptis Imperatoris obuiari ferebant. Legebatur rescripti forma, directio magistri officiorum statuta; Agens in rebus imminebat. Quid plura? Traditum erat. Tamen communicato mecum consilio, obsedit sanctus Episcopus ea conclauia, ad quæ translatum illud depositum viduæ cognouerat. Quod vbi non potuit auferri, receptum sub chirographo est. Postea iterum flagitabatur ex chirographo: Præceptum Imperator iterauerat, vt ipse per semetipsum nos conueniret. Negatum est, & exposita diuinæ legis authoritate, & serie lectionis, & Heliodori periculo, vix tandem rationem Imperator accepit. Post etiam tentata fuerat obreptio, sed præuenit sanctus Episcopus vt redderet viduæ quod acceperat. Fides interim salua est: Oppressio non est formidini, quia iam res non fides periclitatur.] Hinc ergo liquet de sacrilegio cauendo in adducenda re concedita loco sacro.

5. Agnouerunt hoc sacrilegium, ipsi Ethnici, vnde tutelæ gratia, pecunias deponebant in locis sacris, puta in templo pacis, iuxta Herodianum lib. 1. Item apud Vestales & in templis Saturni, Fidei, & Opis, ac Dianæ & Iouis Capitolini, vt ex Plauto, Tullio, Plinio, Liuio & antiquo Persij Interprete, scribit Ludou. Dorleans ad l. 1. Annalium Taciti *pag.* 34. & Pitartus Decade 18. historicopolitica c. 4. ac Ferrandus Adduensis lib. 1. Explicationum iuris ad l. 1. deposi. Sed sufficit ad eum vsum comprobandum, lex. 1. C. de com. ser. manu. & cap. 1. de depos. Exempla item sunt sequentia. Nam Xenophon l. 5. Expedit. Cyri, testatur, se cum in Europam ex Asia aduersùs Bœotios traiiceret, deposuisse vim pecuniæ apud Megabyrum Dianæ ædituum. Item apud Plautum in Bacchide leguntur illa. *Nos ibi apud Theotimum omne aurum deposuimus, Qui illhic sacerdos est Dianæ Ephesiæ.* Censuerunt ergo Ethnici rem loco sacro concreditam, veluti sub tutela numinis reponi, nec posse nisi cum sacrilegio & certa numinis ira exportari, vt affirmabam.

Subscribitur parti neganti, quoad rem profanam loco sacro non concreditam.

6. DE furto autem cuiusuis rei, etiamsi non repositæ quasi sub custodia Ecclesiæ, non plus probari potest quod pugnet cum loci sacri sanctitate, quàm de detractione vel odio proximi; quod nemo censuerit esse sacrilegium, etiamsi in loco sacro exerceatur. Hæc id puto voluisse Lessium, quantumuis eius verba id præferant, l. 2. cap. 45. num. 2. iuncto 14. Quod verò obijcitur ex c. *quisquis*, facilè exponitur de re non sacra quæ sit in Ecclesiæ tutela. Neque tamen idcirco res desinit esse non sacra. Nam res sacra de qua eo capite agitur, in primo membro obiecti sacrilegij, est res illa quæ sacra dicitur, quia est specialiter addicta diuino cultui. Atque ita rectè ille textus recenset & sacrum de sacro acceptum, & non sacrum de sacro loco vsurpatum: hoc enim secundum, dicitur non sacrum, quamuis sit sub tutela loci sacri, & ad eum finem ibi repositum; quia non est specialiter dicatum diuino cultui, quale est sacrum in primo membro collocatum. Itaque donec euincatur rem quancunque. v. g. crumenam in Ecclesia furto acceptam, debere ratione loci sacri esse specialiter immunem, vt cautum est circa personas confugientes, & res tutelæ loci concreditas; negandum est, eam circunstantiam esse specialiter exprimendam in confessione; vel eam actionem esse speciale sacrilegium, & plusquàm furtum. Vnde crumena quam in templum intulit, qui eò accessit nihil cogitans de concilianda crumenæ securitate per sacrum locum, non est annumeranda bonis illis Ecclesiasticis de quorum sacrilega ablatione nunc agimus: ac ne si à Confessario quidem abducatur, inter ei confitendum, vt contra Cordubam statuit Fagundes. l. 4. in 2. præcep. cap. 4. num. 11. & Rebellus 1. p. l. 3. cap. 1. num. 11. ac Sa. V. *sacrilegium*. n. 1. quantum quidem est ex vi acceptionis crumenæ illius in loco sacro. Legimus quidem apud Gregorium Turonensem l. 1. mirac. cap. 26. Deum miraculo comprobasse, quàm sibi displiceret huiusmodi furtum, quod fortasse in conscientia furis erat sacrilegium: Tamen non idcirco est sacrilegium verè & reipsa.

Multiplex macula in expilatione præsertim violenta mobilium sacrorum.

7. HIs ita generatim constitutis de communi ratione sacrilegij in bonis mobilibus quoquomodo Ecclesiasticis, veniendum est ad duo specialia membra huius sacrilegij, penes clancularium vel apertam & violentam eorum vsurpationem inuito domino: quorum duorum membrorum natura & grauitas moralis scrutanda est. Et natura quidem sacrilegæ acceptionis clancularia, alia non est quàm furtum sacrilegij differentia determinatum; ita vt sint ibi duæ malitiæ species subordinatæ, contra duas distinctas virtutes, nempè iustitiam & Religionem, vt rectè notauit Lessius l. 2. de virtut. c. 7. num. 12. Tertia verò malitiæ species superaddenda est, cum acceptio fit per vim illatam. Quæ omnia constant ex dictis cap. 1. vbi monstrauimus, acceptionem violentam siue rapinam triplici hac macula sordere. Nec refert quod plerúnque Doctores

Doctores agant de expilatione huiusmodi, tanquam de vno peccato. Id enim intelligunt de peccato vno per multarum specie malitiarum coalitum, non absque subordinatione. Qua ratione accipiendus est. S. Bonifacius epistola 19. quæ est ad Ethibaldum Regem Merciorum sacrilegum, vbi de huius peccati grauitate hæc habet, suo & Coepiscoporum suorum nomine. [Præterea nunciatum est nobis, quod multa priuilegia Ecclesiarum, & monasteriorum fregisses, & abstulisses inde quasdam facultates. Et hoc si verum est, peccatum grande esse dignoscitur, testante. S. Scriptura, quæ ait. *Qui abstulerit aliquid Patri vel matri, & dicit hoc non esse peccatum, homicidæ particeps est.* Pater noster sine dubio Deus est, qui nos creauit: Mater nostra, Ecclesia, quæ nos in Baptismo, spiritaliter generauit. Ergo qui Christi pecunias, & Ecclesiæ, fraudabit vel rapiet, homicida ante conspectum Iusti Iudicis esse deputabitur. De quo quidam sapientum dicebat; Qui rapit pecuniam proximi sui, iniquitatem facit; Qui autem pecuniam Ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit.]

8. Non negat alias quàm sacrilegij maculas in ea expilatione templorum; sed ab vltima labe tanquam grauissima, totum factum denominat. Quod autem homicidij damnare videtur huiusmodi expilationem, non idcirco facit, quod verò sit in eo labes homicidij, sed alludit ad locum Sapientis prolatum ex [illegible] 28. quo particeps homicidæ esse dicitur, id est, admodùm facinorosus, & nequam, qui ait, filium patri furantem esse innoxium. Illud item plerumque à Patribus in huiusmodi & aliarum quantumuis Ecclesiasticarum facultatum sacrilega exportatione notatur, affine culpæ homicidij, quod cum facultates omnes Ecclesiasticæ, etiam mobiles, si necessitas ingruat, secundùm cultum Dei & moderatam ministrorum sustentationem, destinatæ sint alendis pauperibus; qui eas subducit, necator pauperum videatur. Referam nonnullos tractans debitam dispensationem census Ecclesiastici; & disertè ita habet Conc. Carth. q. cap. 95. Verùm propriæ, & vt ita dicam generales maculæ expilationis mobilium sacrorum de qua agimus, sunt tres illæ quas proposui.

Etiam in bello, est illicita.

9. NOn purgat his maculis rapinam rerum sacrarum mobilium, quod accipiantur per vim in bello iusto: qui est error multorum militum sacra & profana indiscriminatim rapientium. Quantumuis enim bellum sit iustum, & potestas iure facta sit militibus spoliandi hostes, tamen res sacræ & Ecclesiasticæ immunitate gaudere debent, de omnium Doctorum sententia. Et ita benè præter cæteros Abul. in 2. Paralip. 12. q. 16. Angles q. de restit. ex bello difficult. 5. specialiter verò quoad res sacras diuino cultui specialiter addictas, ita habetur ex multis iuribus, quæ istiusmodi res debere esse planè immunes statuunt; constátque etiam ex Dan. 5. vbi bellica vasorum templi direptio diuinam manum in Babylonios prouocauit. Scribit Baron. anno 1039. ex Longino Cracouiensi Canonico, antiquo rerum Polonicarum scriptore, cum Bretizlaus Boëmiæ Poloniam vastasset, nec sacris parcens, templa quoque. Sanctorum corporibus & ornamentis spoliasset, legationem à Polonis missam esse ad Benedictum IX. qui pro Pontifice se gerebat, cúmque grauiter in

Bohemos commotum, intentata excommunicatione edixisse, vt sacra ablata omninò restituerentur: cum bella quantumcunque iusta, hominibus, non cœlestibus aut sacris indicantur; quod iudicium valdè commendat Baronius. Et ratum habuerat Deus terrestre iudicium. Nam in ingressu templi S. Mariæ Gnesnensis, Bretizlaus Dux, omnésque milites triduana cœcitate ac lethargia sunt percussi. Quanquam Seuero Pragensi Episcopo Sacrilegij incentore, aliò referente eam plagam, perfecerunt postea Bohemi quod aggressi fuerant, & spolia sacra planè opima abstulerunt, in Ecclesiarum Bohemiæ, non in suum lucrum, vt idem Baronius scribit anno 1034. Sed neque hic prætextus honestat rerum sacrarum prædictarum direptionem, valétque nominatim quoad eas illud Tertulliani l. de Coro. milit. cap. 11. [Militia, peccata non tollit.] Ipsa denique naturalis ratio fundata in talium rerum sanctitate, id satis confirmat, cum enim sint res sacræ, & exemptæ à iure ciuilium potestatum inter quas bella geruntur; perspicuum est quantuncunque inardescant bella & spoliandi hostes facultas fiat, abstinendum tamen esse rebus sacris, ad diuinum cultum addictis. Idque cùm alia quæ inferiùs referemus, confirmabunt; tum diuina pleraque miracula, quibus sacrilega audacia quorundam militum, eò progressa vt ne sacris quidem peccaret, punita est, quorum nonnulla infra attingam, ex probatis & omni fide dignis autoribus.

10. Agnouit apertè hoc militare sacrilegium Tertull. cap. 25. Apolog. cuius hæc est oratio. [Omne regnum, vel imperium bellis quæritur, & victoriis propagatur. Porrò bella, & victoriæ, captis & euersis plurimùm vrbibus constant. Id negotium, sine deorum iniuria non est. Eædem strages mœnium & templorum, pares cædes ciuium, & sacerdotum, nec dissimiles rapinæ sacrarum diuitiarum & profanarum. Tot igitur sacrilegia Romanorum, quot trophæa: tot de dijs, quot de gentibus triumphi: tot manubiæ manent adhuc simulachra captiuorum deorum. Ab hostibus ergo suis sustinent adorari, & illis imperium sine fine decernunt, quorum magis iniurias quàm adulationes remunerasse debuerant. Sed qui nihil sentiunt, tam impune læduntur, quàm frustra coluntur. Certè non potest fidei conuenire, vt religionis meritis excreuisse, videantur, qui, vt suggessimus, religionem aut lædendo creuerunt, aut crescendo læserunt.] Agit quidem ibi Tertullianus, de mobilibus sacris Ethnicorum, quæ non erant sacra nisi in existimatione ipsorum Gentilium, vnde eorum direptio non erat sacrilega, nisi per conscientiam erroneam. Ea tamen falsa existimatione supposita, talium pietatis instrumentorum direptio, sordebat sacrilegio. Quod si ratiocinationem Tertulliani ad vasa & mobilia vero Deo dicata transferamus, omni ex parte rectè habebit quod à Tertulliano dictum est, tot admitti in bello sacrilegia, quot diripiuntur sacræ diuitiæ templorum, siue sacra mobilia. Et quamuis id maximè valeat de vasis consecratis, valet tamen etiam de vniuersa templi supellectile, addicta sacro ministerio quomodocunque.

Corollarium de æris campani exportatione iure belli.

11. QVia verò campana quid sacrum sunt, & inter instrumenta religiosi cultus numerantur, pronunciari hinc potest, de iure quod alicubi præfecti

præfecti quidam militares in æra campana vrbis deuictæ prætendunt, ſi vrbs ante diſploſionem tormentorum non ſe dediderit. Dicendum quippè eſt, eam æris campani vſurpationem iure belli, eſſe ſacrilegam, quippè qua accipitur res ſacra & ad vſum religioſum deputata, nec abſque publica ceremonia & benedictione quam rudis plebecula ob proportionalem nominis impoſitionem, *baptiſmum* nominat. Exiſtimo non poſſe vocari in dubium, quin campanæ ſint inſtrumentum religioſum, cum finis ex quo habentur, id ferat. Nihilominus tamen, iuuat ad id melius perſpiciendum, adducere verba Concilij Prouincialis Colonienſis anno 1536. celebrati parte 9. cap. 14. [Benedicuntur (inquit) campanæ, vt ſint tubæ Eccleſiæ militantis, quibus vocetur populus ad conueniendum in templum & audiendum verbum Dei: Clerus verò ad annunciandum manè miſericordiam Dei, & veritatem eius per noctem; Vt per illarum ſonitum, fideles inuitentur ad preces, & vt creſcat in his deuotio fidei. Quamuis [illegible]am Patres aliò reſpexerint; videlicet vt dæmones, tinnitu campanarum, Chriſtianos ad preces concitantium terreantur: Quin potiùs precibus ipſis, [illegible]que communibus Eccleſiæ, per benedictionem intra campanas velut incluſi, territi abſcedant, illiſque ſubmotis fruges, mentes, & corpora credentium [illegible], vt procul pellantur hoſtiles exercitus, & omnes inſidiæ inimici, fragor grandinum, procellæ turbinum, impetus tempeſtatum & fulgurum temperentur, infeſta tonitrua & ventorum flamina ſuſpendantur, ſpiritus procellarũ & aëreæ poteſtates proſternantur. Breuiter, vt audientes confugiant ad ſanctæ matris Eccleſiæ gremiũ, ac ante ſanctæ crucis vexillum, cui flectitur omne genu, quemadmodùm hæc in ſolemni campanæ benedictione reperies.] Quod ait Concilium de vſu campanarum ad fugandos dæmones, multis exemplis illuſtrant Grillandus l. de ſortileg. q. 7. Binsfeld. de confeſſ. malef. poſt concluſ. vltim. dub. 6. Nicol. Remig. l. 1. dæmon. c. 26. & Delrio l. Magic. c. 2. ſect. 3. q. 3. *remedio vltimo*. Ex quibus ſatis ſupérque perſuadetur, campanas eſſe inſtrumenta religioſi cultus, atque adeò eſſe quid ſacrum. Habemus exemplum in Actis S. Lupi Senonenſis, quod planè confirmat nefas eſſe æra campana exportare, cùm ſint Deo ſacra. [Clotarius Rex, (inquiunt Acta) vbi comperit, ſignum (id eſt campanam,) S. Stephani, ſonum edere gratiſſimum, iuſſit eam Pariſios transferri, vt eius tinnitu ſæpiùs oblectaretur. Diſplicuit ea res Beato Epiſcopo. Itaque mox vt ablata eſt à Senonibus, omnem ſoni gratiam amiſit. Id Rex intelligens, ocyus iubet ſuo illam loco reſtitui. Vbi autem ad pontem Syriacum ventum eſt, rediit illi priſtinus ſonus, & ob ſancti viri merita, ſeptimo milliario auditus eſt. Illico vir beatus in vrbe reſidens, ſe dat itineri, progredienſque in occurſum eius cum pſallentium choris, quam dolens amiſerat, cum gaudio excipit gratias agens Deo.] Affine exemplum dabo cap. 3. ex Flodoardo lib. 2. hiſtor. Rhemenſ. cap. 12. Hinc ergo liquere videtur, æra campana, eſſe rem ſacram. Eſto turris in qua huiuſmodi æra appenduntur, non ſit locus ſacer, ad effectum vt ea polluta per humani ſanguinis aut ſeminis effuſionem, Eccleſia cenſeatur polluta; quod rectè cùm multis tradit Sanches l. 9. de Matr. d. 15. num. 30. Eſt tamen locus ille, ſacer quoad immunitatem Eccleſiaſticam, vt benè notarunt Suares Tract. 2. de relig. l. 3. cap. 9. num. 7. & Layman l. 4. Tract. 9. cap. 3. num. 2. nimirum quia ſuo modo pertinet ad cultum Dei; con-

tinétque instrumenta religiosi cultus, quatenus inde fideles conuocantur ad diuina officia, aut verbi Dei auditionem.

12. Itaque extra dubium pono, direptionem æris campani prætenso iure belli factam, esse sacrilegam, & omni prorsus iusto titulo vacuam, ac restitutioni obnoxiam. Sanè si subductio æris campani vt in alia æde sacra ad vsum sacri ministerij collocaretur displicuit Deo, vt vidimus: quanto apud Deum tetrior habebitur vsurpatio æris Deo sacri, iure belli; forsan vt conflетur in bombardas ad stragem mortalium; saltémque vt turpiter veluti captiuum prostet in foro promercale, & profana auctione distrahatur. Non potest ergo iure belli honestari subductio æris campani; quam esse communem sententiam, habetur ex Castro Palao disp. 5. de Charit. p. 4. num. 18. Neque verò aliud esset, si hostis victor ciuitatem deuictam mulctaret quantitate pecuniæ æquiualente æri campano, quod reperitur in turribus sacris totius vrbis. Id enim æquè posset dici de sacris calicibus, & vniuersa sacra supellectile; si ea intacta indicaretur mulcta æquiualens. Et tamen nemo non videt id fore sacrilegum, & coniunctum cum inuasione rei sacræ.

Ad milites vt sacris mobilibus abstineant, paraeneticus.

13. Abstineant ergo (si sapiunt,) & milites & præfecti militum, Dei bonis; & si Ecclesias expilare non horrent, expectent dirum à Deo iudicium. Meritò in huiusmodi milites sic conclamat Sarisber. l. 6. Polycrat. cap. 13. [Qui Rempublicam & inermem manum militaribus armis impugnat, iustissimè exautoratur, tanquam ille, qui figuram hostilem induerit. Sed præ cæteris omnibus diuino & humano iure grauius feriuntur sacrilegi, & hi qui variis perturbationibus impugnant Ecclesiam Dei, quibus lex non præcisionem dexterarum, sed pœnam irrogat capitalem. Si patrocinium illorum accipiant Cicero, & Demesthenes, si in defensione eorum linguam acuat, & totius ingenij sui vires exhauriat Quintilianus, si iura viguerint, quod post Deum in manu principis est, fortunas eorum & capita, quin legitimis suppliciis feriantur, tueri non poterunt. Quod si gladium suum aduersùs tales non exerit Princeps, in seipsum proculdubio prouocat gladium bis acutum, quem in ore suo gerit filius hominis. Gladium vtique, qui viuus, & efficax est, qui corpus findit & animam mittit in gehennam; ad quem obtusus est omnis gladius & omnis armatura fragilis, & fluida & infirma, præter illam quam sola construxit gratia, in bonorum fabrica meritorum. Sunt autem plurimi, qui malorum clamore operum quando militiæ consecrandi cingulum altari obtulerunt, videntur protestari, se eo tunc animo accessisse, vt altari, & ministris eius, sed & Deo, qui ibi colitur, bellum denunciarent. Faciliùs crediderim hos malitiæ execratos, quàm ad legitimam militiam consecratos.]

14. Dehonestauit nimio acore & sale, plerasque lucubrationes suas Nicolaus de Clamengiis, quem idcirco Romana suffixio perculit. Nihil tamen vetabit, aliquid in hanc rem ex eo decerpere, ad huius sacrilegij detestationem. Sic ergo ille habet l. de lapsu & reparatione Iustitiæ ad Philippum Ducem Burgundionum.

grandiorum. [Cum fides sit totius Christianæ religionis, totius iustitiæ ac virtutis, imo potiùs totius boni humani radix ac fundamentum: quo ille pacto deputandus est Christianus, qui fidem non habet? Clamat Propheta, *Iustus ex fide viuit*. Clamat Apostolus; *Iustificati ex fide, pacem habeamus ad Deum*. Quam igitur ille vitam, quam pacem ad Deum, quam iustitiæ particulam habere censendus est qui fidem non habet? Quam verò ille fidem habet, qui contra Deum, bellum gerit; qui Ecclesiam sponsam eius, infideli deterior violat, profanat, polluit, perfringit, atque spoliat? *Qui suorum* (inquit Apostolus) *& maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior*: si autem ille fidem negauit & est infideli deterior, qui domesticorum curam non habet, quid de illis sentiendum est, qui non modò domesticos patriæ suæ, quorum tutelæ sunt deputati, sed sacrosanctum Dei tabernaculum, enormiter adeò vexant, & dehonestant. Deteriores profectò, non solùm gentilibus, verùm etiam Dæmonibus, istos sacrilegos dixerim Ecclesiarum violatores; cum apertè de Dæmonibus Scriptura dicat, *Dæmones credunt & contremiscunt*. Si enim quantamlibet credulitatis scintillam haberet, talia nefanda perpetrare, proculdubiò contremiscerēt, ac perhorrescerent, quæ cuiuslibet fidelis animus non solùm oculis cernere, sed etiam auditu audire perhorrescit. Solebant bona agrestium, in Basilicis recōdita, etiam inter acerbissimos hostes igne ac ferro patriam Vastantes, esse tutiora quàm quæ in firmissimis erant collocata castellis; quoniam nulli erant hostes adeò efferati, vt non à Sanctuario Dei, manus impias abstinerent. Nunc apud nostros domesticos & familiares inimicos, quibus nulla est pestis capitalior; nullo Deus priuilegio, nulla domus sibi sacrata, vlla gaudet exemptione, sed passim sacraria quæque irrumpere ac prædari non formidant, &c. Qua igitur fronte, qua fiducia, imo certè qua impudentia, nos Christianissimos volumus appellari, qui talia passim atque impune in sacratis Deo altaribus, dedicatisque Basilicis, per sacrilegas impiorum manus fieri toleramus, qualia nullus vnquam Paganismus de suis idolis ac simulachris tolerauit? Itáne cœteræ nationes faciunt, Christi nomine & charactere insignitæ? Itáne Angli, ita Germani, ita Barbari quique populi, Christi nomine titulati? Sed quid de Christianis aliis loquor nationibus, cum Mahumeticæ superstitionis, profani sectatores, suæ Mosquitæ violatores, tanta dicantur infestari seueritate?] Quod Clamengius genti suæ singulare esse statuit, prædari Ecclesias per occasionem militiæ, ac veluti iure belli, mirum quantum ad alias nationes, pessimo exemplo & more detestando diffusum est, vt quotidiana experimenta faciunt testatissimum. Minuta tamen videri possint ea de quibus Autor prædictus expostulabat, si conferantur cum iis quæ postea lupi Arabici ex eadem gente, in Ecclesias & sacra quæcunque, horrificè & plusquàm barbaricè præstiterunt anno 1562. quo ipso anno Claudius Sanctesius scriptis de Eucharistia repetitionibus clarissimus, luctuosum in modum eam tragœdiam descripsit Opusculo de prædatione Ecclesiarum, præsertim cap. 14.

Non tantùm Ecclesiæ, sed etiam Ecclesiasticorum mobilia, intacta esse in bello debent.

25. HIc igitur olim fuit inter fideles omnes sensus vnanimis, de plena bonorum Ecclesiæ indemnitate & securitate in quibusuis bellorum

æstibus. Addunt rectè Mol. tract. 2. de Iust. disp. 121. Bonac. disp. 2. de restit. q. vlt. 5. 1. p. vlt. §. 3. n. 18. & 19. Suares disp. 13. de charit. 5. 7. n. 4. Syluester v. *bellum* 3. quæstio 7. Val. 2. 2. d. 3. quæst. 16. p. 3. Angles supra, idem dicendum esse de bonis Ecclesiasticorum. Nam hæc quoque, DD. immunitate gaudere volunt quantuncunque iustum sit bellum. Hæc enim est veluti Respublica separata, contra quam non plus est iuris potestati ciuili bellanti, quàm contra extraneam Rempublicam planè innoxiam & amicam. Nec videtur ambigendum, quin præsertim id valeat de bonis quæ data sint Ecclesiasticis intuitu Religionis: Hæc enim sunt veluti fideicommisso deuoluenda ad Ecclesiam obeunte sacerdote, iuxta illud Synodi Gallicanæ, sub Sonni atio Archiepiscopo Remensi apud Flodoardum l. 2. c. 5. num 22. [*Item* Pontifices, quibus in summo sacerdotio constitutis ab extraneis duntaxat aliquid, aut cum Ecclesia, aut sequestratur, aut dimittitur, aut donatur; quia ille qui donat: pro remedio animæ suæ, non pro commodo sacerdotis probatur offerre, non quasi suum proprium, sed quasi dimissum Ecclesiæ, inter facultates Ecclesiæ computabunt; quia iustum est, vt sicut sacerdos habet quod Ecclesiæ dimissum est.; Ita, & Ecclesia habeat quod relinquitur sacerdoti.]

16. Itaque hæc bona non debent bellorum violentiæ subiacere. Quod si necessitas victoriæ alioqui disturbandæ, ferat vt in bona quæ immunia esse diximus, inferatur vastatio, (quæ tunc crimine, vacat, æquè ac innocentis clades per accidens consecuta in simili euentu:) ex ea tamen doctrina infertur, omnia quæ post victoriam partam manent inconsumpta; & omnia in quibus hostis victor, factus fuerit locupletior; reddenda necessariò esse veris dominis, nempo Ecclesiæ vel Ecclesiasticis, qui eorum dominium semper retinent. Vnde à nemine emi possunt, quamuis impunè vendantur, aut vili pretio distrahantur,) nisi concepta voluntate reddendi illa vero domino, si is compareat, detque se, opportunitas, post factam refusionem eiusdem pretij quod vtiliter gerendo negotium veri domini numeratum fuerit; vt cum Molina, Reginaldo, Couarruuia, Angelo, Syluestro, Vasque, & Roderico tradit Bonac. supra num. 24. Et idem habet Caiet. Tom. 1. opusc. tract. 31. respons. 17. *ad 5. articulum*. Nec refert quod de aliis bonis in bello iniusto captis, aliud statuant graues plerique Doctores, quos magno numero appendit Sayrus in Claui lib. 10. tract. 2. c. 3. num. 31. affirmantes rem captam in bello autoritate publica indicto, etiamsi iniusto, fieri capientis, eo quod ita vsu receptum sit, & tacitus Principum consensus id ferat. Quidquid enim sit de aliis bonis, tamen de sacris & Ecclesiasticis bonis de quibus non est secularium Principum pronunciare, alia est ratio.

17. Erit qui obiiciat, factũ Childeberti de quo Aymonius l. 2. hist. c. 8. & 20. & in hunc modum Greg. Turon. l. 3. hist. Franc. c. 10. describens eius bellum in Hispania gestum contra Amalaricum Sororium. [Childebertus inter reliquos thesauros, ministeria Ecclesiarum pretiosissima detulit, omnia ex auro puro, ac gemmis pretiosis ornata: sed non est passus ea confringi. Cuncta enim Ecclesiis, & Basilicis Sanctorum dispensauit, ac tradidit.] Ex quo exemplo videtur inferri, non malè diripi vasa sacra Ecclesiarum hostilium, dummodo propriis Ecclesiis applicentur. Verùm quæ adducta sunt, contrarium suadent. Itaque vel

vel errauit Childebertus, vel ea sacra ministeria spectabant ad Ecclesias Arrianorum, cuiusmodi erit Amalaricus. Bona autem Ecclesiarum Arianorum, non debent potiri priuilegio bonorum verè sacrorum, & verè Ecclesiasticorum de quibus agimus. Quod dico Ecclesias Arrianorum instructas fuisse magnis thesauris, erit fortassis qui in dubium reuocet, cum videamus Synagogas Caluinistarum adeo sordere, & vacuas splendoris esse occinentibus frequentissimè Poppis illud Poetæ; *In sacro quid facit aurum*. Sed alius fuit sensus Arianorum. Videndus de immensis opibus templorum Arrianorum Procopius in histor. arcana *pag*. 51.

Mobilia profana, concredita Ecclesiæ, sacrilegè exportarentur prætenso iure belli.

18. QVod de mobilibus diuino cultui addictis, & de rebus Ecclesiasticorum, in bello ob exemptionem & immunitatem non accipiendis sine sacrilegio, dictum est; æquè à nonnullis extenditur ad bona Ecclesiæ concredita. Pro qua sententia Suares disp. 13. de charit. sect. 7. num. 14. allegat Syluestrum. V. *bellum* in fine: sed ibi Syluester non agit nisi de personis ad Ecclesiam, confugientibus, quas certum est debere potiri iure asyli, nisi Ecclesiam verterint in arcem, & ex ea munita, hostes læserint: Tunc enim, & ipsi, & eorum arma, & commeatus pugnæ vniuersus, cedunt hostibus victoribus. De ijs verò quæ ad solam securitatem fuerint Ecclesiis illata, nihil habet Syluester. Ipse verò Suares eo loco, affirmat nihil de hac re esse certi, sed seruandam esse consuetudinem. Si tamen perstaret in doctrina quam vidimus ab eo tanta asseueratione traditam, de rebus in Ecclesiam quomodolibet importatis omni securitate donandis, nec sine sacrilegio accipiendis, iuxta caput *quisquis* 17. q. 4. multo magis dicendum videretur, res Ecclesiæ concreditas, & in loci sacri velut tutela repositas, non posse accipi absque sacrilegio, prætextu belli. Et ita planè videtur affirmandum, vtcunque habeat vsus, imo abusus & corruptela contraria, passim vigens inter bellatores Dei oblitos. Iam olim, de hoc sacrilegio sic constitutum lego in legibus Alamannorum, tempore Regis Clotarij conscriptis tit. 5. num. 1. [Si quis res suas ad Ecclesiam commendatas habuerit, & aliquis eas exinde rapuerit; si per furtum hoc fecerit, ipsas res in capitale restituat; & sicut ipsæ res valuerint, hoc nouimpliciter componat: Iterum atque iterum simile faciat. Hoc sunt per ter nouimpliciter. Ita omnia ei cuius res sunt componi debent. Ecclesiæ verò quam inhonorauit 36. solidos componat. Si verò per virtutem hoc raptor de Ecclesia abstulerit, dupliciter domino componat, & duodecim solidos. Ecclesiæ verò, sicut superiùs commemoratum est, triginta sex solidos componat.] *Per virtutem* rapere quod hic contraponitur furtiuæ seu clanculariæ abductioni, idem est quod rapere per vim; quod quia truculentius est & nouam iniuriam continet supra furti & sacrilegij iniustitiam, vt suo loco est declaratum, meritò decernitur longè auctiùs puniendum, quàm simplex furtum sacrilegum; nempe altero tanto graui mulcta, insupérque solidorum duodecim adiectione.

19. Ipsi Ethnici, religione verari se arbitrabantur, quæ hostium diis erant consecrata diripere, vt ex Vitruuio l. 2. Dione l. 42. Plutarcho in Cæsare, no-

tauit Brodæus l. 5. miscell. cap. 29. Qui verò ea diripere solebant Romani, non priùs id præstabant, quàm ea profanassent, euocatis ante exportationem diis per sacerdotes, & inuitatis ad Romanas sedes augustiores, vbi magnificentiùs exciperentur. Et ita habetur ex Vlpiano l. *sacra* ff. *de rerum diuis.* In quam rem plura congerit Faber. 2. semest. cap. 4. *pag.* 39. & Brodæus l. 4. miscellan. cap. 17.

Immanitas sacrilegij in exportatione mobilium sacrorum, vel Ecclesiæ concreditorum.

20. OMnis igitur rei mobilis sacræ, aut custodiæ vel tutelæ sacri loci concreditæ, expilatio; sacrilega est, vt decernitur in Synodo Constantinop. quæ dicitur 1. & 2. can. 10. Eius verò sacrilegij atrocitas, præsertim si vim habeat adiunctam, æstimanda est penes irreuerentiam iniustitiæ adiunctam, qua supra læsionem & conculcationem dominij humani in rem quæ accipitur, Deus ipse violatur. Non dico Deum esse, immediatum dominum mobilium Ecclesiæ de quibus agimus, vt tulit aliquorum sententia tacta superiùs atque reiecta. Tantùm igitur dico, tametsi dominium mobilium de quibus agimus, non est immediatè penes Deum: tamen eius maiestatem violari in hoc facto; quatenus res vel cultui eius addicta, vel pertinens ad eius domesticos, aut sacri (vt ita dicam) palatij tutelæ commissa, perinde vsurpatur, ac si profana esset: omnique immunitatis titulo destitueretur. Huc spectant varia testimonia antiquorum Pontificum, aduersùs rerum sacrarum expilatores quæ colliguntur in Synodo Carisiaca inter capitula Caroli Calui, puncto 20. vbi post longam aduersùs fures & raptores rerum alienarum conclamationem, ad mobilium sacrorum direptionem versa oratione, additur. [Audiant raptores, Væ ei qui multiplicat non sua vsquequo, & aggrauat contra se densum lutum. Densum lutum contra se aggrauare est terrena lucra cum pondere peccati cumulare. Audiant quid Christus dicat: Quid prodest homini si totum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum fiat? id est, quid prodest homini si totum quod extra se congregat, sed hoc solum quod ipse est damnat? Audiant quòd illa, quæ rapiunt in hoc seculo deficient, aut in seculo dimittent: sed secum ad iudicium causas rapinæ, id est damnationem secum ferent. Et alibi scriptum est. Audiant quid Propheta Isaias dicit: *Rapina pauperis in domo vestra, & causa viduæ non ingreditur ad eos: & lachryma viduæ vsque ad maxillam descendit, & Dominus non delectabitur in illis.* Audiant, quia in cuius domo rapina est, siue in domo mansionis non habeat in illa domo Spiritus sanctus, sed Spiritus malignus, & si accedit ad communionem corporis & sanguinis Christi ante dignam satisfactionem, non mundatur per illam communionem à peccato; sed pleniùs sicut Iudas, quando in cœna plenus rapina & iniquitate communicare præsumpsit de manu Christi, possidetur à Diabolo. Vnde & suppensus crepuit medius. Et ad quem causa viduæ non ingreditur, nec ipse si digne non satisfecerit, in cœlestem Ecclesiam intrare valebit. Audiant rapaces & prædatores, quid iterum Propheta dicat. *Qui prædaris, nónne & ipse prædaberis?* videlicet quia ille qui prædatur res pauperum, & Ecclesiarum, ac seruorum

Dei

Dei, prædatur à Diabolo, & præda illius fit. Audiant quid S. Paulus Apoſtolus dicat, per quem locutus eſt Chriſtus & qui raptus fuit vſque ad tertium cœlum, & qui raptus fuit in paradiſum & audiuit talia ſecreta verba, quæ non licebat homini loqui. Ait namque, quia *neque rapaces, neque homicidæ, neque adulteri regnum Dei poſſidebunt.* Vnde intentat quale quantúmque peccatum peccatum eſt rapina, quam cum adulterio & homicidio ſanctus comparauit Apoſtolus. Item ipſe dicat: *Si quis fornicator, aut adulter, aut rapax, aut homicida eſt, cum huiuſmodi nec cibum ſumere* Chriſti diſcipulo, id eſt Chriſtiano, licet ante ſatisfactionem, id eſt correctionem, ac emendationem & dignam pœnitentiam. Audiant quid S. Ioannes Apoſtolus electus & dilectus Chriſti, qui in cœna ſuper pectus eius recubuit, talem hominem ſalutare vetat dicens; *Nec aue ei dixeris, neque in domum receperis.* Audiant quid in Toletano Concilio Sancti Epiſcopi, qui in cœlo cum Deo regnant & in terris miraculis coruſcant, de totius mundi partibus congregati decreuerunt. Si quis, inquiunt, de potentibus clericum, aut quemlibet pauperum, aut religioſum expoliauerit, & mandauerit ad ipſum Epiſcopus, vt eum audiat: & ſi contempſerit inuicem mox ſcripta percurrant per omnes Prouinciæ Epiſcopos quoſcunque adire potuerit, vt excommunicatus habeatur donec audiat, & reddat aliena. Ecce de pauperum raptoribus. Audiant raptores & prædones rerum Eccleſiaſticarum, quid S. Anacletus Papa, ab ipſo beato Petro Apoſtolo preſbyter ordinatus cum totius mundi ſacerdotibus iudicauit. Dicit namque. Qui abſtulerit aliquid patri, vel matri, homicidæ particeps eſt. Pater noſter ſine dubio Deus eſt, qui nos creauit: mater vero noſtra, Eccleſia, quæ nos in baptiſmo ſpiritualiter regenerauit. Ergo qui Chriſti pecunias & Eccleſiæ rapit, aufert, vel fraudatur, homicida eſt, atque homicida, ante conſpectũ iuſti iudicis deputabitur. Qui rapit pecuniam proximi ſui, iniquitatem operatur. Qui autem pecuniã, vel res Eccleſiæ abſtulerit, ſacrilegium facit, & vt ſacrilegus iudicandus eſt. Item S. Vrbabus Papa & martyr: res & facultates Eccleſiæ oblationes appellantur, quæ Domino offeruntur & vota ſunt fidelium, ac pretia peccatorum, atque patrimonia pauperum. Si quis illa rapuerit, reus eſt damnationis Ananiæ & Saphiræ, & oportet huiuſmodi tradere Satanæ, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini. Item S. Lucius Papa: rerum Eccleſiaſticarum & facultatum raptores à liminibus S. Eccleſiæ anathematizatos Apoſtolica autoritate pellimus & damnamus, atque ſacrilegos eſſe iudicamus, & non ſolùm eos, ſed & omnes conſentientes eis, qui non ſolùm qui faciunt rei iudicantur, ſed etiam qui facientibus conſentiunt. Par enim pœna, & agentes & conſentientes comprehendit. Et S. Auguſtinus in ſermone Euangelij S. Ioannis ita dicit: Fur ſacrilegus loculorum ſacrorum, & dominicorum eſt Iudas, & qui aliquid de Eccleſia furatur & rapit, Iudæ perdito comparatur.]

21. Audi etiam S. Leonem nonum apud Petrum Damiani l. 5. Epiſt. 6. [Si illi qui nocuit, malum pro malo non redditur, cur æterno Pontifici, qui nobis bona pro malis reddidit, reuerentia non habetur? Verumtamen ſi Eccleſiæ prædo, Dei Filium immortalem proculdubio pontificem crederet; ſi eum vbique præſentem omnia noſſe, ac poſſe conſideraret, coram eius oculis admittere tam impium, tam ſacrilegum facinus non auderet. Sed verè in illo com-

pletur, quod per Psalmistam dicitur: *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* Porrò si ij qui bona sua Ecclesiæ conferunt, proprij reatus absolutionem fœlici commercio promerentur, consequenter etiam illi qui Ecclesiasticas facultates barbarica feritate diripiunt, in æternæ damnationis voraginem cadunt. Qui nimirum nouo & incomparabili criminis genere, sic Iudaicam perfidiam superant, vt non modò Gentilium errorem, sed & hæreticorum prauitatem detestabiliores excedant. A quibus videlicet, Christus iterum crucifigitur; & corpus eius quod est Ecclesia crudeliter laceratur. Reprimatur ergo ausus illicitus, & nefarius diabolicæ instigationis cohibeatur excessus. Abstineat manus audax Ecclesiastico patrimonio, ne victus pauperum pereat; ne quod ex oblatione fidelium iam Deo factum est sacrum, præda raptorum fiat.]

22. Nicolaus 1. Epistolo 63. quæ est ad Aquitanos, contestatus se cum magna animi amaritudine atque inexplicabili mœstitia accepisse quod Ecclesias & pia loca prædati essent, resque earum sic abreptas distraxissent; addit, omnino curandum eis esse, vt ea damna sarciant. Nam quamuis Domini sit terra & plenitudo eius, illæ tamen res quæ à piis Principibus, atque fidelibus hominibus, sacratis locis collatæ sunt, specialiter esse Domini, sine cunctatione creduntur, dum diuinis cultibus dicatæ, ac Deo famulantium vsibus, existere deputatæ cernuntur. Vnde in Deum procul dubio committunt, & ipsi præiudicium inferre probantur, quicunque has vsurpare, & sibi non legitimè vindicare non metuunt. Nimirum cum à piis quibusque locis res auferunt, Deo militantium stipendia subtrahunt, & dùm subsidium diuino cultui iugiter famulantibus adimunt, laudes Dominicas quodammodò ab ipsis hominum faucibus abstrahunt. Quamobrem vos rogamus vt ab ista tyrannide remoti, sua singulis Deo sacratis locis sine dilatione reddatis, ita vt nihil ex his apud vos retineatis.] Hæc ibi & alia Nicolaus ad Aquitanos, quos nominatim hac infamia flagrasse, constat præterea ex longa Epistola Episcoporum 14. Prouinciarum à synodo Tussiacensi apud Tullum aduersùs huiusmodi sacrarum peruasiones conscripta; Nam eam Epistolam datam esse ad Aquitanos, disertè traditur in Concilio Duziacensi 2. in synodica ad Episcopos Aquitaniæ *sub finem*, vbi variæ autoritates in hanc rem aceruantur. Quanquam non est; quod quis eam labem prouinciæ illi vniuersæ per ea tempora communem fuisse, vel nunc quoque perennare in ea arbitretur, cum potuerit esse macula aliquorum duntaxar, & obliterari cum tempore.

23. Petrus Cluniac. l. 4. Episto. 36. agens de sacrilega sacrorum vasorum venditione per fures facta Iudæis; inhonorationem vasorum sacrorum in Christum refundi, & eam iniuriam in iisdem vasis à Christo tentiri, perpulchrè tradit. Et potest etiam aduersùs duliam & obseruantiam supernaturalem, Sancto, (si eius nomine locus Deo sanctificatus sit), violato delinqui. Quamuis enim hi tituli subordinati sint, tamen sunt distincti, & contra diuersas virtutes; sicut cultus sancti, diuersus est à cultu numinis, cum cultus sancti non est purè respectiuus, estque actus non religionis seu latriæ, sed duliæ, & è contrario persuasissimum omnibus est, quod de S. Victricio dixit S. Paulinus Epistola 28. Contumelias sanctorum subitò plectit Deus, qui suas diu dissimulat: cordati quique etiamsi barbari, præ sanctorum veneratione à sacrilegiis sunt auocati.

Etiam

Etiam Barbari, ab huiusmodi sacrilegio abhorruerunt.

24. EXemplum in hanc rem planè insigne est, quod de Alarico Gotho scribit his verbis Orosius l. 7. hist. cap. 39. [Adest Alaricus trepidam Romam obsidet, turbat, irrumpit. Dato tamen præcepto prius, vt si qui in sancta loca præcipuéque in sanctorum Apostolorum Petri & Pauli basilicas confugissent, hos in primis inuiolatos, securósque esse sinerent. Tum deinde in quantum possent, prædæ inhiantes, à sanguine temperarent. Accidit quoque quo magis illa vrbis irruptio indignatione Dei acta, quàm hostis fortitudine probaretur, vt Beatus Innocentius Romanæ Ecclesiæ Episcopus, tanquam iustus Loth, subtractus à Sodomis, occulta prouidentia Dei apud Rauennam tunc positus peccatoris populi non videret excidium. Discurrentibus per vrbem barbaris, fortè vnus Gothorum, idemque potens & Christianus, sacram Deo virginem iam ætate prouectam, in quadam Ecclesiastica domo reperit, cumque ab ea aurum, argentúmque honestè exposceret, illa fideli constantia, esse apud se plurimum, & mox proferendum spopondit, ac protulit. Dumque expositis opibus, attonitum barbarum magnitudine, & pondere, ac pulchritudine, ignota etiam vasorum qualitate intelligeret, virgo Christi ad barbarum ait: Hæc Petri Apostoli, sacra ministeria sunt. Præsume, si audes. De facto tu videris. Ego quia defendere non valeo, neque tenere audeo Barbarus verò ad reuerentiam religionis, timore Dei & fidei virginis motus, ad Alaricum hæc per nuntium retulit, qui continuò reportari ad Apostoli basilicam vniuersa, vt erant, vasa imperauit. Virginem etiam, simulque omnes qui se adiungerent Christianos, eòdem cum defensione deduci. Ea domus à sanctis sedibus longo, (vt ferunt) & medio interiectu vrbis aberat. Itaque magno spectaculo omnium disposita per singulos singula, & super capita elata palam aurea atque argentea vasa portantur; exertis vndique ad defensionem gladiis, pia pompa munitur. Hymnos Deo Romanis barbarísque continentibus, publicè canitur. Personat latè in excidio vrbis salutis tuba, omnésque etiam in abditis latentes, inuitat ac pulsat. Concurrunt vndique ad vasa Petri, vasa Christi. Plurimi etiam pagani, Christianis professione, si non fide, admiscentur: & per hoc tamen ad tempus, quo magis confundantur, euadunt. Quantò copiosiùs aggregantur Romani confugientes, tantò auidiùs circumfunduntur barbari defensores.] Homo barbarus & Arrianus, quanti essent res Deo & sanctis eius dicatæ, non ignorauit; & ex quo religiositate ex eo respectu perfunduntur, immunitate omnimoda potiri debere non dubitauit. Quoad factum commendatur à S. Augustino 1 ciuit. cap. 1. & 7. & l. 2. cap. 2. quoad immunitatem personarum, Quoad immunitatem verò rerum, laudatur apud Cassidorum 12. Var. Epist. 20. tametsi præfertur Athalaricus; qui eadem sacra ministeria liberalitate toto orbe narranda, ab Agapito Papa pignori data ad grandis summæ cautionem, iussit gratis restitui Ecclesiæ.

CAPVT TERTIVM.

Ira Dei in expilatores mobilium sacrorum.

1. ALITER se gessisse plerosque, etiam Catholicos, quàm fecerat Alaricus, & plerosque etiamnum grassari in res sacras, certum est iugibus & quotidianis exemplis, sed magna numinis violatione. Hinc illa Dei aduersùs huiusmodi rerum expilatores, frequentibus experimentis testatissima ira. Pauca selectiora exempla annotare ex innumeris operæpretium est, ijs primùm recensitis, quæ tum clam, tum apertè & vi adhibita factam rerum sacrarum expilationem spectant: tum subiunctis ijs quæ pertinent ad mobilia concredita Ecclesiæ & velut commissa eius tutelæ, quæ aliqui pressè dictis sacris bonis annumerant: tandem ijs adhibitis quæ peculium Ecclesiasticorum constituunt, & eatenus sacra sunt & immunitatem habere debent, quatenus personarum sacrarum sunt propria. Sic non incommodè digeri poterunt quæ permixtim referunt Demochares l. 3. de sacrif. cap. 30. Brendebachius l. 5. collat. sacrarum per multa capita & Ribad. l. 1. de princ. cap. 37. & 38. necnon Ioannes à Cochier in Parænesi ad Sectarios à capite 13. quibus addemus alia.

Selecta exempla, vltiorum diuinarum, in sacrorum mobilium expilatores.

2. IN prima classe, quoad res sacras clam exportatas, præclarum exemplum recitat Edinerus l. 2. vitæ S. Anselmi *ferè initio* de Chrismatorio clam subducto per Clericum. [Quidam Clericus (inquit) inter alios de Londino veniens, sèque inter Clericos, quasi ad comministrandum miscens, chrismatorium Pontificis clam subripuit, & in turbam mersus, fugam arripuit. Dum igitur iter quod Londiniam ducit, ingressus cum furto fuisset, reflexit gressum, non autumans se ad locum, quem fugiebat festinare. Sed cum rediens, adunatæ plebis multitudinem reperisset, animaduertit se cupitum iter permutasse, & quâ venerat viam repetit. Aliquantum processerat, & iterum visum est sibi eò tendere quò fugiebat. Factum est hoc frequentiùs, & nunc hâc, nunc illâc, nesciens quò iret, erroneus ferebatur. Populus autem, qui eum sic se habentem intuebatur, quidnam haberet mirabatur. At vbi ministri Pontificis vas chrismatis perditam esse cognouerunt, confusi, & tumultuantes discurrunt; quod perditum erat, hinc inde quærunt, ignorantes à quo vel vbi id certò quærere debeant. Rumor damni fertur in populum, & opinio multorum cadit in erroneum Clericum. Capitur & sub cappa illius, vas abreptum inuenitur. Refertur Antistiti, quod actum erat. At ipse modesto vultu, mentéque tranquilla, statim iussit culpam ignosci, & Clericum ad sua liberum dimitti. Tunc ille, iter quod furto grauatus nullatenus tenere sciebat, liber illicò & nihil hæsitans ingressus agebat.];

35 [De

3. [De ære campano clam subducto, quod mansit mutum (vt sic dicam) apud eos qui expilarant, & apud eos qui ab expilatoribus acceperant; restitutum autem vero domino, denuo factum est vocale, narrat exemplum Flodoardus hist. Rhem.l.c.12. In exemplum pœnæ huiusmodi clanculariarum acceptionum rerum mobiliũ sacrarum, synodus Aquisgranensis sub Pipino Rege l.2.cap.1.profert Achanem & eius supplicium:Concluditque. [Valdè pauenda sunt hæc, & omnibus fide Christi insignitis cauenda, ne propter aliorum illicitum, imò sacrilegum factum; nec secum (quod absit,) Dominum habeant, nec coram inimicis suis stare præualeant.Patratores autem tam immanis,immo sacrilegi facti, magnoperè cauere oportet, ne propter suam cupiditatem, quam erga res Deo sacratas aut exercent, aut exercere cupiunt, sibi ad instar Achan, mortem æternam, aliisque Dei offensam, & coram hostibus suis adquirant miserabilem ruinam.]

4. Vt est in rapina huiusmodi bonorum multo plus sceleris, & insana impiorum multorum cupiditas, ne his quidem sacris rebus vi aperta exportandis plerunque abstinuit; ita robusta Dei manus non rarò in huiusmodi sacrilegos vindex surrexit. Achaz sacrilegus vt est. 2. Paral. 28. & 4. Reg. 16. quot & quàm magnis malis à Deo in vita & morte sit contritus, neminem latet. Item notissima est ex Danielis libro, historia Nabuchodonosoris, qui expugnata vrbe Ierusalem, abstulit vasa domus Domini, & asportauit ea. Quanta in eum vltio diuina detonuerit, omnes audierunt. Nam ex hominibus abiectus, & non secus ac bos fœno pastus, & conspersus rore cœli, per septennium, vitant vixit propè ferinam. Pronepoti autem eius Balthazari, quam malè cesserit ea per proauum exportatio sacrorum vasorum, manifesto argumento est, quod tum demum completæ sunt eius iniquitates, cum iisdem vasis proferri iussis, ostentui habuit sacram supellectilem, vt Daniel cap. 5. disertè expressit. Notauit ista ad hoc negotium Concilium Aquisgran. sub Pipino l. 2. à cap. 19. ad 21. Et præiuerat Prosper p. 2. de promiss. n.34. qui sic concludit. [Videant, videant superbi Reges, qui ausu mentis suæ, vasa domus Dei diripientes, quæ iustè ille ministris precantibus tradidit,sina vlla reuerentia contrectantes; Deo, cuius nomine consecrata sunt, videntur contumelias irrogasse. Quorum finis vtique mors est, qu... ...et finem.]

5. Antiochi Regis sacrilegia, his verbis describuntur 1. Machab. cap. 1. [*Intrauit Antiochus in sanctificationem cum superbia, & accepit altare aureum, & candalabrum luminis, & vniuersa vasa eius, & mensam propositionis, & libatoria, & phialas, & mortariola aurea, & velum, & coronas & ornamentum aureum quod in facie templi erat; & comminuit omnia. Et accepit argentum & aurum, & vasa concupiscibilia: & accepit thesauros occultos, quos inuenit, & sublatis omnibus abiit in terram suam.* Hanc sacrilegiorum densissimorum atrocitatem, quæ suppliciorum immanitas sit consecuta eiusdem libri c. 6. exponitur, iuncto c. 9. libri secundi: quibus locis plenè describitur, in quos fluctus tristitiæ deuenerit, qui iucundus erat, & dilectus in potestate sua; quámque horrendo mortis genere exportatus sit, vasa Domini exportauerat per sacrilegium. Concludit huius exempli expensionem in rem præsentem Conc. Aquisgran. sub Pipino l. 2. c. 26. [Horrida planè, cunctisque mortalibus est pertimescenda mors tam ter-

ribilis, sceleſtiſſimi Regis Antiochi, qui pro eo, quod auſus eſt téplum intrare & contaminare, & vaſa Dei ſacrata inde auferre, atque ſceleſtis manibus ſancta vaſa, quæ ab aliis Regibus ad ornatum loci, & gloriam Deo fuerant oblata, indignè contrectare, & in ſuos nefandiſſimos vſus conuertere, iuſto Dei iudicio, tam horribili morte meruit occumbere. In cuius interitu ſagaciter animaduertendum, quod Deus omnipotens inuaſionem vel ablationem ſibi oblatarum rerum, inultam nec dimittit, nec dimiſit, nec dimiſſurus ſit.]

6. Sub Iuliano Apoſtata, Iulianus Præfectus Orientis, patruus Apoſtatæ & Felix præpoſitus regalium theſaurorum, ac Elpidius Comes rerum priuatarum, (quorum duo poſteriores, in gratiam Imperatoris, Chriſtianiſmi deſertores); ad diripienda vaſa ſacra, quæ Conſtantinus Magnus & Conſtantius dicarant, Antiochenum ſacrarium per vim ingreſſi, vt ſcribit Theodoretus 3. hiſt. c. 11. & 12 & Nicepho. l. 10. c. 29. ſacrilegæ prædationis graues pœnas dedere: Iulianus enim non ita multo poſt, ad dies quadraginta ita diſtentus tacuit, vt neque loqueretur neque ſentiret quicquam. Deinde recuperata vi ſentiendi; ab vxore, Chriſtiana & pia fœmina, de impietate admonitus, tametſi vtcunque reſipuit, & vt vaſa ſacra in Chriſtianorum templum referrentur; Imperatorem rogauit, tamen triumphatore non parcente; nec flexo pœnitudine, horrenda morte defunctus eſt. Nam ventre vniuerſo putrefacto, & vermibus immaniter in eo ebullientibus exeſo, etiam ſtercoribus per os egeſtis, inter inexplicabiles cruciatus ſacrilegam animam expuit. Felix, & ipſe perbreui extinctus eſt, vniuerſo ſanguine per ruptam venam effuſo. Elpidius affectatæ tyrannidis compertus, bonis omnibus exutus, turpi morte poſt multas ærumnas extinctus eſt; Deo cùm alia, tum hæc nominatim, ſacrilegia, plectente. Ipſe Iulianus ſacrorum bonorum inuaſor, vt latè proſequitur Sozom. l. 5. c. 5. quantas Deo pœnas dederit, non eſt obſcurum. Et quod S. Ambroſius in Monodia Valentiniani annotauit, cum plurima reperiſſet, exhauſit omnia, hoc eſt non tantùm è templis noſtris corraſa, ſed etiam in theſauris Regiis aſſeruata iampridem.

7. Iuſtina mater Valentiniani II. Arriana, ſacra vaſa per Tribunos auferri ab Eccleſia iuſſit, ſed obſtitit infracto animo S. Ambroſius, cuius illa ſunt in allocutione ad populum poſt Epiſtolam 31. [Cum eſſet propoſitum, vt Eccleſiæ vaſa iam traderemus, hoc reſponſi reddidi; me, ſi de meis aliquid poſceretur, aut fundus, aut domus, aut aurum, aut argentum, id quod mei iuris eſſet, libenter offerre: Templa Dei, nihil poſſe decerpere; nec tradere illud, quod cuſtodiendum non tradendum acceperim. Deinde conſulere me etiam Imperatoris ſaluti, quia nec mihi expediret tradere, nec illi accipere. Accipiat enim vocem liberi Sacerdotis; Si vult ſibi eſſe conſultum, recedat à Chriſti iniuria.] Quantæ deinceps calamitates, trucem fœminam quæ vaſa ſacra expilare tentauerat, Deo iuſtè irato exceperint, notum eſt ex Eccleſiaſtica hiſtoria.

8. Proculus quidam, in Prouinciam Zeugitanam à Geiſerico Vandalo, miſſus, ad miniſteria diuina, (id eſt vaſa ſacra quorum vſus eſt in ſacro miniſterio), exportanda, & fiſco vendicanda; cuncta rapaciter depopulans, eoque progreſſus veſaniæ, vt de palliis altaris, camiſias ſibi & femoralia faceret; haud

ita

ita multò post, vltorem Deum expertus, turpissima morte consumptus est, frustatim sibi linguam commandens, vt Victor Vticensis lib. 1. histor. *sub finem* recitat. Quanquam erat ibi præter rapinam, sacrilega pallarum altaris profanatio, quæ sola iram Dei deuocare potuisset. Alia affinis in hanc rem narratio apud P. Dami. l. 2. Epist. 8. legi potest. [Leonem Constantini Copronymi filium, initio religiosum ac pium, postea sacrilegum factum, diuina vltio breui excepit. Cum enim & aliis gemmis, & præsertim carbunculo inæstimabilis pretij, insignem coronam à Mauritio Ecclesiæ donatam abstulisset, & suo capiti imposuisset, subitò ei caput intumuit, & carbunculari (vt vocant) morbo correptus, inter magnos dolores vitâ excessit, vt scribunt Zonaras Tomo 3. & Glycas parte 4. Annalium. Gundericus Rex Vandalorum, capta Hispali, impiè elatus, manus in eiusdem ciuitatis Ecclesiam iniecit; sed mox vltorem Deum sensit; Nam à dæmone correptus, interiit; vt scribit Idacius in Chronico, anno Christi 440. num. 4.

9. Isaaci Angeli in hoc genere sacrilegia, describit his verbis Nicetas Chomates l. 3. de eius imperio *sub finem*. [Ea fuit audacia (ne quid dicam grauius,) vt sacra vasa profanaret; & templis auulsa, mensis suis adhiberet. In comessationibus quoque, ex gemmis pretiosis & solido auro, calicum instar facta donaria, quæ supra Imperatorum monimenta pendebant, manibus versabat; & peluibus insuperabilis elegantiæ, quibus se Leuitæ & Sacerdotes, cum sacra mysteria tractant, mundare solent, pro malluuiis vtebatur. Auferabat particulas de venerandis crucibus; item ornatum maximi pretij de immortalibus Christi oraculis, iisque pro monilibus, & torquibus vtebatur: Ipsos verò codices aliis Imperatoriis stolis, quæ nihil haberent admirationis inuoluebat, & grauiter succensebat ijs à quibus monebatur, ea facta non expedire religioso Imperatori, qui pietatem à maioribus accepisset; nec aliud esse quàm sacrilegium, eósque vt manifestè delitos, & honestatis ignaros arguebat. Licere enim Imperatoribus omnia, & inter Deum, & Regem, quod ad terrenarum rerum gubernationem attineret, non eam esse repugnantiam, quæ sit inter negationem & affirmationem, contendebat. Ac vt probaret (scilicet), se eo nomine non esse reprehendendum; primi & summi inter Christianos Imperatoris Constantini exemplum adducebat, qui alterum clauum, quibus gloriosus dominus execrabili cruci fuit affixus, fræno equi inseruerit, alterum galeæ infixerit. Sed causam de industriâ dissimulabat, cur Christianæ religionis princeps, eiusmodi rebus se ornarit; vt videlicet Gentilibus ostenderet, prædicationem crucis esse diuinam potentiam, quam ipsi vt dementiam aspernabantur.] Quam carò Isaaco steterit hæc sacrilega audacia, mox consecuta per fratrem Alexium deiectio ex imperio, & exoculatio, omnisque calamitas, demonstrauit.

10. Dagoberti Francorum Regis iuuenilis licentia in Ecclesiis expilandis, diuino viso grauissimè correpta est, vt ipsemet testatum reliquit, diplomate de fundatione Cœnobij Vvallemburgensis, quod memorat Trithemius lib. 2. Compendij annalium de orig. rebúsque Francorum. Chilperici Franci inopiam, & horrendam necem, describens Gregorius Turon. l. 6. histor. Franco. c. vltimo, causam nominatim refert, in odium Ecclesiarum & dirruptionem te-

ſtamentorum quæ in Eccleſiis conſcripta erant ; cum ea eſſet querela illius frequens , fiſcum pauperem eſſe , Eccleſiam verò omnes regni opes abſorbere. De eius damnatione , viſum Guntranno Regi obiectum , narrat idem Grego. lib. 8. cap. 5. In opere Aldreualdi & Aymoini Floriacenſium , de miraculis S. Benedicti , multa paſſim in hanc rem occurrunt : vt l. 1. cap. 18. de Rahone Comite l. 1. cap. 21. de Matfrido Comite. Ibid. cap. 24. de Eptagio & Theodoino Aduocatis cap. 26. de latronibus cap. 27. de audaci milite l. 2. cap. 7. & 8. l. 3. c. 8. l. 4. cap. 15. 16. & 18. alia narrantur.

11. Eximia planè ſunt, quæ ad calcem vitæ S. Auſtregiſilli cap. 14. (apud Surium 20. Maij) conſcripta habentur , paulò quidem longius , ſed multiplici varietate. [Cum Pipinus (ait autor) Francorum princeps , aduersùs Eudonem Aquitaniæ Principem pugnaturus, ad Bituricenſe oppidum veniſſet , Barbari in villa , quæ Carobeias dicitur , domum Sancti Auſtregiſilli , in qua ille crebrò dormierat, inflammare voluerunt ; nihil fracti admonitionibus vicinorum, qui illis dicebant , diuinitus multa illic edi miracula. Sed ſimulátque domum incenderant , arrepti à Dæmonibus , partim ſe in ipſas flammas iniecerunt , partim dentibus ſe laniarant , partim membra ſibi corporis truncarunt. Vbi Pipinus id cognouit , exercitu eius ea re valdè exterrito , edicto cauit ne quiſquam, res , aut villas S. Auſtregiſilli attingeret. Non multò poſt Eudo eandem Carobeiam obſidens , Agnum virum primarium in Monaſterio B. Auſtregiſilli manere iuſſit. Ille verò res monaſterij omnes , illic repertas , diſtribuit comitibus ſuis. Poſtquàm autem vrbs ſe Eudoni dedidit , eſſétque pax proclamata , Abbas eius monaſterij Bertradus , cum muneribus profectus eſt ad Agnum , dixítque ei ; accipe exiguum munus argenti , quod fratribus relictum eſt , miſericordémque te præbe ſeruis Dei , vt poſſint viuere , & pro te rogare Deum. At ille nimium ſuperbus , Abbatem irridens , ait : Eudo dominus meus iuſſit, vt te ipſum , vel in carcerem coniiciam , vel captiuum abducam ; & tu me rogas pro monachis tuis ? Redit Abbas ad fratres ſuos : narrat fruſtra ſe rogaſſe Agnum : Monet , vt ad Dominum , & Auſtregiſillum preces fundant. Eunt monachi ad ſepulchrum Beati viri;cum multo dolore & lachrymis preces Deo offerunt ; ita dicentes : Vides omnipotens Deus , res quas dediſti nobis, vt tibi ſeruire poſſimus , improbum hominem vſurpare ſibi. Interim Agnus omnes S. Auſtregiſilli villas perluſtrans , quidquid inuenire poteſt , ſecum abducit. Porrò iter agenti apparet S. Auſtregiſillus in ſomnis ; dicítque ei, cur tam immaniter me deprædatus es, & fratres meos tanto mœrore affeciſti ? His dictis, grauiter eum verberat in capite. Euigilat miſer , atque voce clamitat : Succurrite mihi : En Auſtregiſillus Epiſcopus me cecîdit , nec mihi ſpes viuendi vlla relicta eſt. Ocyùs ite ad Eudonem principem , qui me iuſſit res S. Auſtregiſilli occupare ; rogetíſque eum , vt me ſuis facultatibus redimat. Ego enim dum illi pareo , hac me calamitate implicaui. Eudo his auditis valdè extimuit, iuſſitque omnia confeſtim reddi , quæ Agnus erat prædatus ex villis Beati viri, vetuítque nequis deinceps quicquam ex eius rebus ſibi vſurparet. Deinde menſæ aſſidens , memor Agni , miſit ad eum quoddam vaſculum argenteum, vt illud in ſcelerum ſuorum emendationem offerret Deo. Agnus autem , vt vidit tam exiguum munus , ait : Quantillum eſt hoc , vt offeram pro immuneris maleficiis

leficiis

leficiis meis? & his dictis: expirauit. Paulò post à monasterio S. Austregisili, Fredegisilus vnus ex proceribus Eudonis, abegit iumenta. Cúmque ea multámque aliam prædam ad suas ædes adduxisset, iámque homo superbissimus ea inter suos partiri vellet, mox acri correptus febre, vitam desperat suam. Venit autem illi in mentem, S. Austregisillum monachos suos ad omni secularium hominum iniuria tueri solere, nec ferre vt quisquam impunè eos lædat. Itaque Salomoni Abbati monasterij, & fratribus eius, remittit ea quæ abstulerat, multúmque orat, vt dominum pro ipso deprecetur, vt & salutem corporis & sceleris sui veniam obtinere queat. Abbas monasterij, cum eulogiis mox nuncios mittit ad eum, qui ei S. Austregisilli benedictionem offerant. Ille gratias agit, inuocat S. Austregisillum cum multa reuerentia; percipit ex ijs quæ Abbas miserat; statimque vigore recepto, à ministris se iubet deportari ad iumenta, vt suis manibus redderet ablata. Quod cum fecisset, illicò pristina illi salus reddita est. Per idem tempus, Adroaldus, vnus ex Eudonis comitibus, Abbatem S. Austregisilli Bernadum, captiuum detinuit, voluitque vt auro & argento se redimeret. Compulsus Abbas, quicquid auri & argenti habere potuit, atque insuper valdè inuitus calicem vnum aureum, aliáque sacrata vasa ipsius cœnobij, illi dedit: atque ita dimissus, ad fratres mœstissimus rediit. Ille verò nocte ac die rogabat S. Austregisillum, vt ablata curaret reddi. Et ecce magnus timor peruadit Adroaldum, & neque edere, neque bibere, non dormire, non stare, non ingredi potest. Aderat illic seruus Dei Iulichannus, à quo petiit consilium, quid agere deberet cum illi morbum suum aperuisset. Ille verò homo doctissimus, & valdè sapiens, quæsiuit ab eo, num quid ex rebus Sancti Austregisilli vsurpasset iniquè. Fatebatur Adroaldus, se calicem aureum Austregisilli, & permulta alia apud se habere. Tum ait ad eum vir Dei: Non audiuisti quemadmodùm Sanctus Austregisillus punit hostes suos? Si vis vel in crastinum prorogari vitam tuam, actutum restitue ablata illi. Adroaldus multo terrore correptus, remisit omnia, & sanitas rediit; ac deinde quoad vixit, vota B. Austregisillo persoluens, pro sui castigatione gratias illi egit.]

12. In actis S. Seuerini Noricorum Apostoli cap. 45. de Federico fratre Regis Rugorum sacrilego, sic scribitur apud Surium 8. Ianuar. [Federicus B. Seuerini morte comperta, pauper & impius, barbara cupiditate semper immanior, vestes pauperibus deputatas, & alia nonnulla credidit auferenda. Cui sceleri sacrilegium copulans, calicem argenteum cæteráque altaris ministeria, præcepit auferri. Quæ cum posita essent in sacris altaribus, nec auderet directus villicus, ad tale facinus suas manus extendere, militem quendam Anicianum nomine, compulit diripere memorata. Qui quamuis inuitus præcepta perficiens, mox tamen incessabiliter vexatur omnium tremore membrorum, dæmonióque corripitur. Is autem velociter consilio meliore correxit errata. Suscepto namque professionis sanctæ proposito, in insulæ solitudine, armis cœlestibus mancipatus, militiæ commutauit officium. Fridericus (vt iam dicere cœpimus), immemor contestationis, & præsagij Sancti viri, ablatis omnibus monasterij rebus, parietes tantum quos Danubio transferre non potuit, dimisit: Sed mox in eum cœlestis vindicta peruenit. Nam intra mensis spatium, à Friderico fratris sui filio interfectus, prædam pariter amisit, & vitam. Qua-

propter Rex Odoacer, Rugis intulit bellum: quibus deuictis, & Friderico fugato, patrem eius Feletheum Regem captiuum duxit, atque ad Italiam cum noxia coniuge supra memorata, (videlicet Gisa), transmisit. Audiens verò postea idem Odoacer, Fridericum ad propria reuersum, misit illicò cum multis exercitibus fratrem suum Onulfum; ante quem denuò fugiens Fridericus, ad Theodoricum Regem qui tunc apud Nonas ciuitatem prouinciæ Moesiæ morabatur, profectus est. Onulfus autem, secundùm quod ei præceperat frater suus, vniuersos populos illic habitantes, iussit Italiam migrare. Tunc omnes incolæ, tanquam de domo seruitutis Ægyptiæ, ita de quotidiana barbarie frequentissimæ prædationis educti, sancti Seuerini oracula cognouerunt.]

13. Prodigus huiuscemodi sacrilegiorum fuit Manasses Pseudo. Archiepiscopus Rhemensis. Eum quanta Dei vltio denique exceperit, ac etiam impios sacrilegiorum eius administros, iuuat adscribere, adducto fragmento ex opere quod conscripsit Guibertus Abbas de Nouigento de vita sua, describens causam conuersionis S. Brunonis, non ita multò ante prægressi, sic scribit. [Manasses quidam post Geruasij famosissimi Rhemensis Archiepiscopi decessum, prædictæ vrbis regimini, simoniacè se intrusit. Vir quidem nobilis, sed nihil prorsus seueritatis, quæ primùm ingenuitatem docet, habens. Tantos enim fastus ex illa nouitate conceperat vt Regias peregrinarum gentium maiestates, imo maiestatum ferocitates imitari videretur. Peregrinarum dixi. In Francorum enim Regibus ea viguit naturalis semper modestia, vt illud Sapientis dictum, etsi non in scientia, in actu tamen semper habuerint. *Principem te constituerunt, noli extolli, sed esto in illis quasi vnus ex illis.* Is igitur cum milites summoperè affectaret, & Clerum negligeret, dixisse aliquando refertur; Bonus esset Rhemensis Archiepiscopatus, sin Missas inde cantari non oporteret. Huius ergo mores prorsus improbos & stupidissimos habitus, cum omnis honestus horreret, Bruno in Ecclesiis tūc Galliæ opinatissimus, cum aliis quibusdam Rhemensium Clericorum nobilibus, infamis illius odio excessit ab vrbe: quem postmodùm proceres, Clerus, atque Burgenses (cum ab Hugone qui Diensis nominabatur, Archiepiscopo Lugdunensi, Apostolicæ sedis Legato, viro in tenore Iustitiæ clarissimo, creberrimo anathemate feriretur, & ille manu militari thesauros Ecclesiæ dilapidare niteretur) à sede quam malè obsederat, pepulerunt, & exilio relegatus æterno, cum se ad excommunicatum tunc temporis Henricum Imperatorem ipse etiam excommunicatus contulisset, hac illhàcque oberrans siue communione postremò defungitur. Operæ verò pretium dici est, quiddam quod sub ipso intra vrbem malignante prouenit. Inter Ecclesiastica ornamenta quæ militibus qui suæ inseruierant tyrannidi, impertiuerat, calix aureus non parui bifariam pretij erat, quia & plurimæ quantitatis fuerat, & nescio quota inibi particula auri illius quod à tribus Domino Magis oblatum est; effusa vt ferebatur, erat. Cum ergo forcipe defectum per portiones quibus deliberauerat, dilargiretur calicem, & nemo sacratissimæ rei suscipiendæ acquiesceret, tandem scelestus quidam miles suo muneratori non impar, suscipere passus est, imo procaciter contempta Sacramenti maiestate corripiens, in amentiam illico versus, censum quem indebitè præsumpserat non expendit,

pendit, & tamen temerariæ cupiditatis continuò pœnas pependit.]

14. Paulus Monachus in vita S. Euthymij Abbatis, conscripta à Cyrillo monacho, ita de se refert. [Ego cum mihi Diaconatus munus esset creditum, in monasterio martyrij, nescio quomodò laboraui auaritia, & captus sum amore pecuniæ. Cum autem essem inops, & nescirem vnde vel mihi drachmam pararem, venit mihi in mentem, ex sacris vasis aliqua surripere, & vnumquodque eorum pretio vendere; & sic aliquo modo mihi parare possessiones. Cum verò victus essem ab his improbis cogitationibus, & Dei timorem excussissem, surripio claues ex ara, & cum locum aperuissem in quo erant reposita vasa sacra; ex ijs alia quidem mihi vsurpaui, alia autem aliis quoque contemptim distribui: Deinde cum illo Diaconatus munere functus essem, claues quidem reddo, rursus ad aram referens. Cum autem ad cœnam venissem cum quibusdam fratribus, & me vini potione exatiassem, in strato miser recumbo. Protinus verò omnis intemperantiæ cogitatio in meam diffunditur animam, perinde ac si omnes simul concurrissent. Ego autem cuius animus erat adhuc corruptus à temulentia, me lubenter tradidi his cogitationibus: quæ me assumptum sic affecerunt, vt viderer sentire fœminam, quæ vnâ mecum esset, & vnâ cum ea iacere. Protinus ergo ad me venit obscura quædam nubes & caliginosa, ea autem erat sceleratus dæmon, qui me inuaserat: à quo victus, tanquam ab aliquo hoste captus, mansi ab eo longo tempore cruciatus, & quid non graue patiens? Vbinam malefaciendi satietatem hostis cœperit, quando hoc facere fuerit in eius potestate?] Obserua gradus quibus miser sic Monachus Iudæ imitatione in extremum exitium proruit. Auaritia primùm est contactus, tum intemperantiæ subiacuit, & in cœnum luxuriæ turpiter decidit. Nec ante cedentem scelestum deseruit pede pœna claudo: Dæmonem cui in anima domicilium statuerat, corporis quoque habuit inquilinum, iusta & condigna retributione. Exemplum meritò pensandum sacris Ministris, cuiusmodi iste erat. Inde enim intelligent, quanti intersit vt sint ab omni auaritia alienissimi. His enarratis, Cyrillus subiicit deductionem suam ad Capsam S. Euthymij, & inibi factam sibi apparitionem, & initum cum Deo colloquium in hæc verba. [Ille (inquit) statim mihi apparet multa luce circumcirca refulgens, pilis canus, grauis aspectu, lætus oculis, statura breuis, promissa barba, nigra veste indutus, & virgam manu tenens, & quanam re, (inquit,) tibi opus est? Quid autem vis tibi faciam? Cum ego autem timide & subtremebundè respondissem, miserere meæ calamitatis, & à graui me libera dæmone: ille verò austerius respondens; Sed est ne tibi, (inquit,) persuasum, ex ijs quæ fiunt, nihil Deum latere? Didicisti ex ijs quæ passus es, quantum malum sit, res Ecclesiæ, aut Dei potiùs, despicere, & inconsideratè, ac temerè profundere? Nam quomodo rerum Ecclesiis consecratarum gratia apertè transit ad Deum, ipse autem rursus scit ex alio præbere remunerationes: ita qui eis malè vtuntur, non in alium, sed in illum sunt contumeliosi, & ei meritas luunt pœnas. Si enim olim Ananias cum vxore, cum ex eis quæ ipsi obtulerant, surripuissent; tantas dederunt pœnas, vt ipsi vnà cum furto morerentur; quámnam veniam consequetur, qui ne alienæ quidem parcit oblationi? Verum enim verò, (inquit) si pactum conuentum feceris, te non am-

plius rebus sacris, manus iniustas immissurum; nec te malas admittendo cogitationes, suauiter oblectaturum, te (inquit) consolabitur Deus, & te curabit. Est enim benignus & clemens, & non vult mortem peccatoris, vt diuina docent eloquia; sed vt ipse conuertatur & viuat. Propterea enim tibi mala euenerunt præsentia, quod cum tibi rerum sacrarum creditum esset ministerium, non tamen teipsum Deo conseruasti fidelem: sed statim ad dolum respexisti, & furtum, merens, vt verè dicam, vbi non seminasti, & colligens vbi non disperfisti. Hinc proficiscitur; quæ fit ab ipso, derelictio: Hinc insultus carnis, & intemperantia, & hic grauis dæmonum fluctus hinc in te inundauit. Pollicitus est Paulus emendationem, & Deus per Sancti merita eum curauit, in vtroque homine.

15. In S. Petri Tarentasiensis rebus gestis, cap.27. [apud Surium 8. Maij) pluscula in hanc rem constipantur exempla, quæ verbis Gaufridi, vitæ. S. viri scriptoris refero, cum narrat monasterij Longiuadi celebritatem ad quam vir sanctus fuerat euocatus. [Affuit (inquit) certa die Pontifex expectatus; & multitudo tanta conuenit, vt negarent viri grandes atque grandæui, similem vipiam se vidisse. Veruntamen affuit tentator, opportunitate inuenta, cuidam persuadens argenteam furari crucem, modici quidem ponderis, sed particulam ligni Domini continentem. Aduertitur à fratribus sacrilegium, & sacro Præsuli sine dilatione suggeritur. Nec cunctatur anathematizare sacrilegum, in virtute Christi præcipiens, ne priùs liceat homini, monasterij egredi fines, quam restituerit signum crucis, firmiter contestatus, quod nullatenus posset auferri. Perstitit tamen improbus vsque in diem alteram, donec Episcopus recessisset. Sed nec tunc egredi potuit, nisi priùs reddita cruce, & altari sacro vbi fuerat imposita. Viderat mulier scyphum ligneum, concupiuit visum, tulerat & absconderat concupitum, absconditum asportabat infelix. Nec mora; punitur in oculis, per quorum fenestras mors introierat. Expetit vnum è fratribus, nec dum penitus, sed penè cæca vasculum profert, cum satisfactione restituit, & vltricem criminis caliginem mox euadit. Sic accedens vnusquispiam ad monasterij ianitorem, coram eo cucullam quam male tulerat, in hæc verba proiecit: Tolle tibi cappam hanc manicatam quam frequenter attentans, efferre non potui, nescio qua virtute prohibitus.]

16. Expilator Ecclesiæ S. Mariæ quibus diuinis pœnis subiacuerit habent acta Wadrici 2. Iulij cap. 10. & 11. Expilauit Roffensem Ecclesiam Ethelredus Rex Anglorum, adigens Episcopum, vt ad pacem coëmendam centum ei libras argenti penderet, sicque vexationem redimeret. Quanta inde ei mala euentura essent prædixit ei. S. Dunstanus. Sed illud luculentum damnum fuit, quod non ita multo post, pacem ipse à Danis Angliam infestantibus redimere coactus est, decem librarum millibus, vt scribit Matthæus Vvestmnaster, anno 983. Ex eadem Insula, in hanc rem plura exempla adunauit his verbis Ioan. Sarisb. l. 8. Polycr. cap. 21. *sub finem*. [In gente (inquit) Britanniarum, sicut quædam testatur historia, ad compescendam, & puniendam Tyrannidis rabiem, gloriosissimi Martyris Regis Eadmundi manum exercuit. Cum enim Suanus Britanniæ insulam, quam ex magna parte occupauerat, vastaret, spoliaret, & membra Christi persecutionibus multis affligeret, Indictione sensus quem

lingua

lingua angloium *Danageldum* nominant, Prouinciam onerauit; præcepitque possessiones memorati Martyris Conferre in censum. Supplicatúmque est ei; contempsit preces. Missus à Martyre Religiosus Frater, sua interminatione inhibuit, ne Ecclesiam Christi, domum Martyris & liberam familiam eius, Tyrannus indebita peremerat seruitute. Sed impietas ad preces obsurduit, intumuit ad prohibitionem, ad minas indurauit; & conuitiis & iniuriis afficiens humilem nuncium, Dei vltricem accelerauit manum; flagellum prouocauit patientia Dei contempta, temeritate cœcus incurrit in mortem. Nec mora. Nam Tyrannus è vestigio expurauit. Inter milites enim agens in Castris, solus, (sicut ipse Confessus est, cum telo vidit adesse Beatum Eadmundum Increpantem eum durissimè, & cædentem ad mortem. Et ab ea quidem die, licet insula graues Tyrannos habuerit; Ecclesia Beati Eadmundi; à præfata indictione fisci mansit immunis. Nemo enim eorum, Martyrem ausus est prouocare, aut in opperiunda Ecclesia eius, periculum facere sui. Nostris tamen temporibus, Eustachius filius Stephani, qui in Ecclesiam Dei sæuire decreuerat, cum pro viribus depopulatus esset, & terram Beati Eadmundi, cui omnes prædones detulerant, videret opulentam, sibique non esset consumptis opibus Regni; vnde semel & secundò militibus æra procederent, (Iam enim defecerant donatiua,) prædia iam dictæ Ecclesiæ depopulatus est. Nondum tamen digesserat librum, quem de facultatibus loci acceperat, ipsáque die antequàm se domi suæ reciperet, quæ nimis vicina erat, lactus est Martyris manu, & lethali percussus morbo, die circiter octaua, rebus cessit & vita. Quid moror in paucis? vbi sunt, vt de domesticis loquar, Gaufridus, Milo, Ranulphus, Alanus, Simon, Gillebertus, non tam comites Regni, quàm hostes publici? vbi Guillelmus Saresberiensis? vbi Matimo, qui impellente Beata Virgine incidit in foueam quam parabat? vbi alij quorum vel nomina conficerent librum? Horum vtique malitia, insignis est infamia celebris, infelix exitus, & quem præsens ætas ignorare non potest.]

13. Narrantur in hanc rem plurima apud Hectorem Boëthium historiæ Scotorum lib. 15. quæ Annalibus suis Ecclesiasticis intexuit Bzouius anno 1347. à num 42. Quod enim Dauid Scotorum Rex in Anglos mouens, sacra & profana eodem loco habuisset, nec diuinis per somnum visis admonitus abstinuisset impietate, legatione Anglorum ad ipsum missa didicit, classem rebus sacris expilatis grauem, primùm fœdè laceratam esse, vix euadentibus nautis: qui cum postea sedata tempestate, spolia templorum denuò intulissent nauigio, in summa malacia acto in profundum nauigio, omnia periisse. Ipsius verò Dauidis aduersùs monita obfirmati, & sacris rebus nihilominus infestis, captiuitas & vulneratio, totiúsque exercitus clades, mox subsecuta refertur. Additur ibidem de nauibus Eduardi Regis in Emoniam insulam appulsis, quibus sacra supellex copiosa à Sancti Columbæ templo, sacrilegè est illata. Sed in regressu in Angliam excitata tempestate, omnes naues disiectæ sunt, aut illisæ ad scopulos, vel in profundum mersæ. Vectores voto concepto de restitutione facienda ac etiam votiuis donariis cumulanda, portum tenuere incolumes. Cum tamen aliquanto post refecta classe, in eiusdem Diui sacram supellectilem grassatum esset, & vniuersa templorum præda in liburnicam fuit immissa; nullis quas-

ſata decumanis, in ſummo æquoris fluſtro, abſorpta fluctibus, ſacrilegos prædatores fraudauit.

18. Indulfi percuſſio & mors, ob ligna monaſterij S. Andreæ, coçis ad diripiendam permiſſa, ſic narratur à Ioanne Diacono l. 4. vitæ S. Gregorij, cap. 96. [Eiuſdem Comitis homo, ſub alio tempore Indulphus vocatus eſt. Qui dum cocus pro comparandis lignis denarios peteret, nullo modo potuit impetrare; ſed nefario iure percepit licentiam, vt attegias, & feneſtras, & vicini dormitorij tabulas aggreſſus diriperet, carúmque ignibus ſibi prandium præpararet. Cum ſequenti nocte idem Indulphus ad ſeceſſum pergens, cur monaſterij tabulas tam petulanter incendi præcepiſſet, à quodam ſene diſcuſſus eſt. At ille, more Gallico ſanctum ſenem increpans *follem*, ab eo quidem virga leniter percuſſus eſt. Sed vir ſuperbus tanto pondere lapſus eſt, vt ſeminimus humi decumberet. Eodem momento ſub eadem ſpecie, cuidam clerico foris dormientis, idem ſenex apparuit, dicens: ſurge, & dic Comiti, vt ab hoc meo monaſterio, in quo diuerſorium fieri omnino non licet, antequàm me ad iracundiam prouocet, ſaluus recedat. Ecce ego familiari eius mihi obnoxio, quem videlicet percuſſum ante ſeceſſum dimiſi, congruam medelam refundam. Quem cum, quis eſſet, Clericus requireret, ipſum eſſe perhibuit, qui ex pictura, quæ lectulo præminebat, facilè potuiſſet agnoſci. Statim Clericus ſurgens, lumen arripuit, & ex picturæ ſimilitudine, ſanctam Andream Apoſtolum ſibi apparuiſſe cognouit. Itaque ad Indulphum iacentem perrexit, & eum ſemiuiuum iam reperit. Quem magnis eiulatibus clamare incipiens, tam Comitem, quàm cunctos qui ſub eiſdem domibus dormiebant, miſerabili vociferatione venire coëgit, & in faciem iacentis aquam ſuffundens per inuocationem Sancti Andreæ Apoſtoli, tandem aliquando loqui fecit, cuncta, quæ ſibi reuelata fuerant, cum eo pariter Comiti reuelauit. Qui die facto, monachos euocauit, quid contra Sanctum Andream commiſerit, querelabundis cœpit vocibus inquirere. At illi deletum dormitorium cocorum manibus oſtenderunt. Cumque Deo deuotus Comes eos vellet ſupplicio ſubiugare, confeſſi ſunt, ſe illud ædificium Indulphi iuſſionibus deleuiſſe. Pro cuius reparatione, dum Comes monachis argentum voluiſſet tribuere, Sergius magiſter militum reſtitit, promittens illud ſe pro eo continuò meliùs refecturum. Mox Comes, humiliter à monaſterij clauſtro ſecedens, ad domum Petri, filij quondam Caroli, cum omnibus ſuis ſeceſſit, neque vlteriùs in eodem monaſterio, hoſpitium ſibi dari conceſſit. Indulphus verò in domo eiuſdem Sergij magiſtri militum derelictus, diſperiit; ſibique Sanctum Apoſtolum præualuiſſe, ſuo ipſius detrimento monſtrauit.]

19. Multa in hanc rem exempla aceruauit Gul. Benedictus in c. *Raynutius* de Teſtamentis V. *& uxorem*, Deciſione 1. à n. 11. Sed ſingulare eſt quod habet. n. 16. de filio Viguerij, ſiue Prætoris Toloſani, qui citra factum, ob ſolam voluntatem prædandi & vaſtandi templum Carmelitanorum, in die Transfigurationis Domini, viſibiliter mulctatus eſt à Deo, obuerſione faciei in dorſum, qua plaga exterritus cum mente mutata ſupplex accidiſſet Beatæ Virgini, veniam exorauit, cuius memoriam quotannis ſupplicatione publica recoli, teſtatur ibidem Benedictus.

20. Fer

20. Fernandus Hannoniæ Flandriæque Comes cum accepisset Ecclesiam in qua S. Drogonis siue Driuonis corpus quiescebat; multis donariis & oblationibus esse ditatam; misit Seburgam, qui thesauros illos ad se asportarent. Renuentibus principio ciuibus, impositum est à dicentibus, peti thesauros autoritate Apostolica vt in Sancti viri Canonismum impenderentur. Abibant onusti ac læti qui missi fuerant, cum ad pontem Candeacensem peruenientes, ponte diuina vi confracto, omnes collapsi, in aquis miserè interierunt. Pandulfi Principis Capuani damnationem æternam, prodidit reuelatio apud Petrum Dam. opusc. 19. c. 9. Primariam damnationis causam, fuisse expilationem Ecclesiarum, scribit Leo Host. in Chron. Cassin. l. 2. c. 66.

21. Græci in obsidione Constantinopolitana anni 1453. qua vrbs cum imperio corruit 4. Cal. Iunij, parcentes rebus suis, defosso auro & frumento absc̄ondito, simulantes inopiam, adminiculo tantùm rerum Ecclesiæ & sacri ærarij, Turcam aliquandiu propulsarunt, donec irato per ea sacrilegia numine pessum ierunt. Vnde Leonardus Chiensis, Archiepiscopus Mitylenensis qui tempore obsessæ & deuictæ vrbis affuit, sic aduersùs Græcos exclamat. [O miseri Græci qui inopiam fingebatis. Ecce iam in lucem venerunt thesauri vestri, quos pro vrbis subsidio denegastis. Turci securibus scrinia scindunt: Fundos fodiunt pro thesauris, qui tanti reperiuntur & noui & veteres, vt nulla sit vrbs quæ tantis affluat: & omnes absconditi in manus Turcorum venerunt.] Describit hunccius locum Remundus Ruffus libro contra Molinæum n. 38. & quàm immunes esse debeant res sacræ, inde concludit. Quo tempore vrbs Geneuensis à Deo & Ecclesia deficiens sacra omnia profanauit, vnus inter ciues primarius cui Perrino nomen, cum ex Cathedrali. S. Petri Ecclesia, sacram summi altaris mensam lapideam à templo elatam, in probrum sacrorum mysteriorum asportari mandasset, vbi capitis damnati, à carnifice mulctantur, vt ei tristi ministerio deinceps deseruiret; iusto Dei iudicio, primus ipse in eo lapide capitalem damnationem perpessus est, renouato in eo, Amanis exemplo, & aliorum quos pœna in autorem recidens (varios refert Ritherusius ad l. 3. Halient. Oppiani num. 384.) celebres fecit. Rem narrat Brendebachius l. 5. collat. sacra cap. 56.

Affine exemplum, ira, in alienantem malè sacra mobilia.

22. POstremo loco inter exempla expilationis rerum sacrarum de quibus hactenus, referam insigne exemplum recitatum à Petro Damiani Opusc. 34. parte 1. cap. 1. quia tametsi acceptio vasis sacri quam diuinitus mulctatam refert, non fuit furtum vel rapina, saltem in foro fori; tamen secundùm Deum & in foro poli, videtur pertinuisse ad rapinam. Quod si hac labe caruit, inde tamen patebit, quantoperè exosam habeat Deus rerum sacrarum rapinam, qui alienationem præter canones factam, tantoperè improbauit. Sic igitur eo loco Damiani. [Amaldum Aretinæ sedis Episcopum, tu quoque familiariter agnouisti. De hoc mihi Martinus Eremita, magnæ scilicet opinionis vir, ac celebris famæ narrauit. Quia ex quodam sui iuris monasterio, calicem aureum abstulit, & quibusdam imminentibus necessariis alienauit:

cui nimirum calici, nobilis, ac deuota mulier, quæ cum Sanctis obtulerat, anathematis titulum, ne ab aliquo tolleretur, proinde fecit insculpi. Interea cuidam Fratri Sopore depresso, videre contigit quemdam locum nimij caloris ardore feruentem, & piceos, sulphureósque fœtores, non sine tetri fumi voluminibus exhalantem. Circa quem lacum, teterrimi quidam velut Æthiopes, nigris similiter equis, sed excelsis instar turrium, insidebant. Intus autem innumerabilia crudelium tortorum monstra, damnatorum verò videbantur horribilia, ac diuersa supplicia. Inter quos subitò contigit, vt etiam Arnaldum videret Episcopum; quem videlicet illis præ nimietate caloris exundantibus aquis, ceruice tenus immersum terribiles duo Æthiopes constringebant; quorum alter sartaginem ferream, alter calicem aureum, in manibus habere videbatur: Sed iste cum sartagine calicem replebat aqua, & ille labiis Episcopi protinus eundem calicem apponebat; eúmque funditus ebibere compellebat. Sic itaque nunquam cessabant, & ille poculum labiis hiantis immergere, & ipse coactus indesinenter haurire. Quid multis immoror? Hanc visionem audiuit Episcopus; vt monasterio restituat calicem, ab amicis omnino suggeritur. Ille sub *fortassis* ambiguo, reddere pollicetur. Sed dum res procrastinando differtur, immo dum circa salutem suam ille non vigilat, cælestis super eum sententia non dormitat. Nam & Beatus Petrus, de his quæ fictis verbis auaritia nogociantur, ait: *Quibus iudicium iam olim non cessat, & perditio eorum non dormitat.* Quadam itaque die, tertia propinquante iam hora, in castelli vbi erat crepidinem, sellam præcepit afferri; vt surgentis calorem solis exciperet, ac matutini frigoris reliquias propulsaret. Cúmque residenti, domestici sui, serui, atque contubernales assisterent; & ille securus, hilaris, ac iucundus, faceta cum eis, & vrbana verba misceret; subitò repentinus dolor in eius verticem, tanquam gladius irruit; eûmque *morior, morior*, exclamare coëgit. Mox baiulantibus necessariis, defertur ad lectulum, mysterium sacrosanctæ communionis accepit, ac spiritum protinus exhalauit. Timeat ergo quisquis, vel Ecclesiastici mysterij vtensilia distrahit, vel tremendi anathematis elogium paruipendit; ne dum quasi securus ambulat, latentis eum iudicij laqueus comprehendat.] Perspicuum esse potest ex hoc exemplo, quantoperè exosam habeat Deus expilationem mobilium sacrorum siue apertam & violentiæ illatione cumulatam, siue clanculariam; cum adeò seuerè vltus sit alienationem indebitam.

Illustres quædam vltiones in hos sacrilegos, prætenso belli titulo.

23. IVuat seorsim apponere selecta aliquot exempla diuinæ iræ in milites sacrilegos, qui causantes licentiam bellicam in hostes, eodem loco habent sacra & profana; nec aliter diripiunt res sacras in templis apud hostes inuentas, quàm quæ in priuatis hostium ædibus occurrunt. Nam tametsi sacrilegium est eiusdem rationis cuius præcedentia, & nonnulla ex superioribus exemplis iræ diuinæ, ad huiusmodi sacrilegos milites attinent: tamen hodie apud plerosque nomine tenus Catholicos, id non habetur pro sacrilegio. Itaque aduocandum est diuinum suffragium, aliquot illustrioribus in hos sacrilegos vltionibus, testatum. [Chagani atrocis Barbari sacrilegium, in argentea

theca

thecæ sepulchra S. Alexandri martyris spoliorum bellicorum nomine diripienda, inemendabilis luctus excepit. Nam septem eius filij, vna die, diro funere mersi, perierunt, vt scribit Nicepho. l.18.c.28.

24. Muscæ S. Narcissi, prouerbio locum fecerunt. Hominum enim plusquàm quadraginta, equorum plusquàm viginti quatuor millia, intra paucos dies absumpta sunt à venenatis muscarum morsibus, ob direptum militari furore ab exercitu Philippi Galliæ Regis, S. Narcissi templum, vt fusè describit Hieron. Surita l. 4. c.69. & attigit Baron. in Rom. Martyrol. 18. Martij. Leuthares Germanus, coniunctis cum Bucilleno Gallo copiis, pro Gotthis Hæreticis ingressus Italiam, cum septuaginta duo electis millibus pugnatorum fusus à Narsete est, ob expilata templa & versus in rabiem, seque ipsum laniens, miserè periit. Videndus Baronius anno 555.

25. [Ragenarius Horici Dani Dux, de expilato S. Dyonisiano templo exultans inter suos, illicò sensit diuinam vindictam, quam sic describit Aymonius l. 1. miracul. S. Germani cap. 11. apud Surium vigesimo quinto Iulij. [Hæc cum diceret, tremens illicò ac pauens, corruit in terram, atque terrifica cœpit voce clamare, Germanum coram assistere, cúmque se baculo, quem manu gestabat, grauiter flagellare. Quod videntes, Horich videlicet, vniuersique sibi abstantes, ipséque Kobbo Ludouici Regis illic Directus Legatus, ex hoc quod accideret stupore nimio permoti, admirati sunt. Idem verò Ragenarius, humiliatus ac repentè contritus, aliorum manibus citò sublatus, recessit: qui maximis per triduum tormentis ignominiosè afflictus, præcepit tandem vnam auream suæ similitudinis statuam fieri; atque per eundem Kobbonem, Germano seni deferri, spondens se si euaderet, Christianum deinceps futurum, Deumque Christianorum, indubitanter crediturum. Sed quia non erat ex ouibus Christi, idcircò quod petebat obtinere non meruit. Ita prorsus inflatus, quemadmodùm nobis idem Kobbo manifestum fecit, ac totus turgidus extitit, vt nec auditus, nec visus, odoratus, vel gustus in eius corpore mortis tempore discerni potuerit. Sícque diffusis ad postremum visceribus medius crepuit, vitamque miserrimus inanem finiuit. Statua verò sacris oblationibus indigna, à quibus delegata fuerat retenta, veluti immundissima, à mundissimo cordium inspectore refutata remansit. Sed adhuc qualiter qui residui fuerant ex hac dedefecerunt vita, prosequendo narremus. Ab eo sanè die, quo Monasterium almi Præsulis Germani ingressi sunt, donec pœnaliter cuncti interirent, ita vt diximus, turgenti sunt, Kobbone testes viscerum inflatione perculsi; quatenus omnis eorum coetus, etiam in patria quotidie moriens periret, præter quos Horich postea iussit occidi. Timens etenim ipse, eiusque optimates & populus pariter vniuersus, huiusmodi morte pessima damnari, præcepit omnes qui residui erant, exceptis paucis fuga lapsis, quos nec mortis credimus euasisse exitium, decollari, eorúmque capita veluti satisfaciens morbo, Christiano qui captiuus illic erat populo tradi. Nam ita clades ingrassata Deo permittente sæuiebat in plures; vt penè quicunque morbidum tangeret, eodem exemplo attactus morbo, & ipse deficeret.]

26. [Hungaris Franciam antiquam vastantibus, contigit illud notatu dignum, in impium voluntate sacrilegum, quod recitat Fledoardus l.2. hist.

Rhem. c. 3. *in fine*, & in Annalibus anno 937. [In Ecclesiam B. Basoli cùm quidem Hungarorum ascendere super altare nitens, aræ manum applicuisset; ipsa manus eius, altaris adhæsit lapidibus, nec omnino quiuit auelli, donec cæteris Hungaris aræ saxum circa ipsam manum incidentibus, partem lapidis, qui manui eius adhæserat, in admirationem omnium, perferre coactus est Ethnicus.]

Eo bello quo Rex Aragonum Alphonsus Castellam appetiit, Sancius quicdam cum aliis militibus, Ecclesiam quandam est prædatus, & cum vestimentis Sacerdotalibus regressus mortem obiit; pœnitens quidem, sed absque exhita plena satisfactione. Quantis ille cruciatibus in altera vita eam ob causam subiacuerit, Petrus Vener. l. 1. mirac. c. 28. accuratè describit.

Vindicta diuina in expilatores mobilium profanorum, Ecclesiæ concreditorum.

27. PErgo ad exempla quibus iratus Deus prodidit displicere sibi expilationem siue clancularia siue violentam mobilium Ecclesiæ concreditorum, etiamsi alioqui non sacrorum, sed duntaxat in loco sacro repositorum ad conciliandam illis securitatem. Insigne huius rei exemplum suppeditat liber. 2. Macchab. c. 3. vbi narratur, cũ Heliodorus ab impio Rege submissus ad expilandum ærarium sacrum, in quo deposita partim viduarũ & pupillorum partim Hircani Thobiæ asseruabantur, instaret sacrilegio; Onias autem Pontifex, & Sacerdotes sollicitè interpellarent Deum, vt credita sibi ijs qui crediderant cum omni integritate conseruarentur, *spiritum omnipotentis Dei magnam fecisse suæ ostensionis euidentiam, ita vt* omnes, qui *ausi fuerant parere ei ruentes Dei virtute, in dissolutionem & formidinem conuerterentur. Apparuit enim illis quidam equus terribilem habens sessorem, optimis operimentis adornatus: isque cum impetu Heliodoro priores calces illisit. Qui autem ei sedebat, videbatur arma habere aurea. Alij etiam apparuere duo iuuenes virtute decori, optimi gloria, speciosique amicti: qui circumsteterunt eum, & ex vtraque parte flagellabant, sine intermissione multis plagis verberantes. Subitò autem Heliodorus concidit in terram, eùmque multa caligine circunfusum rapuerunt, atque in sella gestatoria positum eiecerunt. Et is qui cum multis cursoribus & satellitibus, prædictum ingressus est ærarium, portabatur nullo sibi auxilium ferente, manifesta Dei cognita virtute: & ille quidem per diuinam virtutem iacebat mutus, atque omni spe & salute priuatus.*] Librat in hanc rem hoc exemplum, Con c. Aquisgr. sub Pipino l. 2. c. 28. & 29. Eiusdem libri 2. Macchab. c. 4. narratur clades iusto Dei iudicio illata impio Lysimacho, rerum in templo depositarum raptori.

28. Apud Gregorium Turonensem l. 7. hist. Franc. cap. 35. luculentum in hanc rem exemplum his verbis refertur [Venerunt (duces Gunthranni Regis Gundobaldum in sequentes) ad basilicam S. Vincentij, quæ est iuxta terminum Agennensis vrbis, vbi ipse martyr pro Christi nomine agonem dicitur consummasse, inueneruntque eam refertam diuersis Thesauris incolarum. Erat enim spes incolis non esse à Christianis tanti martyris basilicam violandam, cuius ostia summo studio obserata erant. Nec mora; adpropinquans exercitus cum reserare templi valuas non valeret, ignem accendit; consumptisque ostiis, omnem

nem ſubſtantiam, cunctámque ſupellectilem quam in ea inuenire potuerunt, cum ſacris miniſteriis abſtulerunt. Sed multos ibi vltio diuina conterruit. Nam pleriſque manus diuinitus vrebantur, emittentes fumum magnum, ſicut ex incendio ſurgere ſolet. Nonnulli arrepti à Dæmone, per energiam debacchantes, martyrem declamabant. Plurimi verò ſemoti à ſeditione, propriis ſe iaculis ſauciabant. Reliquum verò vulgus, inante non ſine grandi metu progreſſum eſt.]

29. Ex Guaguino in Childeberti Regis rebus geſtis, de quodam Theodorici fratris Regis milite ſcribit Demochares l. 3. de ſacrif. cap. 30. Ciuium fortunas in templo S. Iuliani ad ſecuritatem collocatas cum expilaſſet in vrbe Aruernorum Claramontana, illicò cum cæteris bellatoribus inſania correptum, in horrendas erupiſſe voces, tormenta per Sanctum Martyrem irrogata conteſtantes, Hincmarus Remenſis in priore S. Remigij tranſlatione quam exhibet Surius 13. Ianuar. ita ſcribit. [Quidam vir nobilis de territorio Niuernenſi, obtentis reliquiis B. Remigij, oratorium in eius honore, in proprietate ſua ædificauit: vbi Dominus multas virtutes per merita ipſius Sancti ſui oſtendit. Cum autem defuncto Ludouico Imperatore, Aquitani gentilitia mobilitate abſque iugo principis, prout quiſque poterat, ſe offerre, & ad inuicem pugnare, ac per contiguos pagos debacchari cœperunt; pauperes homines, ſubſtantiolas ſuas in Eccleſiis reponere ſtuduerunt. Vnde conſiſi opinione virtutum quæ ibi fiebant, ad ſaluandum ſua, in eodem oratorio quiſque poterant, certatim repoſuerant. Audientes autem prædones, idem oratorium multis plurimorum opibus refertum, aggreſſi ſunt eas diripere. Quorum vnus obſeratum oſtium pede percuſſit, vt ſeram effringeret; & mox eidem oſtio pes eius adhæſit, & reſupinus præſumptor in terram cecidit. Quod videntes alij, aufugerunt. Ipſe autem miſer, cruciatu cogente, cum maximo eiulatu cœpit culpam ſuam fateri, & cum lachrymis amariſſimis profiteri, quod ſi Deus per merita S. Remigij pedem illius ab ipſa compede ſolueret, nunquam vlteriùs de ipſa, vel de alia Eccleſia quicquam tolleret, vel tolli quantum in ipſo eſſet, vllo modo conſentiret. Caballum quoque ſuum cum ſella, & alia quæ potuit, ad eandem Eccleſiam donauit, ſicque poſt confeſſionem, & lachrymas, atque profeſſionem & votum, pes eius ab oſtio, cui inhæſerat, eſt ſolutus. Veruntamen poſtea, de ipſo arido pede claudus remanſit, vſque dum computreſcente crure ac femore, poſt diutinum laborem mortuus fuit.]

30. Eadem recitat Flodardus l. 1. hiſtor. Eccleſ. Rem. c. 20. in cuius meta aliud refert exemplum in rem præſentem his verbis. [In Vvulfiniaco riuo, pago Lau[illegible]nenſi, habetur oratorium in honore Sancti Remigij dedicatum. In quo du[illegible] [illegible]odulfus Rex, Heribertum Comitem perſequeretur, qui Epiſcopatum R[illegible]ſem à Rege ſibi commendatum tenebat; homines ipſius villæ, res ſuas [illegible]r hoſtiles incurſus recondere ſtuduerunt. At dum Rex præfatus ad obſi[illegible]n Remenſem veniſſet vrbem, & in Culmiſciaco metatus eſſet exercitus [illegible]icinas occupauit villas. Quidam verò illorum qui in prænotata villa, [illegible] Vvlſiniaco ruo,) metatum habebant, vinum, quod in Eccleſia timo[illegible]conditum fuerat, inuadit, & quaſi tabernam conſtituens in eadem [illegible]bus ſuis illud vendere cœpit. Hoc dum ageret, percuſſus morbo

repentè sensum perdidit, re sibi ad aurem vsque penè retorto: denique cruciatus tormento, vitam finiuit. Quod cernentes cæteri, eidem loco sacro debitam deinceps exhibentes reuerentiam, ab huiusmodi se se cohibüere præsumptione.]

31. Eugyppius in vita S. Seuerini Noricorum Apostoli. c. 45. sic scribit. [Fredericus quidam S. Seuerini morte comperta, pauper & impius, barbara cupiditate semper immanior, vestes pauperibus deputatas, & alia nonnulla credidit auferenda. Cui sceleri sacrilegium copulans, calicem argenteum, cœteráque altaris ministeria præcepit auferri. Quæ cum posita essent in sacris altaribus, nec auderet directus villicus ad tale facinus suas manus extendere, militem quendam Anicianum nomine, compulit diripere memorata. Qui quamuis inuitus præcepta perficiens, mox tamen incessabiliter vexatur tremore membrorum, dæmonióque corripitur.]

32. Porcos, quidam negotiatores, ne diriperentur, immiserunt in Ecclesiæ curam (an curiam seu curtem. Num in *Curam* protrita nunc notione, idest in Curionis domum.) Audi facinus impium, & vltorem Deum ex S. Odone l. 3. Collationum c. 24. [Et Ecclesia S. Auentini in Aruerno super fluuium, qui vocatur Alerius. Cum iuxta hanc, negotiatores cum porcis, transeuntes vidissent sibi equites appropiare quosdam, timentes eos, in curam Ecclesiæ diuerterunt; vnus ex equitibus dixit ad eos, Educite porcos. Cúmque illi nollent, coëgit eos, promittens aliquem porcum se daturum. Tunc cuidam viro ex suis, porcos ad minandum commendauit, & tractim abire cœpit. Is verò qui porcos minabat, aliquantulum progressus, subito corruit, & coxam sibi fregit. Verùm ille qui porcos minare iusserat, vulpem viæ contiguam fortè conspexit, postquam videlicet equo dimisso currere cœpit. Cum subitò lapsus, ita subtus equum depressus est, vt illa pars sellæ quæ prominet, caput eius penitùs truncaret. Negotiatores, qui flendo sequebantur; receptis porcis fugerunt. Illi verò qui raptor extiterat, non placebat vecordia sua. Hoc ego ab ipsius consobrino didici.]

33: [De violatore Ecclesiæ S. Mauri Martyris, ijs exportatis quæ intra eam tutelæ gratia reposuerant quidam Vascones, sic scribit Anonymus Floriacensis l. 4. de miraculis Sancti Benedicti cap. 23. [Comite Pictauiensium, in expeditionem Ierosolymitanam, multa armatorum millia ducente, vxor ipsius, curam agebat Prouinciarum potestati suæ subditarum. Vnde factum est, dum Gasconiam peragraret, vt transmeata Garumna, fines eiusdem Regionis attingeret, in quibus positus est locus superiùs memoratus *Pontons* videlicet; in pago Ausiensi, super flumen Adurcium, ditionis Floriacensium vbi iam dicti celeberrimi Martyris reliquiæ habentur. Inuitante igitur itineris necessitate, Comitissa militum vallata phalange, hospitium ibidem accepit. Comperto ergo ante triduum Pictauorum aduentu, incolæ eorum locorum, metu ipsorum, quoniam dominationem eorum valdè exosam habent, omnia sua quæ in Ecclesiam inferri licebat, aduehunt, & in ærario eiusdem possessionis, congerunt vestium diuersas species, alimenta, & cœtera humanis vsibus accommoda. Hospitati itaque Pictaui, audiunt, Prouinciales omnia sua, (vt dictum est) in Ecclesia coniecisse. Cœteris sacrum formidantibus temerare locum;

locum; vnus eorum audacior reliquis, prorumpens in Ecclesiam, saccum frumento plenum humeris imponens suis, onustus sacrilegio, proprium repedauit ad hospitium, nequaquam diu super tali gauisurus facto. Denique mox vt suæ metationis subiit limitem, cœperunt omnia illius membra, more eorum qui quartano laborant typho, tremere; frigúsque intolerabile per totum eius se dispergens corpus, glaciali rigore omnes ipsius adstrinxit artus. Porrò accolæ eiusdem loci, qui certiùs nouerant, cur sibi contigisset tam subita inualetudo (conscij enim optimè fuerant magnarum Beati Martyris virtutum); hortantur miserum, vt quod ab Ecclesia violenter abstraxerat triticum, restitueret. Quod monebant, fieri ægrè impetrant. Sed nullatenus Beatus Martyr eius inuita placatur pœnitentia. Ergo Pictauis cum sua Domina in crastino, à loco illo sese promouentibus, miser ille ibidem remorari formidans, quo valuit modo cum eis progreditur. In processu autem viæ, dum cum sociis graditur, paulatim formidabili inductus insania, cœpit sua insatiabili morsu more canino dilaniare brachia. Qui verò eum compescere volebant, nequaquam sufficere valebant. Perseuerante illo in tanta amentia, ventum est ad fluuium quendam: transuadentibus cæteris, miser ille sua sponte in fluuium sese præcipitans, suffocatus, periit; maximum suis sodalibus incutiens terrorem, & de reliquo cautelam, ne sacrorum vlteriùs, violatores existere præsumerent locorum.] Similis culpæ, alia diuina vltio narratur, cap. 24.

34. Iordanus Princeps Capuanus, concreditam Cassinensi Ecclesiæ summam diripiens, Deum illicò sensit vltorem. Rem gestam sic narrat Leo Ostiensis qui aderat l. 3. Chron. Cassin. c. 45. & 46. [Eodem tempore Rosellanæ Ecclesiæ Pontifex, ad hoc cœnobium veniens, non paruam pecuniæ summam in hoc loco deposuit. Quod vbi Iordani Principi Capuæ relatum est, missis militibus, eam de secretario Ecclesiæ astrahi, & ad se præcepit afferri. Ad hæc fratres: Pecuniam, (inquiunt,) quæ Patri Benedicto credita est, nos nulli omnino viuentium damus; verum in secretario conditam, qui præsumpserit, tollat. Milites Diabolico furore debriati, pecuniam de secretario abstrahunt, ac abstractam ad Principem deferunt. Tantum verò & tam immane, inauditúmque facinus, Gregorij Papæ dum peruenisset ad aures, huius temeritatis noxam inultam esse non ferens; & verens ne hoc rursus exemplo, Ecclesia nostra violaretur, diuinum officium in Ecclesia Patris Benedicti interdixit, altariáque omnia nudari fecit; asserens, in tanto scelere nimiæ negligentiæ, damnandæque formidinis Desiderium Abbatem, ac Fratres argui meritò posse, séque aduersùs Congregationem nostram seueriùs commouendum, nisi ea qua semper locum istum dilexerat, charitate teneretur. Siquidem tolerabilius esse, villas, & castella iuris nostri in prædam & direptionem dari, quàm sanctum locum, vbique terrarum famosissimum, tantæ ignominiæ subiacere. Sed non diu diuina vltio dilata est. Nam Princeps tanti auctor sceleris, postquàm pecuniam tulit Ecclesiæ, lumen amisit.]

Alia mobilia Ecclesiastica, haud impunè exportata.

35. RErum aliarum Ecclesiæ, vel Ecclesiasticorum expilatores aut raptores, diuina ira plerunque contigit: Ex hoc genere erat Ioannes ille S. Macarij Ægyptij minister. Is obediens spiritui qui Iudam laqueo alligauit, vt autor est Palladius 5. 17. Lausiacæ, res Ecclesiasticas mobiles, pauperum vsui destinatas expilans, ex S. Macarij prænunciatione, eodem quo Giezi morbo diuinitùs est percussus in corpore, sicut illius ægritudine laborarat in anima, non quod eum simoniacum idcirco fuisse significaret Sanctus Macarius; sed quod ea mali radix quæ Giezi ad æstimandam pretio gratiam impulit, nempè auaritiæ spiritus, illum occuparit, sicut occupauerat Giezi. Is igitur Ioannes, iuxta Sancti Macarij contestationem, cum circa materiã de qua agimus deliquisset *ita laborauit elephãtia, vt non inueniretur integer locus in eius corpore, in quo quis posset figere digitum.* Sacris quibusdam puellis, quæ ad Oratorium Sancti Martini in Ambianensi porta, vbi vir Sanctus Christum specie pauperis obiectum contexit, Deo famulabantur in Sancta paupertate, pauca apum aluearia data fuerant; è quibus tria vasa in cymbam illata, fur nocturnus exportauit. Sed cum manè varij ad flumen transmeandum in portu essent, & cymba quam fur cum aluearibus illatis subducere fuerat diuinitus prohibitus, ibidem fixa hæreret: apes autem cateruatim emergentes furem prodidissent; fur in medio iacens & mortuus, velocem in se diuinam animaduersionem manifestauit. Rem gestam describit Grego. Turo. l. 1. de mirac. Martini c. 17.

Omnium circa mobilia sacrilegiorum, diuinæ vltiones apud Ethnicos.

36. TOt sacris narrationibus omni fide dignissimis, quæ sunt veluti diuinæ autoritatis doctrinam propositam inter fideles obsignantis certissima pignora, superuacaneum duco, adiungere, quæ apud Ethnicos diuinitùs gesta narrantur, aduersùs sacrilegos rerum quomodocunque sacrarum (de quibus hactenus egimus) expilatores, tametsi exemplis illis abundamus; nec dubitare liceat, quin Deus furtum aut rapinam, ex idolis aut aliunde de instrumentis impietatis aliisue rebus ex respectu ad idola execrandis admissa, tanquam factum sacrilegum (tale quippe ex conscientia furum & raptorum erat,) punire potuerit. Et ita censuit Eusebius, claudens narrationem insignis diuinæ vltionis, in expilatores templi Delphici, quam his verbis refert. l. 8. de præpar. c. 5. *sub medium* ex Philonis opere de prouidentia quod intercidit. [Dicunt qui Phocidos sacrum bellum conscripserunt, cum lex esset, aut præcipites ex alto deiici, aut in mare submergi, aut igne cremari sacrilegos; Cúmque Philomelus, Onomarchus & Phaylus, tres isti, Delphicum spoliauerint templum, secundum legem diuinitus supplicia dedisse. Alterum enim cum per aspera scanderet loca, præcipitem cecidisse, & ita expirasse. Alterum cum eques per littora ferretur, in profundo lapsum, vnà cum equo fuisse aquis demersum. Phaylum autem alij sacro morbo consumptum, alij cum templum Inabis incenderetur, vnà concrematum fuisse, tradiderunt. Nemo profectò hæc casu, nisi amens,

amens, accidisse putabit. Omnes enim hos tres, eisdem temporibus, propter idem delictum, non aliis suppliciis quàm lex volebat iure punitas, non à fortuna & casu, sed diuinitus credere debemus.]

37. Galli Senones in Italiam progressi & inde in Græciam penetrantes attriti cladibus, fulminibus de cœlo vibratis euersi, elementorum tumultu & procellis disiecti, cum omnibus denique malis conflictati produntur ex quo Apollinis templo sacrilegas manus iniecerunt expilantes supellectilem addictam sacro ministerio, vt Liuius l 5. aliíque retulerunt. Xerxis copias, abundantissimis imbribus & fluminibus deletas, ob expilata templa, Ethnici ipsi Historici prodiderunt. Ex eorundem fide, Cambysis exercitus, ob idem flagitium, tempestatibus & ærumnarum molibus contritus est. [Gallorum] Senonensium ruina ob direptas ædes sacras, ab omnibus vetustis historicis describitur. Expilationem Hierosolymitani templi, à Marco Crasso, insatiabilis supra omnes mortales auaritiæ homine, factam, vt est apud Iosephum l. 14. antiq. cap. 12. subsecutá per Parthos, & Ducis & exercitus deletio, tanto sceleri iure optimo est repensa quod quamuis non materialiter tantùm, vt illa anteriora, sed etiam formaliter verum sacrilegium fuit, hìc tamen reponi potuit, inter referendum diuinas de sacrilegis Ethnicis pœnas: quod non alia conscientia; Marcus Crassus in veri Dei templum sacrilegus fuerit, quàm in alia pleraque falsorum numinum delubra, quæ ab illo per conscientiam erroneam; eodem sacrilego spiritu, quo templum veri Dei, ea expeditione constat expilata. Cautiùs ante annos aliquot Cneius Pompeius, Hierosolimitani templi violatione prorsus abstinuit, vt Tullius pro Flacco testatur Syllæ teterrimum exitium, in expilatorum templorum sacrilegia, refert Pausanias.

38. Dionysij iunioris faceta sacrilegia, recitant Arnobius l. 6. & Clem. in protrept. post Tullium l. 3. de natu. Deorum. Cum velamine aureo spoliaret Iouem próque eo laneum reponeret, scomma adiunxit, esse illud in rigoribus algidum, hoc vaporeum, illud æstate onerosum, hoc sub ardoribus flabile. Nec minùs vrbanè scurram egit cum Æsculapio, cui aurea barba erat amplissima, boni ponderis & philosophicæ densitatis; illud inter spoliandum causatus, indignum esse, natum Apolline, patre glabro ac læui, barbatum fingi. Has irrisiones planè conuenientes si res ipsa spectetur, sed ex huius scurræ existimatione sacrilegas, vltor à tergo Deus verus, impunitas non siuit, vt constat ex eius exitu inglorio, Corinthi in ludo puerili, post deiectionem primam & secundam.

39. Aurum Tholosanum è templo sacrilegè expilato collectum, in exitium collectorum, prouerbio locum fecit apud Ethnicos. Rem sic narrat Gellius l. 3. cap. 9. post narratam infœlicitatem eorum qui habuissent equum Seianum. [Eadem sententia est illius quoque veteris prouerbij, quod ita dictum accepimus; *Aurum Tholosanum.* Nam cùm oppidum Tholosanum in terra Gal[illegible] Q. Cepio consul diripuisset, quisquis ex ea direptione aurum attigit, mi[illegible]bilíque exitu periit.] Carò anteriùs steterat ipsismet Tholosanis au[illegible] quod expilato templo Delphico corraserant. Dira namque lue Ve[illegible], non priùs ea sunt liberati, quàm aurum sacrilegè direptum à se abiice[illegible], & magnis de suo accessionibus cumularent. Excreuisse dicitur summa

ad auri pondo 110. millia, argenti verò pondo quinquies decies centetena millia. Legesis Strabonem lib. 4.& Iustinum libro 22, & Adagiographos, prouerbio *Aurum Tolosanum.*

Integrum caput diuinarum in sacrilegos istos vltionum, habet Valerius Maximus lib. 1. Videndus Paschalius l. 4. de Coronis cap. 10.

CAPVT QVARTVM.

Humana de sacrilegis mobilium expilatoribus iudicia, & excusationum discussio.

1. LIQVET de diuina in sacrilegos mobilium expilatores ira, præ qua vix est quod humanas in eosdem pœnas referre simus solliciti; tametsi sunt multæ & graues: vt videre est apud Gatianum 17. q. 4. Nominatim verò si expilatio Ecclesiæ sit iuncta cum effractione, infertur ei pœna excommunicationis ipso facto, vt habetur ex cap *conquesti* de sent. excom. Notant autem Caietanus *v. excommunicatio* cap. 21. & Nauar. in summa cap. 27. n. 94. ac Lessius l. de Iust. cap. 45. n. 22. ac Suar. t.5. 3.p.d.22.sect. 2.à n. 9. aliíque eam censuram expendentes, vtrúmque debere coniungi, vt excommunicatio incurratur ipso facto: nec sufficere, vel effractionem solam, vel solàm expoliationem, quandoquidem legislator vtramque nexuit, cum pœnam illam decreuit. De Ecclesiæ itaque iudicio quoad hæc sacrilegia, liquet ex dictis.

In sacrilegos mobilium expilatores, sapientum iudicia.

2. SEnsum Sapientum, siue nostrorum, siue externorum de scelere expilationis rerum mobilium sacrarum, frustra propè proferendum video, post tam multiplex diuinum testimonium facto adhibitum, vt proximè retulimus: præter oracula Scripturarum quæ in hanc rem immenso numero adducuntur & expenduntur in Conc. Aquisgran. sub Pipino l.1.& 2. adducuntúrque ibidem l. 3.insignia multorum Patrum testimonia,quibus idem comprobatur. Idem versat Hildebertus epistola 19. Conciliorum quoque & Pontificiorum decretorum immensam vim, addensat in hanc rem Anto. Demochares l. 3. de sacrif. cap. 30. Insigniora quædam proferuntur in Capitulis Caroli simplicis, titulo 1. n. 3. & 4. Eaque iam attuli superiùs ex Synodo Charisiaca, quæ etiam locum vnum Augustini, sed truncatum allegauit. Integer verò sic habet ex Tract. 50. in Ioan. [Ecce inter sanctos est. Iudas, ecce fur est Iudas: & ne contemnas, fur & sacrilegus, non qualiscunque furti, & peculatus Peculatus enim dicitur furtum de Republica ; & non sic iudicatur furtum rei priuatæ, quomodò publicæ. Quanto vehementiùs iudicandus est fur sacrilegus, qui ausus fuerit non vndecunque tollere, sed de Ecclesia tollere ? Qui aliquid de

de Ecclesia furatur, Iudæ perdito comparatur.] Expendit in hanc rem, eundem S. Augustini locum, S. Agobardus l. de rei Eccles. dispensat. quæ tractatio, magnam partem est de hoc argumento.

3. Sed pluris fortassis erunt apud aliquos, ipsorum de hac re Principum secularium iudicia, è quibus vnum aut alterum duntaxat, dimissis innumeris proferre placet. Piissimus Rex Gunthrannus, cum exercitum copiosissimum, armatorum sexaginta millium in septimaniam aduersùs Gotthos immisisset, vltus Sancti Hermenegildi nepotis sui, ac neptis Ingundæ, per Leouigildum Arrianum iniurias, cum tantas copias à vix trecentis Gotthis fugatas audisset, egregiè in hanc rem philosophatus est apud Gregorium Turon. l. 5. histor. Franc. c. 30. Causam enim tantæ cladis, retulit præsertim in sacrilegam per suos templorum & locorum sacrorum expilationem. Eodem spiritu, Ragnerus Duc Lotharingiæ ab expilatis rebus sacris aliquando infamis tandem resipiscens, quanta fuisset criminis à se patrati atrocitas, conscripto in eam rem diplomate, & restitutione largè facta, aperuit anno 913. vt ad eum annum recitat Baronius.

Vanæ excusationes in peccatis, reiectæ.

4. FVerunt qui ne tot diuinis ac humanis præiudiciis grauari viderentur, captarent excusationes. Sed frustra; Non enim reddit innoxiam & apud Deum crimine & supplicio liberam, hanc rerum sacrarum acceptionem, prætextus necessitatis ad quam confugiunt, nisi sit necessitas extrema, qualem cap. 1. descripsimus. Malè quippè plerisque cessit, quod obtendentes necessitatem bellorum, vel redimendæ hostilis vexationis, in res sacras immiserint manus hamatas, vel piceatas. Sic Rex Ioas 4. Reg. 12. & 2. Paral. 29. malè periisse narratur, morte non sicca sublatus à coniuratis, ob expilatum templum Dei, & ablata omnia quæ Iosaphat, & Ioram, & Ochozias patres eius, ipséque Ioas intulerat & sanctificauerat, &, quæcunque inueniri potuerunt in thesauris domus Domini, & ad Azaëlem Syriæ Regem transmissa, vt auerteretur à regno Ioas. Horrendis malis implicitam ob sacra donaria in belli vsum, conuersa, Viracam Alphonsi Sexti Regis filiam, produnt Hispaniæ Annales. Nam in ipso limine, priusquàm planè excederet, ruptis visceribus miseram animam efflauit. Feruntque eandem ob causam, Alphonsum Regem pœnas Deo grauissimas dedisse, oppressum ab hostibus in bello Fragensi. Eduardus primus, Rex Anglorum, anno 1292. Guillelmo Marchiano suadente pecunias Ecclesiæ, & mediam partem sacrorum reddituum militaribus impensis sustinendis occupauit, annuentibus vtcunque Antistitibus. Frequentes clades quas Eduardus est passus, præsertim quam mox ab expilatis Ecclesiis à Carolo Valesio in Aquitania excepit, consilium illud Deo displicuisse, monstrarunt.

5. Sed vix possit meliùs aperiri, quàm intutum sit, etiam necessitatis bellicæ prætextu sacra mobilia auferre, quàm si verba Alexij Comneni Imperatoris, ex Bulla aurea quam Margarinus t. 3. Bibl. repræsentauit, hîc ex parte referamus. Experimento siquidem doctus, quàm ea donariorum sacrorum ad belli vsum acceptio, sibi & aliis malè cessisset, in hæc verba edictum conscripsit.

[In ſummam rerum anguſtiam adducti, iiſque omnibus exuti, quæ lapſis alioqui adiumentum aliquod afferre poterant, tandem vel ſacra, diuináque dinodia contingere, iiſque noſtram ſolari inopiam ſtatuimus. Quod certè facinus in pleriſque ſacris diuiniſque Eccleſiis admiſſum eſt, nec ſacrorum donariorum pauca, in publicos ceſſerunt vſus. Neque eò quidem adacti ſumus, vt quicquam moliremur, vel in Dei contumeliam, & contemptum, vel in eorum deſpectum, quæ illi pia conſecrauit antiquitas (quod omne Deus ab omni animo Chriſtiani nominis amantiſſimo auertat;) ſed vrgente temporum neceſſitate, atque etiam conſilio noſtro, quod medio ſe operi immiſcuit. Imperatoriæ enim maieſtatis noſtræ animo viſum eſt, nulla Deum ira inde percitum vbi mens malè conſcia, nullius agentem criminis reum coargueret. Cùm autem quicquid in Imperatoriis ærariis ſupererat; exhauſtum, & inſumptum eſſet, nec in vllos vſus neceſſarios ea ceſſiſſent, quæ à ſanctis extorſeramus Eccleſiis, tum verò conſilium omne noſtrum, tot vndique periculis Romanam rem circumuallantibus, inuerſum, & labefactatum eſt. Quocirca pleriſque in locis, hoſtium noſtrorum cornu exaltatum eſt, noſtrique adeò imperij nauiculæ, naufragium imminet: niſi præpotens Dei virtus, iis quibus aſſolet iudiciis illam vindicet, procellámque ipſam in auram conuertat. Itaque Imperatoriæ maieſtati noſtræ, maiore cura diſquirendum & inueſtigandum eſſe viſum eſt, quid tandem ſit illud, quod tantam Dei iram concitauit, violentúmque eius furorē in nos exacuit. Prætereа cum viris diuino maximè ſpiritu afflatis de re ipſa conſilium iniit, & poſteaquàm certior ab illis facta eſt, ſatis eſſe cauſæ, cur in nos ira diuina excanduiſſet, quod profanis ſacra venerandáque ſanctarum Eccleſiarum vaſa contrectaſſemus (etiam multa nos improbitas maléue conſcia mens eò permouiſſet) quia nimirum neque res diuinæ profanandæ ſint, nec è Dei manibus repetenda, in alioſue vſus conuertenda ea, quæ ſemel conſecrata fuerint, operæ pretium illi fore viſum eſt, & futurum mali impetum reprimere, ne vllo in poſterum tempore inter Chriſtiani nominis Principes irrepat, & præteritis quo ad eius fieri poſſet, præſens adferre remedium. Quamobrem vt ſit erranti medicina confeſſio, coram Deo & hominibus, Imperatoria ſe maieſtas prolapſam fatetur, veniámque delictis, quæ temerè admiſit, ex intimis animæ auditis poſtulat, ſeque omnia quæ ſui ſunt imperij, diuino numini mancipaturum, eæque viribus Imperatoris denuò reſtituturum pollicetur, quæ in hodiernum, vſque diem, ab Eccleſiis Deo ſacris ablata, in publicóſque vſus malè verſa ſunt, ſi modò, quæ Orbem vniuerſum exagitat, procella deſæuierit, Imperióque ſtatus melior reſtitutus fuerit. Hæc enim perſoluenda nihilo ſecius quam priuatum aliquod debitum, in ſe recipit; nec ſe ſanctis obæratum Eccleſiis inficiatur. Quare in poſterum, tum ſibi, tum poſt ſe futuris Chriſtiani dogmatis Principibus, aurea hæc Bulla legem non minùs obſeruandam imponit, quam ſi à Deo ipſo dictaretur; ne quis poſthæc, ſacra temerè contrectet, etiamſi vel Cadmæa neceſſitas vrgeat, neu manus impuras ſacris rebus iniiciat, neu profana ex diuinis dinodia fiant, dum in publicos vſus circumferuntur. Cúmque inter Deum & homines ſit interſtitij loco poſitum, quod nullus, ſi modo pius fuerit, pr inſgredietur: Homines quidem rebus noſtris vtemur, fruemur; Deo autem ſarta tecta manebunt, quæcunque illi conſecrata fuerint;

fuerint; nec illa manibus, vel audacissimis contingent.] Videtur Alexius vsque eò auersatus quam sibi damnosam senserat mobilium sacrorum expilationem, vt etiam in quacunque necessitate ea interdictum voluerit, quandoquidem ait *vel si Cadmea necessitas ingrueret* abstinendum esse vsurpatione sacrorum donariorum ad vsum belli. Hoc ille piè, & ad dispellendas offucias falsorum prætextuum accommodatè edixit.

Qua necessitas publica, honestare eam acceptionem possit, ac nominatim, an redemptio captiuorum.

.6 VT tamen superiùs generatim monui c. 1. *ad finem*, si ea sit necessitas cui nulla ratione aliter occurri queat, nec Ecclesiæ rectores refragentur, (vt refragari reuera non debebunt in angustiis tantis); nec desit etiam verum propositum resarciendi damnum, si postea facultas resarciendi reueniat, non videtur negandum, quin acceptio rerum sacrarum mobilium ad medendum necessitati alioqui inextricabili, honestari queat & labe purgari, quod admittit & latè illustrat Sanctesius libro de expilatione templorum, c. 4. Et ratio est perspicua. Nam si ad captiuorum redemptionem, cásque iniurias propulsandas quibus captiui patēt, fas est vasa sacra etiam initiata distrahere, quanto magis idem licere poterit, ad præueniendam captiuitatem per iustam defensionem? [At posse ad captiuorum redemptionem distrahi & conflari vasa sacra, certum est. Ita enim à S. Chrysostomo factum, eique ab aduersariis obiectum; vt constat ex Sociate l.7. cap. 21. Idem fecisse Acacium Amydenorum Episcopum, ad redimenda Ethnicorum captiuorum septem millia, alioqui à Rege Persarum crudeliter trucidanda. S. Ambrosius idem à se factum testatur. Memorat hoc Diui Ambrosiij factum, & à S. Augustino imitatione expressum refert Possidius cap. 42. Videndus ipse S. Augustinus Epistola 13. Calumnias in S. Cyrillum Hierosolymitanum structas esse ab Acacio Episcopo Ariano, ob diuendita in publica fame, sacra aulæa, & thesaurum Ecclesiæ in pauperum subleuationem distractum, author est Sozomenus 4. histor. cap. 24. Nec multum ab eo variat Theodoretus eandem narrationem contexens libro 2. histor. cap. 27. In vita S. Hilarij Arelatensis, authore (vt creditur) eius æquali Honorato Massiliensi, sic habetur de eius studiis in redemptionem captiuorum, distrahendo sacra ornamenta. [Ita viscera eius misericordia quatiebat, & pietas, ac si solus ad redimendum paginis cœlestibus vrgeretur. Tractauit secum, deliberauit, & fecit, vt sacra mysteria, captiuis solatia potiùs, quàm præstarent Ecclesiis ornamenta. Quid dicam cupidus? quid obmittam nescius, ab his qui maiora sciunt, negligens iudicandus? Quicquid argenti omnes Basilicæ habuerunt, captiuorum redemptioni protinus deputauit. Cúmque omnia cognouisset expensa, exultans atque congratulans, quia vota fidelium, dispensatione sua, videbat cœli in sede promissa. Nunquidnam poterit existimari quantum visceribus eius insederit pietas, qui vsque eò credidit omnia distrahenda, quousque ad patenas vel calices vitreos veniretur. Accendit studia offerentum, dispensatione laudabili; nec vt fatigaret, reiecit, sed vt iteratò offerrent vberiùs excitauit. Offerentum deuotio grata optauit; vt oblatio

ſua prima ſacris altaribus poſtmodùm membrorum Chriſti redemptionibus militaret.]

7. Idem fecit S. Arnulphus apud Baron. anno 615. num. 11. Egregius item eſt in eam rem locus in vita S. Cæſarij apud Surium 27. Aug. dignus qui hîc legatur. [Arelatem Gotthis cum innumera captiuorum turba reuertentibus, replentur ſacræ baſilicæ, repletur Eccleſiæ domus infidelium multitudine, & cum multa inopia laborarent, quæ ad victum veſtitúmque pertinerent, affatim eis præbuit vir Beatus, donec omnes ab ipſo eſſent redempti eo argento, quod venerabilis Eonius anteceſſor eius, Eccleſiæ menſæ reliquerat, obſeruans illud, quod Dominus in paropſide intingit panem, non in vaſe argenteo, diſcipuliſque præcepit, ne poſſiderent aurum vel argentum. Hoc autem ſanctum opus ita perſecutus eſt, vt etiam ab illis, quæ ad diuini miniſterij diſpenſationem pertinent,non abſtineret; thuribulis,calicibus patenis pro eorum redemptione datis, excuſſiſque à cancellorum columnis, ornamentis argenteis. Dicebat enim;Ne homo rationalis,Chriſti ſanguine redẽptus,amiſſa libertate, & dura preſſus ſeruitute, aut Arrianus efficiatur, aut Iudæus, aut ex ingenuo ſeruus, aut ex ſeruo liber. Ornauit igitur & defendit, non deformauit Eccleſiam. Patere voluit filiis viſcera matris, non præcludi, Hoc ſæpiſſimè dicens: Velim reſpondeant mihi plerique domini ſacerdotes, & reliqui è Clero, qui neſcio quo ſuperfluitatis amore nolunt dare inſenſibile argentum & aurum ex Chriſti donariis, pro mancipiis Chriſti: velim, inquam, dicant mihi, ſi quo caſu ipſi in eam calamitatem inciderent, vellẽtne eiuſmodi inſenſibilibus donariis in libertatem vindicari, aut potiùs ſacrilegij loco haberent, ſi quis ex diuinis munuſculis ſubueniret. Equidem non puto id ingratum eſſe Deo de ſuo miniſterio redemptionem parari, qui ſe ipſum pro hominibus redimendis dedit.]Inferiùs de eiuſdem Sancti Antiſtitis in pium opus,ſtudiis,habentur non pauca & inſignia.

8. Quæ apud S. Gregorium Epiſtola ad Fortunatum Epiſcopum Fanenſem l. 6. epiſt. 13. & ibidem epiſt. 35.ad Epiſcopum Meſſanenſem in hanc rem leguntur,ſunt vulgatiſſima. Calicem argenteum Sancti Remigij, in Rhemenſi Eccleſia diutiſſimè aſſeruatum, vrgente captiuorum neceſſitate, diuenditum eſſe, ſcribit Hincmarus. Odilo in magna fame, diſtraxit intrepidè ſacra vaſa, vt habet Petrus Dam. in eius vita *ſub initium*. Idem factum à Sancto Hugone Gratianopolitano habet Dorlandus.l.2. Chron. Cartus cap.5. & idem etiam in viri Sancti actis proditur. Sanctus Rembertus ſimile factum ſuum aduersùs calumniatores egregiè defendit apud Surium 4. Febru. Sanctos Elphegum & Ethelvvoldum Epiſcopos Anglos, ex cauſa, ſimiliter diſtraxiſſe vaſa ſacra, narrant eorum acta. Vix vllum Chriſtianæ pietatis ſpecimen hac in parte illuſtrius legi poteſt, quàm quod exhibuit Sanctiſſimus Antiſtes Carthaginenſium *Deogratias*, in grauiſſima captiuorum innumerabilium neceſſitate, vt latè deſcribit Victor Vticenſ. l. 1. de perſec. Vandal.

Pro

Pro distractione sacræ supellectilis ad captiuos redimendos, S. Ambrosij calumniam passi, Apologia.

9. ADuersùs honestatem huius distractionis sacrorum vasorum pro graui & pia causa, stetere nonnulli iam olim, vt ij quos S. Ambrosius refert, loco quem Achilles Statius epistola ad Nauarrum de reditibus Ecclesiastici, exhibet ex homilia eiusdem Sancti Antistitis nondum (vt ait) edita de perfecta liberalitate. Sed locus ille habetur totus l. 2. offic. cap. 28. Partem describo. [Aliquando in inuidiam incidimus, qui confregerimus vasa mystica, vt captiuos redimeremus: quod Arrianis displicere poterat. Nec tam factum displiceret, quàm vt esset quod in nobis reprehenderent. Quis autem est tam durus, immitis, ferreus, cui displiceat quod homo redimitur à morte, fœmina ab impuritatibus Barbarorum, quæ grauiores morte sunt; adolescentulæ, vel pueruli, vel infantes ab idolorum contagiis, quibus mortis metu inquinabantur? Quam causam nos etsi non sine ratione aliqua gessimus, tamen ita in populo prosecuti sumus, vt confiteremur, multóque fuisse commodius astrueremus, vt animas domino quàm aurum seruaremus. Qui enim sine auro misit Apostolos, & Ecclesias sine auro congregauit. Aurum Ecclesia habet, non vt seruet, sed vt eroget, & subueniat in necessitatibus. Quid opus custodire, quod nihil adiuuat? An ignoramus, quantum auri atque argenti de templo domini, Assyrij sustulerint? Nonne melius conflat sacerdos propter alimoniam pauperum, si alia subsidia desint, quàm sacrilegus contaminet & asportet hostis? Nónne dicturus est dominus; Cur passus es tot inopes fame emori? Et certè habebas aurum, vt ministrares alimoniam. Cur tot captiui deducti in commercium sunt, nec redempti? Cur tot ab hoste occisi sunt? Melius fuerat, vt vasa viuentium seruares, quàm metallorum. His non posset responsum referri. Quid enim diceres? Timui ne templo Dei ornatus deesset? Responderet: Aurum sacramenta non quærunt, neque auro placent, quæ auro non emuntur. Ornatus sacramentorum, redemptio captiuorum est. Et verè illa sunt vasa pretiosa, quæ redimunt animas à morte. Ille verus thesaurus est Domini, qui operatur, quod sanguis eius operatus est. Tunc vos dominici sanguinis agnosco, cùm in vtroque videro redemptionem, vt calix ab hoste redimat, quos sanguis à peccato redemit. Quàm pulchrum, vt cum agmina captiuorum ab Ecclesia redimuntur, dicatur: Hos Christus redemit: Ecce aurum quod probari potest, ecce aurum vtile, ecce aurum Christi, quod à morte liberat; ecce aurum, quo redimitur pudicitia, seruatur castitas. Hos ergo malui vobis liberos tradere, quàm aurum reseruare. Hic numerus captiuorum, hic ordo præstantior est, quàm species poculorum. Huic muneri proficere debuit aurum redemptoris, vt redimeret periclitantes. Agnosco infusum auro sanguinem Christi, non solùm irrutilasse, verum etiam diuinæ operationis impressisse, virtutem, redemptionis munere.]

10. Variis Conciliorum & Sanctorum Patrum testimoniis, honestatem huius distractionis sacrorum vasorum in necessitate, comprobant Demochares l. 3. de sacrif. cap. 28. Molanus lib. 2. de Canonicis cap. 13. & Anastas.

Germon. l. 2. de sacro, immunit. cap. 27. num. 31. Et quanquam l. 1. capitularium cap. 94. vnica huius honestæ sacrorum vasorum distractionis causa assignatur redemptio captiuorum, tamen S. Ambrosius causas alias (vt vidisti), agnoscit; & sine dubio quæcunque causæ æquè piæ, & æquè vrgentes, seclusis prætextibus, sunt idoneæ causæ honestandi huiusmodi distractionem: Sacram hospitalitatem esse idoneam causam, censet Hildebertus episto. 61. *à medio.* Quod verò Erasmus ad caput 42. *aliàs* 24. vitæ S. Augustini per Possidium, vbi narratur sacrorum vasorum in necessitate summa à Sanctis Augustino & Ambrosio facta distractio, margini illinit hæc verba: *ô scelus*! sceleratissimè ab Erasmo factum est. Quis verò absque stomacho audiat, spurium istum Goliath, (& verè spurius erat, Patre editus coronato etiamsi non Rege) insultare agminibus Dei viuentis, & tot grauissimos Patres proximè adductos vna illa fatuæ censuræ securi concîdere? Planè tantum abest, vt scelus sit, sacram supellectilem, etiamsi initiatam, distrahere aut confringere in vsum redimendi captiuos, vt potiùs summa laude sit celebrandum.

11. Itaque in ea summa necessitate quam proposui, seruatis conditionibus quas seruandas dixi, fas sanè esto, supellectilem sacram & quæcunque mobilia, distrahere ad præuenienda mala ob quæ iam contracta sarcienda, fas similiter esset ea distrahere. Et ita fecisse Heraclium alibi; tentasse autem idem facere Alexandriæ, non refragante (quanquam neque concedente,) Ioanne Eleemosynario, scribit in eius vita Leontius: sed suppeditato diuinitus auro, obstitum esse ne sacra supellex conflaretur, ibidem narratur; & apud Baronium anno 620. qui anno 627. agit de restitutione facta ad Heraclio aliis Ecclesiis, à quibus sacra vasa extulerat. Allocutio Sancti Odonis l. 3. collat. cap. 24. ex Nazianzeno ad Præfectum nomine Ecclesiæ, insignis planè est, deberétque huc referri, nisi prolixitas obstaret.

Ex vniuersa disputatione proposita, & ex reiectione causarum quibus honestari posse videtur mobilium sacrorum direptio, multo magis reiecta manet vana eorum excusatio, qui putant iure belli omnes sacrorum expilationes honestari. In quam rem plura sunt adducta superiùs cap. 2. & in Heteroclitis spiritual. p. 1. agendo de reliquiarum sacrarum expilatione. Benè item Ioannes à Cochier in Parænesi ad Hæreticos cap. 28. Vbi cap. 29. rectè idem extendit ad repræsalias, quas locum habere circa res sacras, à iusto abhorret.

CAPVT

CAPVT QVINTVM.

De sacrilega Immobilium Ecclesiasticorum transcriptione in Ius alterius.

1. VEnio ad sacrilegium circa res immobiles, putà domos, prædia, & similia. Harum quippè rerum vsurpationem factam inuito domino, sordere sacrilegio, perspicuum est ex dictis cap. 1. & optimè tradit Pius 1. epistolo 2. his verbis. [Sicut qui Ecclesiam Dei vastat & eius prædia & donaria expilat & inuadit, fit sacrilegus; sic & ille qui eius sacerdotes insequitur, sacrilegij reus existit, & sacrilegus iudicatur.] Subdit ibidem S. Pius de grauitate sacrilegij huius, non pauca, & componens illud cum fornicatione, quam D. Paulus in Spiritu Domini adeò seuerè castigauit, tertius statuit esse sacrilegium. [Nam sicut maius est peccatum quod in Deum committitur, quàm quod in hominem, sic grauius est sacrilegium agere, quàm fornicari.] Hæc ratio apertè fert esse in peccato de quo agimus; genuinam sacrilegij labem, quæ item agnoscitur in Concilio Moguntino apud Burchardum lib. 11. cap. 28. & Iuonem parte 13. Pannoniæ cap. 38. in Concilio Vasensi cap. 4. quod allegat Hieronym. Epistola ad Nepotianum. Idem confirmatur l. 6. capitular. Francorum cap. 96. qui locus adducitur in Capitular. Caroli Calui titu. 27. Rursúsque eodem libro 6. cap. 295. adducto 4. capite Concilij Agathensis, quod id expresse declaratur: concluditurque, indubitanter infames sacrilegósque habendos esse, qui res Ecclesiæ diripuerint. Nec obstat quod paulò ante cap. 293. eiusdem libri sexti, scriptum fuerat, iniquum esse & sacrilegij instar, auferre quæ Ecclesiæ fuerant collata. Illud enim *instar sacrilegij*, non est semper diminuens; sicut neque particula *quasi*, semper excludit veritatem. Ex Symmacho, Papa in 6. Concilio Romano refertur locus l. 7. Capitularium Franc. cap. 204. vbi expressè additur id esse maximum sacrilegium. Eum locum sequenti capite, repræsentabo. Denique idem tradunt Episcopi in litteris ad Ludouicum Regem. num. 15. quæ extant tit. 23. Capitular. Caroli Calui.

Multiplex sacrilegium in vsurpatione immobilium, & qui maximè ea infamia flagrarint.

2. POtest autem hoc sacrilegium (vt de sacrilegio circa mobilia iam diximus,) duobus, modis patrari; Nempe primò clam, vt subductione vel abolitione occulta tabularum, quibus titulus fundans dominium continetur: vel translatione palorum terminalium, & si quis est alius modus clancularij sacrilegij, quo res immobiles auferantur Ecclesiæ. Secundò vi aperta, vt cum per violentiam laicam, prædium Ecclesiasticum adimitur Ecclesiæ, &

datur alteri, vel ad tempus, vel in solidum, & absque temporis restrictione. Quod enim aliquando contigerit, prædium Ecclesiasticum, aut totum etiam beneficium, v. g. Abbatiam, præberi laico vorandum, ad certam temporis periodum puta ad annum, aut alterum annum; & interdum qui vno anno Abbatiam quampiam fruendam accepisset, sequenti anno migraret ad aliam, colligitur ex Lupo Ferrariensi epistola 23. Alias verò absque ea restrictione vsurpata fuisse prædia sacra, & laicis hominibus attributa, innumera sunt testimonia veterum. Ludouicus Rex Karlmanno Episcopatus & Abbatias ad seruitium delegauit, vt habent, Annales Pithoeani, anno 879. de quo etiam expostulat Autor vitæ Sancti Gorberti, agens de dissidio inter Ludouicum & filios eius. Childerico, & cognomento & re stupido, pessimè cessisse huiusmodi sacrilegia, scribit Genebr. l. de sacris electio, cap. 3. malè tamen hoc confundens cum Clericatibus fiduciariis, siue Custodiis. Carolo simplici, idem carò stetisse, annotauit Ordericus Vitalis lib. 3. anno 678. *pag.* 458.

3. Sed præter cæteros, scatet istiusmodi sacrilegiorum testimoniis, Lupus Ferrariensis Abbas, qui iis temporibus vixit, quibus maximè succreuit hoc infelix lolium; hoc est temporibus Coroli Calui, de quo item scribit Fredegarius in append. ad Aymoinum l. 5. cap. 36. & 42. prodens quanta is in hoc genere peccauerit. Et ibidem cap. 34. testatur eum partiariis suis integras Abbatiolas dedisse: (sic nominat, quas aliter *Cellis* vel *Prioratus* nominari reperimus:) aliis verò beneficiola assignasse, è diuisa iu frusta S. Martini Abbatia. Neque vero has duntaxat particulas beneficiorum, sed integra beneficia, etiam maiora,) vt Abbatias & Episcopatus,) ad hoc Caluo, huiusmodi sacrilegio fœdissimè contaminata esse, manifestum est ex omnibus illius æui scriptoribus atque Conciliis: inter quæ Meldense tunc celebratum, infandum in hac re scelus his verbis memorat. cap. 10. quod insititium est inter ea quæ ex positis in villa Teudonis referuntur in Capitular. [Peruentum est ad nos, quod auditu lugubre, & dictu nefas, actúque horribile, ac nimis triste dinoscitur; quia contra omnem autoritatem, contra Patrum decreta, & totius Christianæ religionis consuetudinem, in monasteriis regularibus, laici in medio Sacerdotum; & Leuitarum, ac cœterorum Religiosorum virorum, vt Domini & magistri resideant: & velut Abbates, de illorum vita & conuersatione decernant, eósque diiudicent; & regimina animarum ac diuina, eis secundùm regulam, non solùm sine præsentia, verùm etiam sine conscientia Episcopi, committunt sacra: & ita præsumptiuè doceant, qui noluerant fieri discipuli veritatis, & saltu inordinato magistri fiant erroris.] Ibidem cap. 9. etiam Sanctimonialium monasteria, alteri sexui laico, à Carolo Caluo concessa proditur. Quæ monstrositates, causam continere videntur, cur ibidem ex capitibus Synodi in villa Teudonis, quæ in Capitularibus Caroli Calui habentur titulo 2. dictum sit, Carolum Caluum, contra omnem patrum suorum consuetudinem, loca sacra concessisse Laicis. Nam tametsi ante hunc Carolum aliqui hoc sacrilegium admiserant, vt apertè in eodem Meldensi Concilio tradi videtur cap. 11. & in libello de Maioribus domus Regiæ expresè dicitur, Carolum Martellum, res Ecclesiarum propter assiduitatem bellorum tradidisse Laicis: Et primum fuisse qui eum abusum induxit, habetur variis in Actis S. Rigoberti:

Nemo

Nemo tamen adeo turpiter ante Caluum. Quanquam post eum Carolus Simplex, etiam fœminis secularibus, monasteria virorum concessisse refertur à Flodoardo in Chronico; qui res Caroli retrò sublapsas scribit, ob Abbatiam Golam, quam Rethildis eius amita occupabat, attributam Haganoni, magna apud Hugonem Roberti Parisiorum Comitis filium inuidia. Videsis eundem Flodoardum ibid. anno 951. vbi de Abbatia sanctæ Mariæ Laudunensi erepta Gerbergæ Matri suæ, & data vxori suæ à Rege Ludouico. In Oriente quoque, Nicephorus Phocas Tyrannus & Imperij inuasor, similia sacrilegia peculiari impietate cumulauit, abolito prorsus à prædiis sacris Ecclesiastico titulo, ijsque in laicorum iura transcriptis: addita etiam lege, ne Ecclesiæ bonis immobilibus ditarentur, quod id diceretur in laicorum damnum cedere.

Est abominatio desolationis. Patrum in eam conclamatio.

4. MErirò de huius sacrilegij atrocitate agens Concilium Meldense c: 9. ait, id à Rege Carolo esse patratum in maximo suo periculo, & illorum quibus prædia sacra donata fuerant perditione, & Dei ac Sanctorum non modica ad irascendum prouocatione. Statímque addit, obsecrare se, vt Rex tam magnam offensam, & iustam reprehensionem atque periculosam præsumptionem, dimittat. Rursusque c. 10. [Verè ista est abominatio desolationis, non solùm Religionis, sed etiam præsentis & perpetuæ salutis: & non solùm subditorum & talium apocryphorum rectorum, verùm & Regis & regni, atque regni primorum huic detestabili inordinationi fautorum.] Huius rei ratio à Petro Damiani l. 4. Epistola 12. ducitur ex fine secundario in quem possessiones collatæ sunt Ecclesijs. Quæ enim differit aduersùs Episcopum dantem aut vendentem prædia Ecclesiastica, æquè hic locum habent [An ignoras (inquit) quia ad hoc Ecclesijs prædia conferuntur, vt ex his pauperes sustententur, indigentes alantur? vt ex his viduis, atque pupillis subsidium procuretur? Ecclesiæ quippè nascentis initio, hic mos inoleuit, vt quilibet venientes ad fidem, possessionum suarum iura distraherent; atque ad pedes Apostolorum, pretium quod ex hijs sumebatur offerrent: Vnde & in eorum actibus legitur: *Quotquot*, inquit, *possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum.* Procedente verò tempore, sanctis Ecclesiarum Rectoribus visum est, vt ipsa potiùs Ecclesijs prædia traderentur. Vnde scilicet non modò clericos sacris excubantes officijs, Ecclesia pasceret, sed & refrigerij stipem diuersis indigentibus & inopia laborantibus ministraret. Perpende igitur, venerabilis frater, quantorum homicidiorum in die iudicij reus erit, qui modò tot orphanis, diuersisque pauperibus, vnde viuere debeant subtrahit. Ad tribunal illius, qui pauperes singulariter diligit, qui se in paupere refici, in paupere se perhibet esurire; ad tribunal, inquam, illius, qua conscientia veniet, qui alimenta se subtraxisse pauperibus recognoscit? Si damnatur ille, qui vel vnum hominem peremit ferro, qua sententia dignus erit, qui bona Ecclesiæ profligando, quàm plures interficit famis, & inopiæ gladio? De quibus diuina voce, malo cuilibet venditori iam dicitur: *Ecce vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.*] Et inferiùs. [Præterea non

ignoras, quia cum à pœnitentibus terras accipimus, iuxta mensuram muneris, eis de quantitate pœnitentiæ relaxamus. Sicut scriptum est; *Diuitiæ hominis redemptio eius.* Perpende igitur, & congrua ratione considera, quia sicut is qui prædia præbet Ecclesijs, pœnitentiæ suæ pondere meritò leuigatur; sic ille qui subtrahit subeundæ pœnitentiæ digna mole deprimitur. Nam si dator absoluitur, consequens est vt præreptor, vinculis innodetur; tantóque hîc debito teneatur obnoxius, quanto ille non ambigitur absolutus. Quisquis igitur Ecclesiastici territorij prodigus est, tot in vnum caput mala concurrunt. In tremendo namque Dei iudicio, sancti quorum honor clericorum egestate minuitur, irascuntur: pauperes, viduæ, pupilli, quilibet hospites, famis se gladio clamitant interemptos. Sic multiplicis homicidij reus erit, qui sanguinem fortè nunquam fudit.]

5. Potior, (quippè ex primario fine ducta) huius rei ratio est, quæ redditur à Concilio in Verno Palatio c. 12. in forti Episcoporum contestatione aduersùs has impietates, exhibita Regi Carolo Caluo. [Certè (inquiunt Patres) quod nullus quanquam impudentissimus negare audebit, possessio Ecclesiæ votum est fidelium, patrimonium pauperum, redemptio animarum. Votum ergo alterius, quomodò quisquam Deo audet auferre? hæreditatem pauperum, qua temeritate præsumit inuadere? vnde alij suas animas redemerunt, cur inde alij suas perdunt?] Et mox. [Propheta clamat, *qui dixerunt hæreditate possideamus sanctuarium Dei, Deus meus pone illos vt rotam, & sicut stipulam ante faciem venti.* Postremò ipse Dominus Iesus, conditor, & redemptor, *Quid proficit homo, si lucretur vniuersum mundum, se autem ipsum perdat, & detrimentum sui faciat?* Et quisquam tam audax & desperatus inuenitur, qui possessiones Dei, ad certissimam perniciem suam occupet & inuadat? O fideles Deo, & vobis ipsis, nolite pro temporali abundantia diuitiarum, mereri sempiternam congeriem miseriarum: nec vltra, decus animæ vestræ, tam pestifero, tam inaudito, tam denique certo sacrilegio polluatis.]

6. [Eodem æuo Lupus Ferrar. Epistola 84. nomine Landranni Turonensis & aliorum Gallicanorum Episcoporum, data ad Priorem Britanniæ, præter cætera inde eum arguit immanis sacrilegij, quod cupiditate eius, possessiones Ecclesiarum quæ fuerunt vota fidelium redemptio animarum, patrimonia pauperum, illicitè in eius vsus redacta essent. De Hincmaro eiusdem æui Antistite, sic Flodoardus l. 3. histor. Rem. c. 26. [Theodulpho Comiti, pro præsumptione Ecclesiastici ministerij, qua defuncto quodam presbytero abstulerat quæ idem presbyter in eleemosyna pro se dari præceperat, & insuper vsurpauerat quæ ad ipsam Ecclesiam ritè relicta fuerant. Ostendit ergo manifestè, quàm maximum crimen sacrilegij commissum sit ab eo: sed & quomodò contra humanas egerit leges, & quid inde fieri debeat, & qualiter Ecclesiæ in potestate & ordinatione sunt Episcopi, secundùm sacros canones, & Imperalia capitula. Vnde mandat ei, vt iuxta sacras auctoritates, & Regum præcepta, quicquid de facultatibus ipsius Ecclesiæ acceperat, præsentialiter Ecclesiæ reddat, & Presbyteris quibus res commodatæ fuerant restituat. Deinde ad se veniat, vt inde medicinam accipiat, quatenus sanus fiat.]

7. In Concilio Aquisgran. sub Ludouico Pio cap. 116. idem docetur tanquam

enim traditum à Sanctis Patribus, quos inter pulchrè creditus Prosper. l. 2. de vita contempl. cap. 16. *in fine*; Possessiones quas oblatas à populo suscipiunt sacerdotes, non sunt inter res mundi deputari credendæ, sed Dei: quoniam si vestes, ac vasa, & cætera, quæ in sacris vsui ministrantibus erant, sancta vocabantur: nec in vsus humanos reuocari iam poterant, diuis semel ministeriis conserata: quomodò non ea quæ conferuntur Ecclesiæ, sacra credenda sunt, quibus non vt seculi rbus luxurosè, sed sanctè vt Deo consecratis vtuntur ad necessaria sacerdotes?] Ante hos omnes S. Pius primus Epistola 2. sic conclamat in hæc scelera. [Præd adiuinis vsibus tradita, quidam humanis applicant vsibus, & Domino Deo (cui tradita sunt, ea subtrahunt vt suis vsibus inseruiant. Quapropter ab omnibus illius vsurpationis contumelia depellenda est, ne prædia vsibus secretorum cœlestium dicata, à quibusdam irreuerenter vexentur. Quod si quisquam præsumpserat, sacrilegus habeatur, & sicut sacrilegus iudicetur. Concilium 2. Turonense cap. 25. iubet in huiusmodi sacrilegos nisi admoniti resipiscant, intorqueri maledictiones Scariothicas, quæ extant Psalmo 108.

Varia scriptura in idem scelus.

8. NOn à Patribus duntaxat, sed etiam à Scriptura idem esse traditum, monstrat his verbis Petrus Damiani l. 1. Episto. 13. verbis illis. [Ab ipso planè principio nascentis Ecclesiæ, salubris hæc cœpit consuetudo fidelium, vt sua quæque vendentes ad pedes Apostolorum, Apostolicorúmque virorum pecunias ponerent, quibus illi necessitatibus pauperum subsidia ministrarent. Post autem visum est Sanctis Patribus, qui scilicet illis in sacri regiminis ordine successerunt, vt ij qui conuerterentur ad Dominum, nequaquam distraherent prædia, sed ea Sanctis Ecclesiis traderent, non iam transitoriè, sed iure perpetuo necessitatibus indigentium profutura. Et certè per Moysem in lege præcipitur: *Omne*, inquit *quod domino consecratur, siue homo, siue ager, non vendetur, nec redimi poterit. Quidquid semel fuerit consecratum, Sanctum Sanctorum erit Domino.* Ecce hìc manifestissimè prohibetur, ea quæ Domino consecrantur, vel vendi debere, vel redimi; sed iussum est, ea Sancta Sanctorum iugiter permanere.]

9. Alij Patres alia Scripturæ loca in hanc rem vrgent ab Episcopis Remensis & Rothomagensis Prouinciæ Epistola ad Ludouicum Regem num. 7. *in fine* (habetur in Capitular. Caroli Calui tit. 23. adducitur locus ex psalmo 82. in hæc verba. [Sed & sacri Canones à Spiritu sancto dictati, eos qui facultates Ecclesiasticas diripiunt, & res Ecclesiasticas indebitè sibi vsurpant, Iudæ traditori Christi, similes computant; & sancti qui cum Deo in cœlo & in terris miraculis coruscant, diuino iudicio, tanquam necatores pauperum ab Ecclesiæ limitibus, & à cœlesti regno secludunt. De quibus sacrilegis in prophetia Psalmi prædictum est. *Qui dixerunt, hæreditate possideamus Sanctuarium Dei. Deus meus pone illos vt rotam, & sicut stipulam ante faciem venti. Et sicut ignis qui comburit siluam, & sicut flamma comburens montes; ita persequeris illos in tempestate tua, & in ira tua turbabis eos. Imple facies eorum ignominia.*

10. Agobardus l. de rei Ecclesiasticæ dispensatione argumentatur ex locis quibus votorum propriorum exsolutio commendatur. [Si is (inquit,) qui propria vota non reddit, infidelis esse conuincitur, iuxta Ecclesiastem, qui dicit Displicere Deo infidelem, & stultam promissionem; Et omnino melius esse non vouere, quàm pòst votum promissa non reddere; quanto maioris impietatis reus est, qui ea quæ alij vouerunt, ac reddiderunt vsurpat, inuadit, diripit, & diripienda concedit, peruerséque iudicando, vel fallaciter testificando, atque impiè periurando à domo Dei alienare festinat, vbi ab aliis vota, & reddita, ac delegata sunt? Legimus in Libris Regum quod non modò laudabiles, verùm etiam reprehensibiles Reges, ea quæ Patres illorum vouerant nec redderant, ipsi intulerint in domum Domini, & in thesauros eius. Si ergo laudatur pietas filiorum paterna vota reddentium; è contrario omni est execratione dignissimum, si patris votum filius subtrahat, quodque ille contulit, hic auferre non metuat.] Vrget præterea supplicium Ananiæ; pro rebus nondum Ecclesiæ attributis, sed tantùm debitis. Tum concludit. [Debuerant nosse vt potè rationales à Deo conditi) quia si non licet concupiscere rem proximi; multo magis Domini. Nec hoc ita dictum sit, quasi Chrismatum diuinorum largitio, vel remissio peccatorum, ac donum regni cœlestis, non sint concupiscenda; quæ vtique res Domini sunt: sed quoniam nobis de sacris rebus Ecclesiarum sermo est, secundùm illud nunc loquitur, quod Dominus in lege præcepit dicens, *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Non concupisces vxorem proximi tui, non domum, non agrum, non seruum, non ancillam, non bouem, non asinnm & vniuersa quæ illius sunt.* In quibus verbis summoperè est considerandum, quia si contra quemlibet proximum, ob quamcunque rem, falsum existere, vel adhibere testem non oportet; multò minùs licet, contra Dominum ob illius Ecclesiæ facultates eius nomini consecratas. Simili quoque modo; si domus, aut ager, seruus, aut ancilla, & cætera quæ sunt proximi; concupisci non debent, multò itaque magis, ea quæ ad sustentationem pauperum Domino sunt tradita, non sunt concupiscenda. Apparet autem in huiuscemodi rebus, multitudo miserationum Dei, qui gratanter ab homine dignatur recipere, quæ ipse dedit: hinc denique est, quod ei Dauid fideliter confitetur dicens; *Tua sunt enim omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Nequaquam igitur consecrata Deo concupisci, vel auferri debent; quin potiùs tali mente sensari, atque ita illibata, & ab omni vsu communi seposita custodire; vt ipse Dominus in Deuteronomio insinuat.]

CAPVT

CAPVT SEXTVM.

Exempla diuinæ vindictæ in hos Sacrilegos.

1. SANCTVM Anselmum refert Edinerus l. 2. *ante medium,* ita de his sentire solitum. [Sæpè Anselmus dicere solitus erat, eos quandoque; aut in se, aut in liberis suis, de rebus Ecclesiæ, quibus nunc in sublime raptabantur, exhæredandos, & antiquæ paupertati, in qua nati fuerant, & nutriti, subiugandos; aut certè aliqua graui,& contumeliosa vindicta ante mortem, vel in morte,(quod deterius esset,) puniendos. Quod dictum eius, iam in quibusdam completum videmus; & ex hoc, quid aliis etiam timendum sit, coniectamus.] Quod ab Edinero indistinctæ hic dictum est, possumus permultis exemplis illustrare. Obsignauit enim Deus hanc veritatem insignibus plerisque vltionibus, in huiusmodi possessionum sacrarum sacrilegos occupatores. Cupidos enim rerum sacrarum, ignis qui in eis est fauillosiùs exurit, vt dicitur. lib. 6 capitul. Franc. cap. 89. additurque ibid. l. 7. cap. 105. experimento deprehensum esse, pro huiusmodi peccato non solum Reges & regna, sed etiam homines in eis commanentes, perire. Et mox subiungitur, huiusmodi gentes, nec fortes in bello, nec in fide stabiles perstitisse: ac per Saracenos fuisse vastatas. Et præclarè ibid. cap. 104. [Nouimus ergo multa regna, & Reges eorum, propterea cecidisse, qui Ecclesias spoliauerunt, résque earum vastauerunt, abstulerunt, alienauerunt, vel diripuerunt, Episcopísque, & Sacerdotibus, atque (quod magis est,) Ecclesiis eorum abstulerunt, & pugnantibus dederunt. Quapropter nec fortes in bello, nec in fide stabiles fuerunt, nec victores extiterunt, sed terga multi vulnerati, & plures interfecti verterunt; regnáque & regiones, & (quod peius est,) regna cœlestia perdiderunt, atque propriis hæreditatibus caruerunt, & hactenus carent.] Nec dissimiliter Concilium in Verno palatio cap. 12. eo tempore, dignum suis moribus exitum inuenisse huiusmodi sacrilegos, contestatur. Hæc ibi confertim. Sed proferamus nonnulla sigillatim; cùm ex Occidentali, tum ex Orientali Ecclesia.

Vltiones diuinæ in sacrilegos circa immobilia, in Occidente.

2. GRegorius Turon. l. 1. de glor. Martyrum. cap. 79. sic scribit de Gomaricho, [Ecclesia Agathensis vrbis, quæ sancti Andreæ Apostoli reliquiis plaudit, & plerumque gloriosis illustratur miraculis, peruasorès rerum suarum sæpius arguit. Denique Gomacharicus Comes, agrum Ecclesiæ ipsius peruadit. Tunc Leo Episcopus huius Ecclesiæ, valdè mœstus concussit ad eum dicens, Relinque, o fili, res pauperum, quas ordinationi nostræ Dominus commendauit, ne tibi sit noxium, & à lachrymis egentium, qui de fructi-

bus eius ali consueuerant, enecéris. Ille verò quia erat hæreticus, paruipendens de his quæ ab Episcopo dicebantur, rem in sua dominatione retinuit. Interim procedente die, arripitur à febre. Cumque non modò ardore corporeo verùm etiam animæ vexaretur incommodo, misit ad Episcopum nuncios, dicens; dignetur pro me sacerdos orationem ad Dominum fundere, & ego dimittam agrum eius. Quo orante, hic à valetudine qua grauabatur conualuit; factúsque sanus, ait suis. Quid putatis, quid isti nunc Romani dicant? Ajunt enim me ab hoc fuisse febre grauatum, quia tulerim agrum eorum; quod mihi iuxta Consuetudinem humani corporis accidit. Verumtamen non habebunt eum, me viuente. Et dicto citiùs, misit qui eum iterum auferret. Quod cum Episcopus comperisset, venit ad eum, dicens, num pœnitet te priùs fecisse benè, quod hoc iterum conaris euertere? Ne facias quæso, & vltioni diuinæ subiaceas. Qui ait ad Episcopum; Sile, sile, decrepite: iam infrænatum te loris circuire vrbem super asinum faciam, vt si de ridiculo omnibus qui te aspexerint. At ille silens ad nota recurrit præsidia: prosternitur in oratione, celebrat vigilias, ac noctem totam in lachrymis & psallendeo ducit. Mane autem facto, accedit ad Lychnos qui de camera Ecclesiæ dependebant; extendénsque virgam, quam tenebat in manu, effregit cunctos dicens, non hîc accendetur lumen, donec vlciscatur Deus de inimicis, & restituat res domus suæ. Hæc eo dicente, protinus hæreticus ille in rediuiuam febrem c rruit. Cumque in extremis ageret, misit ad Episcopum, dicens, Oret pro me sacerdos ad Dominum, vt viuam, & restituam agrum; ac similem, eius conferam dominationi. Quibus Pontifex respondit; Iam oraui ad dominum & exaudiuit me. Misit & alios, ac tertios ad eum nuncios. Sed Sacerdos in vno responso persistens, non mouebatur ad hæc, vt pro eo orationem daret ad Dominum. Hæc ille hæreticus cernens, iussit se in plaustro componi, atque ad eundem euehi, ac per se deprecari Episcopum, voluit dicens, quia dupla satisfactione restituo agrum, quem iniquè peruasi; tantum vt oret pro me sanctitas tua. Illo quoque recusante, compulit eum vi, vt abiret ad Ecclesiam: quo discedente, vt Ecclesiam est ingressus, & hic Spiritum exhalauit; recepitque confestim Ecclesia rem suam.]

3. Idem de gloria Confesso. cap. 79. & exscribitur à Flodoardo l. 1. histor. Ecclef. Rem. cap. 20. [Erat haud procul à basilica, campus tellure fœcundus, (tales enim incolæ *Oltas* vocant) & hic datus Basilicæ sanctæ fuerat: quem vnus ex ciuibus peruadit, despiciens hominem qui eum loco sancto contulerat. Qui cum ab Episcopo, ac loci Abbate crebrò conuentus fuisset, vt quem iniustè peruaserat, redderet; paruipendens verba quæ audiebat; pertinaci, direpta defensabat intentione. Denique causa extitit, & non deuotio, vt Rhemensem vrbem adiret. Properat ad Sancti Basilicam. Arguitur iterum ab Abbate, pro inuasione campi. Sed nihil dignum ratione respondet. Explicitísque negotiis, ascenso equo, ad domum redire disponit. Sed obstat nisui eius, Sacerdotis iniuria. Nam sauciatus à sanguine corruit in terram: obligatur lingua quæ locuta fuerat campum tolli, clauduntur oculi, qui concupierant: manus contrahuntur quæ adprehenderant. Tunc balbutiens, & vix sermonem explicare potens, ait, Deferte me ad Basilicam Sancti, & quantumcunque super me

tauri est, ad sepulchrum eius proiicite. Peccaui enim auferendo res eius Aspiciens autem dator campi hunc cum muneribus venientem, ait, ne accipias quæso, sancte Dei, munera eius, quæ nunquam accipere consueuisti: ne sis, deprecor, adiutor eius, qui inflammante concupiscentia, rerum tuarum nequam possessor existit. Nec distulit sanctus audire vocem pauperis sui. Nam homo ille, licet dedisset munera, rediens tamen domum, emisit Spiritum, recepitque Ecclesia res suas.]

4. Agens de S. Germano Episcopo Parisiensi Fortunatus cap. 6. vitæ Sancti Antistitis. sic scribit. [Kariulphus quidam Francus, partem villæ eiusdem Basilicæ obstinatus inuaserat. Quem cum vir Dei ad reddendum aliquatenùs commoueret, nec tamen proficeret, ad orationem se contulit: Nec fides vindictam distulit. Statim denique ex vicino ferus visus exiliens, tres præfati hominis equos interfecit: nec sic idem à duritia resipiscit. Sequenti verò nocte duplicauit vltor perniciem; Sex iumenta interemit. Nec sic quoque pœna sufficit. Tertia verò nocte, nouem prosternit vehicula triplicato cadauere: sicque labor crescebat in cladem. Deinde ad Beatum virum tardiùs dirigit puerum, & dum agrum reformat inuasum, calamitas eius à Domino compescitur: Idque actum est, vt bestia castigante, homo sensum acciperet, & daret non intelligenti bellua rationem.]

5. De Chariberto Rege in hunc modum traditur apud Gregorium Turonensem l. 1. cap. 29. de mirac. S. Martini. S. Pharibertus Rex cum exosis Clericis, Ecclesias Dei negligeret, despectisque sacerdotibus, magis in luxuriam declinasset, ingestum est eius auribus, locum quendam quem Basilica S. Martini diuturno tempore retinebat, esse sui iuris, reddique debere. Loco autem illi, *Namicellis* nomen prisca vetustas indiderat. Qui accepto iniquo cõsilio, pueros velociter misit, qui reiculam in suo dominio subiugarent. Cumque hæc rectè possidens videretur habere, iussit in locum illum stabularios cum equitibus dirigi, ibique sine æquitatis ordine, præcepit equos ali. Accedentes ergo pueri, fœnum quod coaceruatum fuerat, accipiunt in equorum expensas. Cúmque iniunctum studiosè ageretur seruitium, atque equi appositum fœnum cœpissent expendere, corripiuntur rabie. Et frementes, adinuicem disruptis loris, per plana prosiliunt, & in fugam vertuntur; Et sic male dispersi, alij excæcantur, alij rupibus præcipitantur, alij se sepibus ingerentes, palorum acuminibus transfodiuntur. Tandem stabularij iram Dei intelligentes, paucos extra terminum loci quos assequi potuerunt, expellunt, sanósque recipiunt, nunciantes Regi, rem illam iniustissimè retineri. Et ideò hæc cum fuissent perpessi, dixerunt; dimitte eam, & erit pax tibi. Qui furore repletus, sic dixisse fertur; siue iustè, siue iniustè reddi debeat, regnante me, hanc Basilica non habebit. Qui protinus diuina iussione transitum accipiens, quieuit. Adueniente autem gloriosissimo Sigiberto Rege in eius regnum, ad suggestionem B. Eufronij Episcopi, hoc in domo S. Martini restituit, quod vsque huc ab eius Basilica possidetur. Audite omnes potestatem habentes. Sic vestire alios, vt alios non spolietis. Hoc adiungite vestris diuitiis, vt damnum non inferatis Ecclesiis. Vindex est enim Deus velociter seruorum suorum.]

6. Prædiorum omnium quæ ex paterna hæreditate ei obuenerunt, hæredem

dixerat Ecclesiam Adalgerus Clericus S. Bonifacij Moguntini minister. Eius haud ita multo post defuncti, Fratres duo, Aspertus & Trutmundus, in ea prædia inuolarunt, iureiurando asseuerantes, ea prædia iure abs se vendicari. Emisso iuramento S. Bonifacius cohibitis aliis quos iuramenti socios habere volebant, ac ne iurarent impeditis; dixit Asperto prophetantis non imprecantis animo. Maior vrsus te occidat. Deinde ad Trutmundum; Nunquam ex te proles nascatur. Non cecidit de viri Dei verbis in terrã. Aspertus paulo post de vrso ingenti per vicinum agrum discurrente admonitus, conscenso equo non expectatis sociis in vrsum irruit, cum venabulo. Sed ex equo delapsus, membris omnibus confractis periit, ita vt à seruis accurrentibus mortuus sit deprehensus. Territus ob fratris subitam ruinam Trutmundus, ablata sacrilegè prædia, restituit illico. Neque tamen diuina vltio cassam esse siuit viri Dei de eo prædictionem, vt scribit Autor vitæ S. Bonifacij libro 2. *ad finem*.

7. Fusissimus in hoc argumento est Hincmarus, in priore S. Remigij translatione, quam exhibet Surius decimo tertio Ianuarij. Adscribo quæ huc spectant. [Processu temporis, Pipinus Rex, Caroli magni pater, volens Episcopij Laudunensis villam, quæ *Anisiacus* dicitur accipere, quasi sub censu, sicut & alias quasdam fecerat, venit in ea manere. Vbi cum dormiret, venit ad eum Sanctus Remigius, dicens: Tu quid hic facis? Quare intrasti in hanc villam, quam mihi te deuotior homo dedit, quàmque ego Ecclesiæ, Dominæ meæ sanctæ Dei genitricis donaui? Et flagellauit eum satis duriter, ita vt liuores postea in corpore eius parerent. Et cum disparuit Beatus Remigius, Pipinus surrexit, ac valida correptus febre, quantocyùs ab ipsa villa recessit. De qua febre, non paruo tempore laborauit. Et deinceps Princeps regni, vsque ad moderna tempora ibi non mansit, sicut nec in Codiciaco, vel Iuliaco, nisi Ludouicus Rex Germaniæ, quando super fratrem suum Carolum, regnum eius inuasit, in Iuliaco mansit & in die crastina, turpiter ante ipsum fratrem fugiens, vix euasit.] Et inferius. [Tempore Ludouici Imperatoris, duo Fratres Franci, forestarij eius, inuaserunt partem de sylua, quam in saltu Vasagi, vt supra ostendimus, Sanctus Remigius in vita sua pretio comparauerat, intra fines eius, dicentes, quòd plus pertineret ipsa sylua ad fiscum Imperatoris, quàm ad partem Sancti Remigij. Contradicentibus autem hominibus de potestate Rhemensis Ecclesiæ, vnus eorum altercando venit ad porcos suos, quos in eandem syluam ad pastionem miserat, inter quos lupum inuenit. Quem ascendens equum, velociter est insecutus. Et volens eum percutere, equo expauescente, collisit caput ad vnum fustem de ipsa sylua, ita vt cerebrum illius in terram defluxerit; & mortuus est. Frater verò eius, concitè pergens in partem alteram, peruenit ad quandam petram, & dixit: Omnibus notum sit, quia vsque ad hanc petram est ista sylua Imperatoris. Et cum percuteret eandem petram, dolatoria quam in manu portabat, exilierunt ab illa particulæ in oculos eius, & excæcatus est. Sicque ambo receperunt mercedem præsumptionis & mendacij sui.] Rursus inferiùs. [Quando tres fratres Reges, Clotarius, Ludouicus, & Carolus, regnum post patris sui obitum inter se diuiserunt; Episcopium Rhemense, quod tenebat Folco presbyter, Carolus inter homines suos diuisit; villam Iuliacum Richuuino in beneficium dedit. Cum autem vxor illius, nomine

Berta, in cubiculo villæ ipsius iaceret, venit ad eam Sanctus Remigius, dicens: Non est iste locus tuus ad iacendum. Alterius meriti & officij debet esse, qui hanc villam habere, & in hoc cubiculo iacere debet. Surge quantocyùs, & hinc abscede. Quod illa paruipendit, putans se visum inane videre. Altera vice venit ad eam Sanctus Remigius, & dixit ei: Cur hinc non abscessisti, sicut tibi præcepi? Vide ne ampliùs te hic inueniam. Quod illa, vt priùs, pro nihilo duxit. Tertio vt venit ad eam Sanctus Remigius, dixit: Nónne iam semel & secundò tibi præcepi, vt hinc abscederes? Sed quia contempsisti hinc pergere, aliorum deportatione abscedes. Et percussit illam virga quam tenebat in manu, quæ toto corpore in maximum tumorem conuerso, quod vidit viro suo Richuino & aliis quàm plurimis dixit; & per aliquantos dies seuerissimè cruciata, vitam finiuit.] Tandem in fine. [Blithgarius quidam, nuper mansum de thesauro Ecclesiæ in villa Tenoilo, pretio apud Bernardum custodem obtinuit, vnde famulos Sancti Remigij cum flagellis eiecit. Conclamantibus autem eis Sanctum Remigium vt eos adiuuaret, idem Blithgarius cum irrisione illis respondit: Modò parebit, qualiter vos Sanctus Remigius adiuuabit. Videte quomodò in adiutorium vestrum venit. Et inter hæc verba, cum maximo clamore ingemuit; & incredibiliter inflando intumuit, sícque medius crepuit, & mortuus est.]

8. [Arraldus (quem alij Arnulphum vocant), Dux Baioariæ, quod monasteriorum possessiones diriperet, Laicísque tribueret, vt testatur Otho Frising. l. 6. cap. 8. visus est à S. Vdalrico Augustano accusari, & iudicari in Concilio Sanctorum: nec ita multo post, miserè periit. Baro. anno 912.

9. Vulgatissima est narratio exitij Comitis Matisconensis, quæ habetur ex Petro Venerabili l. 2 mirac. cap. 1. his verbis. [Ad terrorem & correctionem malorum Principum, quod Matisconi gestum est, proferam. Insolita quippè res, & præterquàm tunc, omnibus, vt puto, seculis inaudita, ibidem contigisse omnium penè indigenarum celebri & publica relatione narrant. Est autem eadem Matiscus in finibus regni Francorum, quod à Teutonicorum, & Romanorum imperio Arar fluuius, à Lotharingia sumens initium, Rodanúsque in mare mediterraneum habens profluxum, disterminat. Quæ Matiscus, à quibusdam oppidum vocata, à quibusdam vrbis nomine honorata, in primatu Lugdunensi, quintæ sedis obtinet locum. Hæc quantum ad ius Ecclesiasticum, Lugdunensi primati, quantum ad ius seculare, Francorum Regi subditur. Huius vrbis principatum, quodam tempore sub nomine Comitis quidam obtinens, super personas & res Ecclesiasticas execrandam tyrannidem exercebat. Longè enim exuperans aliorum prædonum nequitiam, non solùm ex parte, Ecclesiarum substantias diripiebat; sed redditus earum omnes cum suis possessionibus, sibi tyrannica violentia subiugabat. Nam Canonicos de Ecclesiis, ipsos etiam monachos de monasteriis suis eiiciens; terras omnes, redditus omnes, & quæcunque eis ad huius vitæ subsidium à maioribus data fuerant, immisericorditer abstulit, iuríque proprio mancipauit. Ostenduntur adhuc ab incolis, antiquarum Ecclesiarum ruinæ: ex quibus ipse sacræ religionis cultores eiiciens, venerabilia loca, omnipotenti Deo religiosè seruientium multitudine referta, in eremi solitudinem redegit. Ita se totum Deo subtrahens, mundo dedicans,

gehennæ, & tremendorum Dei iudiciorum oblitus, vt Euangelicus ille Iudex, nec Deum timebat, nec hominem verebatur. Cúmque diu concessa potestate abusus, quotidie seipso deteroir fieret, nullàque iam spes correctionis eius existeret, iram aduersùm se omnipotentis Dei iam non reuocandam, commouit, atque in se dirissimè expertus est, scripturæ sacræ sententiam dicentis; *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.* Et nequitia eius, non occulta, sed publica; non cum timore, sed cum audacia, Deum prouocauerat; non latenter sed publicè, non tantùm inuisibiliter, sed etiam visibiliter, terribile factus est Tyrannis principibus in exemplum. Nam cum solenni die, Matisconi in proprio palatio resedisset, cúmque multitudo tam militum, quàm diuersi ordinis circumstaret; repentè ignotus homo equo insidens, per ostium palatij ingressus, omnibus conspicientibus, & admirantibus, vsque ad ipsum equitando peruenit. Cúmque ei adstaret, se ei velle colloqui dicens; vt surgeret, ac se sequeretur, non tam monuit, quàm imperauit. At ille inuisibili potentia constrictus, nec iam resistere valens, surrexit: atque vsque ad ostium domus processit. Vbi equum paratum inueniens, cúmque ab eo conscendere iussus, ascendit. Cuius statim habenas ille arripiens, statim cum velocissimo cursu per aëra ferri cunctis conspicientibus cœpit. Cúmque immenso eius clamore, ac miserabili eiulatu, tota ciuitas commota, ad tam inuisum spectaculum concurrisset; tandiu eum per aëra currentem attoniti conspexerunt, quamdiù naturali oculorum acie, eum subsequi potuerunt. Qui cum eum diu *succurrite ciues, succurrite*, vociferantem audirent, nec iuuare valerent, subtractus tandem visibus hominum, quaternus (quod meruerat,) factus est socius dæmonum.] Eadem habet Chronicon Cluniacense sub Hugone 2. (vbi additur mirabilis conuersio filij Comitis) & Hugo Floriacensis, ex quo Bodinus contra Vvierum. Item suffragatur Demochares l. 3. de Sacrif. cap. 30. & Paulus Æmilius l. 5. qui tamen tribuit Guilielmo Comiti Cabilonensi. Sunt qui verentur, ne ea narratio mutatis nonnullis adiunctis, illa ipsa sit, quam Bugnonius prodidit de Guilielmo Alamano Comite Matissano seu Matisconensi, qui circa annum millesimum & centesimum tempore belli sacri, præcipuo duce Godofredo, fulmine ictus interiit, reus sacrilegij multiplicis in rerum Ecclesiasticarum inuasione. Vt vt sit, liquere debet de horrendo exitio inuasionis illius bonorum sacrorum; plurisque esse par est Petri Venerabilis testificationem quam contrahentium sensum eorum qui de patriæ infamia solliciti, omnem illam narrationem gratis ablegant ad Deum Fabulinum. Quæ de Orgerio Vvillelmi Comitis Præposito, & ipso sacrilego rerum Ecclesiasticarum inuasore, ibidem à Petro Venerabili sunt prodita, ibi legi possunt.

10. Hermenfredum occupatorem bonorum Ecclesiæ, & omnes possessionum S. Gudilæ Virginis inuasores, corúmque hæredes, diuina vindicta eos insequente, malè omnes periisse, refertur in appendice actorum S. Gudilæ, apud Surium 8. Ianuar. Othoni Germaniæ Regi, initium malorum, & domesticarum externarúmque turbarum, queis supra modum vexatus est, fuisse proditur, quod in gratiam Adelaidis coniugis suæ, matri eius Bertæ dedit Abbatiam Mereinstein anno 953. Sigiraldum Aruernorum præfectum, scribit Guaguinus, villam Ecclesiæ Diui Iuliani donatam, sacrilegè eripuisse, sed mox

mox mente captum esse, nec priùs sui planè compotem factum, quàm villam dimisisset, & compensatione idonea damnum illatum sarsisset. De Astaulpho Longobardorum Rege, fractis ceruicibus per prolapsionem ex equo, luisse sacrilegia admissa inuadendo res Ecclesiæ, narrat idem Guaguinus; addens insuper de Gaysiro Aquitano, diuina permissione pessimè mulctato à suis ob occupata Ecclesiæ prædia & facultates.

Orientalium circa immobilia sacrilegorum, diuinitùs multatorum, exempla quædam.

11. ATtringamus aliqua exempla ex Oriente, post tam multa ex Occidente. Isacius Comnenus Orientalis Imperij inuasor, cum in bona sacra etiam immobilia inuolasset, vt ex Curopalate recitat Baro. anno 1057. (vbi eiusdem Curopalátis, circa hoc sacrilegium impia & sacrilega sententia refertur ac refellitur, diuinis terroribus perculsus,) Imperio cedere, & vitam obscurissimè exigere adactus est. Constantinum Imperatorem, & Irenem matrem, quanti fluctus & turbines iactarint, norunt qui in historia non sunt prorsus hospites. Earum calamitatum originem, haud iniuria, quis retulerit ad occupatas Ecclesiasticas possessiones concinnationi luminarium, & sacrorum ministrorum, ac pauperum alimoniis addictas. De qua per eos occupatione questum constat Hadrianum Papam, epistola ad Carolum Magnum; illud nominatim contestatum, se denuò acturum apud Constantinum & Irenem pro eo negotio: quod si persstiterint obfirmatè in ea culpa, hæreseos illis notam inusturum. Videndus Baronius anno 794. *ad finem.*

12. Nicephorus Phocas Græcorum Imperator causatus hominum Ecclesiasticorum nimias opes, impiis edictis in Ecclesiastica bona, etiam immobilia grassatus est, vt fusè describit Curopalates anno 964. & ex eo (Cedrenus, Zonaras, Glycas, & alij recentiores, sacrilegam hominis rapacitatem detestantes. Exitus Nicephori funestissimus ab iisdem refertur in hæc maximè sacrilegia. Cum enim innumera Græcorum multitudo in hostium casses incidens, cæsa crudeliter esset, & pauci qui cladi superfuerant, refectis nauibus Constantinopolim essent remissi, concitatus in Nicephorum populus de eo è viuis tollendo consilium iniuit, consilium in primis promouente Nicephori coniuge, Theophana. Sublatus ergo è medio est Nicephorus per Ioannem Zemiscem, vt pluribus describit Curopalates anno 696. Subiit hoc absque superpondiis diuinæ in eum vindictæ qui ibi legi poterunt. Manuel Comnenus, qui Phocæ edictum voluit innouatum, teste Niceta Charitate l. 2. mala morte excessit, ac grauissimas & huius sacrilegij & aliarum impietatum ac iniquitatum in se ac in posteris pœnas dedit.

Antiochus Dux, Beati Niconis qui sub Phoca clarucrat, testamento violato, finitimum Ethnicorum oræ prædium inuadens reclamantibus S. Niconis Monachis, locum sacrilegè inuasum, multipliciter dehonestauit. Sed Beatus Nicon iam cœlo illatus, impio Antiocho per noctem obuersatus, formidando trucique vultu, terrores illi incutiens horrendos, baculo insuper quo armatus erat, lethalem illi plagam inflixit. Et post cassa mandata de apprehendendo qui in nullius oculos incurrebat vulneris autore; denique fuit. Nam se-

quenti nocte Spartam delatum eius cadauer, ab igne loculum subeunte (qua via immissus, incertum ;) fœdè cum loculo consumptum est, ac in fauillam & cineres redactum.

13. Michaël Chrærosphactes inter Lacædemonios facilè princeps, caussatus damna agro cuidam suo à Monachorum pecoribus illata, manu facinorosorum collecta, res omnes Monasterij prædæ Mysorum exposuit, ne ipsis quidem parcens immobilibus, ita vt etiam caulæ & pecorum septis flammas subiiceret, ne quid esset quo pecuaria deinceps tegi ac defendi possent. Post sacrilegam inuasionem per quietem à Nicone correptus acerrimè est, minis intentatis ob proiectam in res sacras audaciam. Nec irritæ abiere minæ ; Ardentissima quippe febri simulque paralysi, illico est occupatus. Et quanquam post aliquod tempus, visus est culpam agnoscere, & sancto viro supplex factus pro qualibuscunque caularum septis, ferrea repagula suo sumptu reponenda despondit: tamen non inuenit pœnitentiæ locum æquè ac Esau, qui nullis lachrymis inflexit patrem vt eum benedictionis Iacobo collatæ pœniteret. Sed irato numine plenas de sacrilegio pœnas dedit.

Fructus ex vltionibus diuinis, de quibus hactenus.

14. Vides, ex his aliisque innumeris exemplis diuinæ vindictæ in sacrilegos, de quibus egimus, quàm verè scriptum sit à Caietano Leuit. 27. agrum Deo sacratum, & omnia alia Deo oblata, meritò hebraicè dici herem, *herem*, Græcè *anathemata*, quæ vox significat destructionem: quod certa destructio maneat eos, qui agros & res Deo consecratas, vsurpant. Quod considerantes, & tot experimentis indubitatum habentes sapientes quique, sollicitè curarunt reddi prædia & loca Ecclesiis, quæ aliquando ab eis erepta constaret. Fecit id Constantinus Magnus, cuius duplex edictum descripsit Nicepho. l. 7. cap. 41. & 42. Idem nauiter curauit Iouianus Imperator apud eundem Nicephorum l. 10. cap. 39. cum comperisset (vt idem author obseruat), quanto Imperij, & Reipublicæ, suóque priuato damno, Iulianus Apostata prædiis & possessionibus spoliasset Ecclesias. De cura Pipini, vt quæ Pater eius Carolus Martellus Ecclesiis abstulerat, iisdem redderentur, testantur Episcopi Remensis & Rothomagensis Prouinciæ, Epistola ad Ludouicum Regem num. 7. tit. 23. Capitul. Caroli Calui. Theodorici Franci zelum contra huiusmodi inuasores bonorum Ecclesiæ, exhibet Gregorius Turo. l. 3. histor. Franco. cap. 12. & in vita S. Nicerij Treuir. Studia Regum Francorum, ac bella eo fine suscepta, vt res immobiles ab Ecclesia per impios ablatæ, ei restituerentur, longo agmine exhibet Demochares l. 3. de sacrif. cap. 31.

15. In summa, pij ac probi quique, semper detestati sunt huiusmodi sacrilegam immobilium Ecclesiæ ereptionem quomodocunque patratam, id est siue clam, siue aperta violentia. Qui verò in sacrilega ista nequitia sunt obdurati, nec saltem satisfactione, & restitutione eluerunt eam maculam, diuinam iram sunt experti, vt monstrauimus, & innumeris aliis exemplis facere testatum licebat. Benè enim Agobardus sub finem libri de dispensatione rerum Ecclesiasticarum. [Erga res Ecclesiasticas, quanta reuerentia quantáque fides, & custodia

cuſtodia adhibenda ſit, demonſtrauit voluntas Dei per multitudinem miraculorum, quæ geſta ſunt in vniuerſo mundo, per ſingulas regiones, loca, atque Eccleſias; Cùm iam non vnus Ananias cum Saphira vxore, propter fraudem in rebus ſacris perpetratam morte mulctati ſint, ſed innumerabiles, & penè mille alij, qui infirmitate percuſſi, Dæmonibus vexati, cæcitate damnati, de quibus ſi ea quæ ſcripta ſunt, ſtudioſus aliquis in vnum congregare voluiſſet, ac valuiſſet, enormia volumina confeciſſet. Quanto magis, ea quæ facta ſunt, & diuulgata, ac tradita, nec tamen ſcripta, eò quòd fuerint nimia? Hæc idcirco dicimus, non quod diuinam percuſſionem omnibus temerantibus, temporaliter comminemur; ſed magis, vt ad curam Dei, earum cuſtodiam atque diligentiam pertinere monſtremus: qui tantis miraculis per tot tempora terruit improbos, non ſolùm incredulos, ſed & credentes, ne facilè à ſueſùs ſacra loca, illicita auderent perpetrare; & vt eos ſaltem percuſſio tanquam bruta animalia cohiberet à præſumptione, quos ratio, vel executio diuinorum mandatorum nequicquam velut homines compeſcebat.]

16. Etiam Ethnicos ea occupauit perſuaſio, non abire inultos qui immobilia Deo addicta facerent ſua. Quod S. Auguſtinus 3. Ciuit. c. 17. teſtatur, agens de immani peſtilentia, quam conſultis Sibyllinis patefactum eſt inde profectam, quod plurimas ædes ſacras, multi occupatas priuatim tenerent.

E contrario autem, qui Eccleſiæ poſſeſſiones tradere noluerunt, & idcircò dura & dira paſſi ſunt, diuinis ſæpè ſignis & prodigiis ſunt illuſtrati. Eſéque eam cauſam ad verum martyrium ſufficientem, eſt extra dubium. Petrum ſanè Sublacenſem Abbatem vigeſimum ſecundum refert, eius Monaſterij Chronicum, quod caſtrum quoddam illius monaſterij recuſaſſet tradere ſecularibus eiuſdem oræ dominis, illud capientibus, cæſum eſſe, & martyribus annumeratum, poſtque obitum claruiſſe miraculis.

CAPVT SEPTIMVM.

Excuſationes in peccatis reuictæ, & excluſæ.

1. INANES porrò ſunt excuſationes, quas à quibuſdam huic ſacrilegio prætextas legimus; Eſtque operæ pretium, eas hîc attingere & refellere.

Prætextus primus, nimiæ facultates Eccleſiarum.

QVidam leguntur excuſaſſe nimiam Eccleſiæ facultatum & prædiorum vbertatem, cum damno Reipublicæ coniunctam, & cum ipſorum Eccleſiaſticorum ſpirituali damno, dum præ nimiis opibus ſuffocantur ſpiritu. Sanè immenſitas donationum factarum Eccleſiis in Germania, atting itur à Lupoldo Bubenburgio l. de zelo veterum Germaniæ principium. c. 9. Legimus.

ergo id aliquando prætexuisse Nicephorum Phocam in Nouella quæ extat, t. 1. lib. 2. Iuris Orient. pag. 114. [Cum monasteriorum (inquit) sacrarúmque pietatis officinarum, manifestissimum morbum intueor, (morbum enim appello, hanc insatiabilitatem); quod huic malo remedium excogitem, nescio, quáue ratione modi excessum coërceam. Quibus enim Patribus obsequentes, aut vnde nacti occasiones, ad tantam superfluitatem, & vanam insaniam, (vt cum Dauide loquar), exorbitarunt dum infinita terræ iugera, structuras ambitiosas, greges equorum, boum, camelorum, iumentorum aliorum innumerabilium, singulis horis acquirere student, totámque animi curam in hæc intendunt; adeo vt studia monastica, nihil à vita mundana, multisque sollicitudinibus æstuante, differant?] Eodem pertinent voces illæ, quarum fit mentio in Concilio Parisiensi l. 1. cap. 18. cum hac reprehensione. [Cesset ergo ambitio, quæ dicere solet, nimis rerum habere Ecclesias Christi, & perpendat, quia quantæcumque sunt res Ecclesiæ, si eo modo, quo dispensandæ sunt, dispensentur, nimiæ non sunt. Cupiditas quippè, immò negligentia quorundam dispensatorum, non Ecclesiæ amplæ res, in vitio sunt: Mira namque res; ambitio mundialis satis non habet, & Ecclesia Christi, nimium habet.]

2. Sed quod ad impij Nicephori querelas attinet, quanti eæ faciendæ essent, sic docuit haud ita multo post, Basilius Porphyrogenitus; ea Constitutione quæ à Balsamone in Photij Nomocanonem, recitatur ad canonem primum Synodi Constantinopolitanæ, & l. 1. Iur. Orient. est 69. [Imperium nostrum quod à Deo est constitutum (inquit Basilius) cum & à Monachis quorum testata pietas ac virtus est, & ab aliis multis cognouerit, legem à Domino Nicephoro qui ad Imperium peruenit, de Ecclesiis Dei, religiosisque domibus latam, cum præsentium malorum, tum vniuersalis huius confusionis atque euersionis causam & radicem extitisse, veluti non ad iniuriam contumeliamque duntaxat Ecclesiarum, & Religiosarum domuum, sed ipsius quoque Dei conditam; adeóque reipsa de hoc factum sit certius nostrum Imperium; (Nam ex quo lex ista robur habuit, nihil boni penitùs in hodiernum vsque diem, vitæ nostræ contigit, sed potiùs è contrario nullum omnino genus calamitatis intermisit,) statuit per auream hanc Bullam cui subscripsit, indicatam ab hoc præsenti die cessare debere, ac deinceps irritam, nulliusque momenti manere: conditis ante illam legibus, tam de Ecclesiis quàm de Religiosis domibus, vim roburque suum obtinentibus.] Rectè Anastasius Germonius l. 2. de sacrorum immunit. cap. 17. n. 56. post adductam eam Basilij constitutionem, contestatur Christianos Principes, sollicitos effugere exterorum inimicitias, iniurias, suorum òdia, machinationes, Barbarorum excursiones, incendia, bella, famem, pestilentiam, & id genus calamitates quibus imperia & principatus atteruntur ac pessundantur; vt imitentur Basilium, à Phocæ autem sensu ac moribus planè abhorreant. Nulla enim ratione melius stabiliri ac firmari res humanæ possunt, quàm si res Deo addictæ persistent imminutæ, nec de minuendo Dei peculio ineatur cogitatio, sed in eius amplificationem incumbatur, quàm studiosissimè, quidquid prudentia carnis, quæ mors est, & Phocam cum imperio euertit, improuidis in contrarium suggerat.

3. Quis

3. Quis verò non agnoscit in Nicephori Phocæ ac similium querelis, voces illas Iudæ proditoris, *vt quid perditio hæc?* Ita planè censuit Concilium Aquisgran. sub Ludouico Pio l 3. cap. 9. loco quem signaui in tractatione de Iuda c. 17. §. 9. num. 37. [Multi sunt hodie, qui Christiano censentur nomine, qui ad instar Iudæ, dicere solent super his quæ aut Domino consecrata sunt, aut consecrari decernuntur, *Vt quid perditio hæc?* putantes perditionem esse, quæ Eclesiæ, ministrisque eius, ac pauperibus, ob amorem Dei sunt commodata. Animaduerti namque non inconuenienter potest, quod sicut vnguentum Mariæ, Christus ad officium suæ suscepit sepulturæ, ita nimirum vota fidelium suscipiat, ad officium sanctæ suæ Ecclesiæ.] Qui ergo Iudæ murmur æmulantur, & voces vsurpant, eiusdem exitum pertimescant. Et puderet sanè hos impios irreligiositatis suæ in his querelis de vbertate opum Ecclesiæ, si opulentiam Sacerdotum Iudaicorum longè viliorum, & in lege multo despicatiore, descriptam à Philone l. de sacerd. honoribus, considerarent.

Prætextus alius, subleuatio populi, fisco de Ecclesiæ bonis locupletato.

4. ANua Sectarius Gallus, Phocæ vota & Iudæ voces renouauit, non ita pridem, prætensa subleuatione populi, à fisco degrauandi, si fiscus inuolet in bona Ecclesiæ, & lien Reipublicæ turgeat bonis sacris, non profanis. Hoc accuratè refellit Petrus Coretus l. contra eum, toto cap. 19. Accedit ad hanc friuolam & planè inanem sacrilegij de quo agimus excusationem, ea quam in Isaaci Comneni rebus gestis adhibuit Curopalates, cum iniquam illius sanctionem refert; qua plurium monasteriorum bona addixit fisco, sola stipe relicta Monachis. Quod non modo comprobat Curopalates, sed insuper votum addit, vt idem executus esset Isaacius in omnibus ad Ecclesiam spectantibus; quo sacri Ministri & Monachi, à deliciis & auaritia reuocarentur. Sed hoc fuisse vesanum iudicium, monstrant quæ idem Curopalates inferiùs scribit, tradens ab irato numine dimicatum fulminibus aduersùs Tyrannum rerum sacrarum occupatorem; adeò vt præ metu abiicere purpuram, & inter Monachos seruitia Monachorum obire, sit adactus.

Tertius pretextus, necessitas bellorum.

5. ALia æquè inanis & malè materiata excusatio est, quam obtendisse quandoque legimus nonnullos sacrorum bonorum immobilium prædones; nempe necessitates bellorum. Hanc Carolo Martello, Pipini ex Alpaide pellice filio notho, (vt habent acta S. Svviberti. cap. 15.), & Carolo Caluo qui hac maximè infamia flagrarunt, fuisse causam grassandi in Ecclesiasticas facultates, multi obseruarunt. Et nominatim ita de Martello habet fragmentum de Maioribus domus regiæ in Pithæi Collectaneis, & Episcopi qui Carisiacum conuenerant, Epistola ad Ludouicum Regem cap. 7. (habetur tit. 23. Capitularium Caroli). Tradunt idipsum de Carolo Caluo, Guaguinus & alij. Hoc autem consilium non ex Deo, innumera peperisse mala, euentus semper docuit.

Carolum Martellum sic dictum (ait continuator Afonis Abbatis in vita S. Bertharij l. 2. *initio*) ob nimiam & Christianis temporibus inuisam inquietudinem, Tudetem à tundendo denominant Acta S. Madoaldi c. 8. & indidem dictum Martellum habent Acta S. Beghæ, hac ex causa iugibus bellis fuisse adactum, & tandem damnatum multorum iam olim sermonibus & scriptis iactatum habetúrque in vita S. Rigoberti Rhemensis, & S. Eucherij Aurelianensis Episcopi. Refertúrque ab etiam Adreualdo l. 1. de miraculis S. Benedicti c. 14 (habetur insertus Floriacensi Bibliothecæ) ab Hincmarò in præfatione vitæ S. Remigij, & à Flodoardo l. 2. hist. Rem. cap. 12. & ab authore Magni Chronici Belgici, nec non à Guaguino l. 3. histo. c. 4. & a Guilielmo Benedicto in ca. *Raynutius* de Testam. V. *& uxorem*. decisione 1. num. 14. Imò quod grauius est, in Capitulis quæ ab Episcopis Prouinciarum Remensis & Rothomagensis, Ludouico Regi missa fuerunt, idem latè traditur. Habentur in Capitular. Caroli Calui; Et in notis ad nouum Corpus iuris Canonici 16. q. 1. cap. *quia*, idem memoratur. Adscripserunt sese eius narrationis veritati, Paulus Æmilius l. 2. de rebus Franco. Arnoldus Vion l. 3. ligni vitæ 20. Febr. Coluenerius haud obscurè ad c. illud 12. Flodoardi. Itémque Nicolaus le Maistre l. 2. de bonis Ecclesiarum c. 2. Hugo Menardus lib. 1. obseruat. ad Martyrologium Benedictinum mense Februario num. 20. Vt mirum videri possit, tam multiplici testimonio firmatam narrationis illius veritatem, fidem apud aliquos recentiores amisisse, à quibus (comperta loquor) Baronius hac in parte eò est adductus, vt narrationem de Caroli damnatione, falsam pronunciaret, vt videre apud eum est anno Christi 741. Argumentum dicunt, ex eo quod Acta S. Eucherij Aurelianensis, cui facta dicitur reuelatio damnationis Caroli, produnt Sanctum Antistitē obiisse anno sexto sui exilij, Christi 727. quo tempore superstes adhuc erat Carolus Martellus, qui tantùm anno Christi 741. obiit ex omnium Chronographorum testificatione: ac proinde non potuit obuersari S. Eucherio in inferno. Verùm, ex falsa assumptione, mirum non est falsò conclusum esse, & tributam tantis viris quantos retulimus, exerrationem. Nam Carolus Saussayus, in Annalibus Aurelianensibus, monstrat S. Eucherium missum esse in exilium anno Christi 741. & anno sequenti subsecutam esse visionem de Martelli damnatione: Postea verò S. Eucherium mortuo pridem Carolo, obiisse anno exilij sui nono, Christi verò. 749. Februarij 23. vt est in chronico Abbatum S. Trudonis, quod asseruatur. M. S. in illo ipso monasterio in quo S. Eucherius exulauit. Itaque tempora consentiunt, nec est quod visionem S. Eucherij, tot grauissimis testibus probatā, insimulemus falsitatis. Additque Adreualdus l. co allegato, eandem reuelationem de Caroli Martelli damnatione, S. Bonifacio Frisonum Episcopo, æquè ac S. Eucherio Aurelianensi, obiectam esse; & ab vtroque, corporeis visibus subiectam Carlomanno Martelli filio, qui inde animum abiiciendi seculi conceperit.

Carolo Caluo Concilium Meldense c. 9. prænunciauit, regni vastitatem ac destructionem, ex his sacrilegiis consecuturam. Et intrepidè Lupus Ferrar. Epistola 43. & 44. contestatur, induisse se ea ex causa Carolum in aperta pericula, seque ac suos innumeris ærumnis & incommodis obiecisse. Itaque qui Ecclesiæ possessiones accipiunt, vt militibus suppeditent annonam aut stipendium,

sium, pessimè omnino consulunt prospero euentui belli ad quod aggrediuntur. Sed quantumuis iustum & sanctum sit bellum, aliunde nerui ad illud corrogandi sunt, quàm ex Ecclesiæ facultatibus. Vix sanè vllum iustius bellum à plurimis seculis fuit, quàm quod aduersus Mauricam colluuiem gestum est, purgandis Catholicis prouinciis, in quas illi impiè Iudaismum & Saracenismum intulerant. Piguit tamen Sancium Ramirum Regem Aragonum, quod aliquando in tale bellum facultates Ecclesiæ contulisset; eamque maculam publica satisfactione eluit anno 1081. quam plena restitutione cumulauit; vt scribit Hieron. Surita l. 1. Annal. cap. 21. Christus ipse; non esse in fiscum conferendum sacram pecuniam, monstrasse videtur; cum tributum non ex sacris pecuniis Iudæ concreditis, sed ex pecunia miraculo quæsita persoluit; vt doceret, aliunde quàm ex sacris facultatibus consulendum esse fisco, neruos bellorum suppeditanti, vt Agobardus admonuit l. de dispensatione rei Ecclesiasticæ. Ethnicos ipsos, quotquot sapuerunt, & nominatim Cæsarem, sacris bonis pepercisse nec ea in belli vsum diripi passos, latè prosequitur Scipio Ammiratus l. 19. dissertat. Politic. ad Tacitum, dissert. 5.

Prætextus quartus, iniqua sententia iudiciaria.

6. FVerunt qui sibi in huiusmodi bonorum prædatione abblandirentur, ex sententia iudiciaria iniquè extorta: In quam iniquitatem, luculentum exemplum recitat Greg. Tur. l. de glor. confess. cap. 71. [Aquensibus (inquit) est concessus inclytus athleta Mitrias, vir in corpore, iuxta historiam actionis, magnificæ sanctitatis: & licet ditione seruus, liber tamen iustitiæ: qui vt ferunt legentes certaminis eius textum; peracto cursu boni operis, à seculo victor abscessit, sæpiùs se in cœlis degere, virtutibus manifestis ostendens. Tempore igitur quodam, cum Franco Episcopus, huius municipij Ecclesiam gubernaret, Childericus qui tunc primus apud Sygibertum Regem habebatur, villam eius competit, dicens, quia iniustè ab Aquensi Ecclesia retineretur; & dicto citiùs, conuenitur Episcopus, datísque fideiussoribus in præsentia Regis adsistit, clamans, & obsecrans, vt Rex ad huius causæ audientiam, præsentiam suam auerteret, ne cœlesti iudicio condemnetur, addens; *Scio* enim virtutem Mitriæ viri Beati, quòd velociter in peruasorem suum inrogat vltionem. Denique coniuncti auditores, causam discutiunt. Insurgit Chilpericus, atque improperans criminibus exacerbatum Episcopum, quòd res fisci ditionibus debitas, iniquo ordinè retineret, extrahi eum vi à iudicio iubet: & tantum ablata per iudicium præsentium villa trecentis aureis condemnauit. Fauebant ei omnes, nec quisquam contra voluntatem eius audebat decernere, nisi quod eidem libuisset. Denique condemnatus, spoliatúsque sacerdos, ad vrbem rediit, atque prostratus in orationem coram sepulchro Sancti, dicto psalmi capitello, ait, Non hic accendetur lumen, neque psalmorum modulatio canetur; Gloriosissime sancte, nisi priùs vlciscaris seruos tuos de inimicis suis, résque tibi violenter ablatas, Ecclesiæ Sanctæ restituas. Hæc cum lachrymis effatus, sentes cum acutis aculeis, super tumulum proiecit. Egressúsque, clausis ostiis similiter in ingressu, alias collocauit. Nec mora. Corripi-

tur peruasor à febre, decumbit lectulo, exhorret cibum, fastidit & potum; profert æstuans iuge suspirium. Cui etiam si ab ardore febris interdum sitis accederet, aquam tantùm, & nihil aliud hauriebat. Quid plura? In hac ægrotatione, integrum ducit annum: sed mens praua non flectitur. Interea labitur cæsaries cuncta cum barbâ, & ita omne caput remansit nudum, vt putares eum olim sepultum, nuper eiectum fuisse post funera, de sepulchro. His & talibus miser afflictus malis, serò recogitat, dicens; Peccaui, eo quòd expoliauerim Ecclesiam Dei; atque Episcopo sancto, intulerim iniuriam. Nunc autem i e quantocyùs, & reddita villa, sexcentos aureos super tumulum sancti deponite. Est enim mihi spes, quod res reddita tribuat ægrotanti medelam. Quod audientes homines eius, accepta pecunia fecerunt sicut eis fuerat imperatum. Reddiderunt agrum, solidósque super sepulchrum serui Dei posuerunt. Sed cum hoc fecissent, statim ille in loco in quo erat spiritum exhalauit: lucratúsque est detrimentum animæ per adeptionem acquisitionis iniquæ. Episcopus autem obtinuit vltionem de inimico Ecclesiæ, quam promiserat futuram per athletæ Dei virtutem.]

Quintus prætextus, Donatio Regia.

7. DEnique fuere olim, qui hanc immobilium Ecclesiæ bonorum occupationem, honestari censuerunt titulo donationis Regiæ. *Ita* referatur in Concilio Aruernensi sub Theodeberto c. 4. vbi aliqui horrendæ cupiditatis impulsu, reculam Ecclesiæ petijsse à Regibus dicuntur. Quæ verba, nomine Symmachi Papæ allegantur in capitibus villæ Sparnacy c. 42. Idem refertur in Concilio 3. Parisiensi cano. 1. *ad finem,* vbi Patres seram pœnitudinem suam de nonnulla sua mollitudine hac in parte exprimunt. Præterea Concilio sexto Romano sub Symmacho, inter varios abusus qui irrepserant quoad rerum sacrarum vsurpationem, hic non omittitur, quod aliqui sub specie largitatis Regiæ, vel cuiuscunque potestatis, facultates Ecclesiæ improba subreptione peruaderent. Quod paulo post, his fortibus verbis castigatur ab eodem Symmacho. [Valdè iniquum ergo, & ingens sacrilegium est, vt quæcunque, vel pro remedio peccatorum, vel salute, vel requie animarum suarum, vnusquisque venerabili Ecclesiæ contulerit, aut certè reliquerit, ab his, quibus hæc maximè seruari conuenit, id est, Christianis & Deum timentibus hominibus, & super omnia à Principibus & primis regionum; in aliud transferri, vel conuerti. Propterea qui hæc non præuiderit, & aliter quàm scriptum est, prædia Ecclesiis tradita petierit, vel iniustè defenderit, aut retinuerit; nisi citò se correxerit, quo iratus Deus animas percutit, anathemate feriatur: sitque accipienti, & danti, & possidenti, anathema, & institutæ pœnæ contubernium assiduum. Nec aliquo se ante tribunal Christi obstaculo muniat, qui à religiosis animabus ad substantiam pauperum derelicta, contra fas, sine aliqua pietatis consideratione dispergit.] Hoc Symmachi oraculum, quantis plausibus, & quàm congeminatis acclamationibus exceperit Concilium vniuersum, ibidem subditur; nominatímque extenditur pœna perpetui anathematis, in eos qui res Ecclesiæ, iussu vel largitione Principum, vel quorumdam potentum,

potentum, aut quadam inuaſione; aut tyrannica poteſtate retinuerint; & filiis vel hæredibus ſuis (vt à quibuſdam iam factum audiuimus, inquit Symmachus) quaſi hæreditarias reliquerint.

8. Fortiſſimè item Nicol. 1. Epiſtola ad Aquitanos (eſt 63.) vbi poſt longam increpationem ob prædationem Eccleſiarum pro qua hortatur ad reſtitutionem, addit. [Similiter autem & de his hortamur à vobis fieri quæ Reges quomodocunque à ſanctis locis aliquo tempore abſtulerunt, & vobis in beneficium contulerunt. Quod iuſtum non fuit, nec eſt, & quiſquis hæc ſibi vindicat, Deum inde ſine dubio habebit iudicem & vltorem. Quoniam ſi qualeſcunque rapaces & violenti, niſi corrigantur, ſi non humano nunc, certè quandoque diuino iudicio diſtrictiſſimè punientur, qua putatis pœna multandi ſunt qui contra Deum ipſum, rapinam & violentiam perpetrare manifeſtiſſimè cõprobatur? Denique prædeceſſores veſtri, antiqui Principes, adhuc & moderni non ſolum minimè à piis Domino dicatis locis diripiebant: verùm etiam ex ſuis propriis innumera conferebant; adeò vt eadem ſancta loca, eorum ſumptibus cum Dei auxilio dedicata ſint, & eorũ opibus ampliata, quos ſi in largitionibus imitari non vultis, ſaltem quæ Dei ſunt, ipſis violenter auferre nolite. Si enim qui de palatio Regis aliquid præſumit, non euadit legaliter impunitus, quanto minùs qui ab ædibus Dei qui eſt Rex Regum & Dominus Dominantiũ, ea quæ ipſius ſunt, violenter vſurpat, eius valebit effugere non ſubſequente correctione iudicium, vel ſine pœna poterit exilire? Itaque quoniam horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis, admonemus vos, & hortamur, & tãquam in diuina præsẽtia proteſtamur, vt res Eccleſiarũ quas iniuſtè retinetis, eiſdẽ ſanctis locis ſine procurata mora reddatis, & deinceps nec eas, nec alias à piis locis ſurripere præſumatis.] Manifeſtè furti ſacrilegi dãnat occupationem rerum Eccleſiæ de quibus agimus, tametſi factã annuente & cõcedente Rege, qui taliũ bonorũ non eſt Dñs.

9. Scribens ad Ludouicum Regem Francorum Hincmarus Remenſis cap. 4. abuſionem in qua verſamur, potenter repellit, his præter cœtera. [Sunt qui dicant, (vt audiui), quia res Eccleſiaſticæ Epiſcoporum, in veſtra ſint poteſtate, vt cuicunque volueritis, eas donetis. Quod ſi ita eſt, ille malignus Spiritus qui primos parentes noſtros perdidit, perditionem veſtram in aures veſtras ſuſurrat. Sanctus namque Spiritus, per eos qui cum Chriſto in cœlo regnant & in terris miraculis coruſcant, dixit, & vſque ad nos ſcriptis peruentus fecit, dicens; Res & facultates Eccleſiaſticæ, oblationes appellantur, quia Domino offeruntur, & vota ſunt fidelium; ac pretia peccatorum, atque patrimonia pauperum. Si quis illa rapuerit, reus eſt damnationis Ananiæ & Saphiræ; & oportet huiuſmodi tradere Satanæ, vt Spiritus ſaluus ſit in die Domini. Quod glorioſi Imperatores Carolus & Ludouicus, in primo libro Capitularium ſuorum ita inſeruerunt dicentes; [Quia iuxta ſanctorum Patrum traditionem, nouimus res Eccleſiæ, vota eſſe fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum; ea que non ſolùm habita conſeruare, verùm etiam multa, Deo opitulante conferre optamus: Tamen vt ab Eccleſiaſticis de non diuidendis rebus Eccleſiæ, ſuſpicionem dudum conceptam penitus amoueremus, ſtatuimus, vt neque noſtris, neque filiorum, & Deo diſpenſante, ſucceſſorum noſtrorum temporibus, qui noſtram, vel progenitorum noſtrorum voluntaté vel exemplum

imitari voluerint, vllam penitùs diuisionem aut iacturam patiatur. Hactenus locus ex Capitularibus. Pergit Hincmarus cum Ludouico agens. [Quod & vos seruare oportet, si feliciter vultis regnare, quæ minoris potestatis, & ætatis, atque sapientiæ adhuc estis, quàm & illi fuerunt, qui hæc & seruauerunt, & seruanda promulgauerunt.] Vides, quo loco habeat Hincmarus, titulum inuadendi aut retinendi prædia Ecclesiastica, quem excutimus: Estque perspicuum esse titulum euanidum. Nimirum sicut non fuit Regiæ vel laicæ cuiusuis potestatis, primùm conferre cuiquam Ecclesiastica prædia & possessiones, vt disertè dicitur l. 5. Capitul. cap. 249. & l. 6. cap. 254. Ita neque laicæ vllius potestatis est, in talium bonorum adeptione, & semel malè inita possessione, quempiam firmare quoquomodo. Hoc addo, quia ne ea quidem confirmatio precariarum (vt vocabant) ab Antistitibus concessarum, quam aliqui à Principibus poscebant, legitima erat; multo minus fas erat precarias ab ipsis Principibus exposcere, & sic obtentis frui.

Precariæ seu præstariæ à sola Ecclesia, concessæ & firmatæ.

10. ERant *precariæ*, prædiorum aliquorum Ecclesiasticorum, aliarúmve immobilium possessionum sacrarum, impetrationes, sub annuo censu, pendendo Ecclesiæ ad certum tempus. Ita enim apertè habetur in literis Episcoporum Rhemensis Prouinciæ supra recitatis, & ex l. 7. *Capitul.* Franco. cap. 104. vbi sic legitur. [Præcipimus, vt nullus res Ecclesiæ nisi precariò possideat; & postquàm ipsæ precariæ finitæ fuerint, faciant potestatiuè speculatores Ecclesiæ, vtrum elegerint: aut vt ipsas res recipiant, aut posteris eorum sub precario & censu habere permittant. Ita tamen vt ipsi, proprias & vtiles res, eisdem Ecclesiis, de quarum iure esse videntur, legaliter tradant, & sic Rectoribus earundem Ecclesiarum, precariæ si renouandæ sunt, canonicè renouentur.]

11. Fieri solitam eam renouationem post quodlibet quinquennium, habetur in Concilio Meldensi. cap. 22. vbi insuper sacerdotali robore Patres, contra obrepentem abusum sanciunt, ne his se negotiis Regia authoritas immisceat, nisi interpellata ab Ecclesia. [A nulla potestate (inquit Concilium), quis cogatur facere precariam, de rebus propriè Deo & sanctis illius dicatis, cùm ratio & vsus obtineat, neminem qui non vult, contra vtilitatem & rationem, præstitum de proprio facere beneficium. Præcepta autem regalia super precariis Ecclesiasticis fieri, nec ratio sinit, nec authoritas quolibet modo permittit. Quoniam præcepta in iure Ecclesiastico firmare, indignum iudicet necesse est maiestas Regia, nisi ab Ecclesiastico rectore petantur. Idem autem custos Ecclesiæ solertissimè caueat, ne sui ordinis, & Ecclesiasticæ communionis fortè immemor, contra auctoritatem præceptum regium pro quacunque assentatione fieri petat: qui etsi fecerit, non audiatur. Si autem, & obtinuerit, regia discretione & Episcopali iudicio, idem rescindatur, & petitor iniustus, pro Principis iniusta suggestione, digne corripiatur, & precariæ secundùm antiquam consuetudinem & auctoritatem, de quinquennio in quinquennium, renouentur.] Est caput 22. inter ea quæ in Villa Sparnaco sunt constituta, vt habetur tit. 6. Capitularium Caroli Calui.

12. Cæterum

12. Cæterum quæ his locis dictæ sunt precariæ, (& apud Flodoardum l. 2. histo. Rem. cap. 5. *precatoira*, cuius formulam exhibet Sirmondus in Analectis ad Capitul. Caroli Calui tit. 7.) alibi dictæ inueniuntur *præstariæ*. Sic enim Flodoardus l. 3. hist. Rem. cap. 20. ait, Carolum Pipini Regis filium, villam quamdam à Tilpino Archiepiscopo obtinuisse *in præstariam*. Et cap. 21. memorat Theodoricum Episcopum periisse, res Ecclesiæ Remensis sibi per præstariam delegari. Expressissimè verò ipsemet Flodoardus ibidem l. 4. cap. 11. idem subesse vtrique illi voci *precariarum*, & *præstariarum* docet. Et confusas sæpè fuisse has voces, non est dubium, vt liquet ex variis exemplis signatis à Rouerio ad Historiam. *S.* Ioannis Reomaensis num. 134. In rigore tamen loquendo, *præstaria* rectorem Ecclesiæ spectabat, qui rem *in præstitum* tribuebat, & quibus conditionibus id faceret, exponebat; vt videre est in formula præstariæ Hildrici Abbatis Reomaënsis 33. c. 4. Præstaria ergo dicta videtur, quia res Ecclesiæ minùs vtiles, vel minusculæ, vt habet Concilium Agathense c. 7. saluo iure Ecclesiæ, in vsum præstabantur à Superiore. Precaria verò, aut vt loquitur synodus sub Sennatio Episcopo Remensi apud Flodoardum l. 2. cap. 1. precatoria, spectabat petitorem, qui rem Ecclesiæ accipiebat præcariò; & conditiones impositas se expleturum profitebatur. Marculfus vtriusque formulas exhibet. His igitur precarias vel præstarias, non modò largiri negatum est laicæ potestati, sed etiam confirmare, idque se seruaturum, Rex Carolus Caluus spopondit Episcopis in Synodo Suessionensi cap. 11. serie 2. tit. 9. Capitularium eiusdem Caroli.

13. Si itaque potestas laica quæcunque, ne confirmationem quidem præstari rium, sibi vendicare suo iure potest, quanto minùs poterit de ipsis Ecclesiasticis possessionibus disponere quoquomodo, per seipsam? Hoc addo, quia annuente Ecclesiæ supremo capite interpositâque iusta & ritè fundata dispensatione, fas esse aliquando potest, aliter facere in grauissima quapiam necessitate, iis seruatis quæ generatim in capitis primi calce, rursúsque in fine capitis secundi, quoad mobilia Ecclesiastica tradidi. Considerandum tamen est, & alta mente condendum, nihil esse periculosius, quàm hunc sacrum ignem, inferre quopiam: quia nihil facilius est, quàm vt conflagret domus illa, aut etiam regnum, ab his prunis, & ab hac flamma, vt monetur in Capitular. Regum Francorum l. 5. cap. 89. Imo qui præuia facultate solos huiusmodi bonorum fructus vsurparunt, experimento didicerunt, nihil esse damnosius tali vsu, ad fines qui alioqui videbantur honesti, vt dicam infra, agens de Ecclesiarum decimationibus. Quanto ergo minùs tutum videri debet, cum aliquo licet colore facultatis, prædia ipsa & possessiones, Ecclesiis ad Dei cultum & sacrorum ministrorum sustentationem, piorum religione collatas, auertere aliò.

14. Hæc an eos etiam feriant, qui nulla publica causa vrgente, in solum proprium commodum, allegatis meritis quæ ægrè comparent, Ecclesiasticis possessionibus integrum beneficium constantibus potiuntur, abblandientes sibi de indulto Ecclesiastico, viderint alij. Certum sanè est, nec qui indultum illud concessit, nec qui eo vtitur, coram Deo innoxios & indemnes fore, si defuerit idonea & iusta indulgendi causa; sine qua summus Pontifex, qui dispensator non dissipator bonorum Ecclesiæ est, nihil in ea bona potest ad alium

finem, quàm in quem sunt collata à piis fidelibus eorum erogatoribus.

Disputatio quæ & aduersùs quosdã Antistites bona Ecclesiæ pro arbitrio distrahentes,& aduersùs ea admittentes laicos,instituitur in Dialogo de statu Ecclesiæ,sub texto Hincmari Opusculis,bellè huc cadit.[Desiderans(inquit autor,) nomen Pastoris Lupus factus est. Talia ergo facientes,dicitis vos Christianos,cũ manifestè AntiChristi sitis? Dicit enim Christus, *Qui non est mecum,contra me est,& qui non colligit mecum, dispergit.* Vos quæ Christus construxit destruitis, & quæ collegit dispergitis; & Christianos, vel cũ Christo vos esse putatis? Frustra venitis ad Ecclesiã, cuius inimici estis; frustra offertis ad altare nummum,quem ipsi altari tulistis. Quid de vobis dicam seculares, qui non solùm Ecclesias, sed etiam ipsa altaria possidere vultis? Numquid vos qui oblationes pauperum comeditis & bibitis, ad offerendas Deo hostias pro ipso populo accedetis? Vos horrea frumento, & cellaria ex his quæ Ecclesiæ sunt, vino complebitis, & sacerdotes eius fame affligetis? Cur non pertimescitis iudicium Dei? Panes propositionum, non licebat comedere nisi mundis & purificatis sacerdotibus: & vos cum vxoribus & ancillis vestris, & quod peius est, nonnulli cùm scortis, decimas & oblationes fidelium manducabitis? Coram vobis ardebit candela, quæ Deo est oblata, & eius altare & sacrificium, sine lumine erit? Chore, Dathan, & Abiron, contra Moysem, & Aaron pro Sacerdotio murmurant, & ea quæ Dei sunt, auferre moliuntur. Chore cum ducentis sociis suis, igne diuino exustus perit. Dathan & Abiron, cum vxoribus & liberis & vniuersa familia, & supellectili tota, viuos terra absorbuit. Achan quia vsurpauit de anathemate cum omnibus suis, viuus incensus est. Oza quia præsumpsit arcam Dei tangere, mortuus est in eodem loco. Baltazar Rex in conuiuio suo, decimas & oblationes Dei non apposuit, sed in sacris vasis bibere præsumpsit. Ob hoc cœnanti ei, apparuit manus, quæ scriberet in pariete, *Mane, Techel, Phares*; cuius rei interpretationem à Daniele sancto, in testimonium sui accipiens, ea nocte interfectus est, & regnum eius dissipatum. Cur induratis cor vestrum, sicut Pharao qui seruituti subigebat populum Dei? Decem hic plagis percussus, ad vltimum in mari rubro cum omni suo exercitu suffocatus est. Similiter vos, populum Dei manducatis & dispergitis; Sacerdotes eius contemnitis, præcepta eius non auditis, flagella eius dispergitis, beneficiis non flectimini. Scitote quia sicut mare rubrum Pharaonem, sic infernus deuorabit vos. Et non dixeritis, nos Christiani sumus: Vos Christiani non estis, sed bestia illa quæ apparuit in visione Danieli Prophetæ, fortis & terribilis nimis, dentes & vngues eius ferrei, conterens & comedens omnia, & reliqua pedibus suis conculcans. Verbo Dominico concludam sententiam, *Qui ex Deo est, verba Dei audit: Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.*]

CAPVT

CAPVT OCTAVVM.

De Testamentorum Ecclesiæ vtilium interuersione, aut conuulsione.

1. HACTENVS dictum est de sacrilegiis per expilationem bonorum in quæ Ecclesia habet ius in re. Nunc ea sacrilegia sunt attingenda, quibus subducuntur bona, in quæ nondum est Ecclesiæ ius, nisi ad rem; cuiusmodi aliquando sunt bona Testamento donata, & decimæ.

Ius Testamento delatum, obiter supponitur, ad lucem iniuriæ qua violatur.

ORdior à testamentis, quia quandoque testamenta dant ius in re. Quod vt intelligatur, præmittendum est testamenta Ecclesiæ fructuosa, vel nondum esse confirmata, quia superstes adhuc est Testator; vel esse confirmata per Testatoris mortem, vsque ad quam ambulatoria est voluntas defuncti, vt dixit Vlpianus l. 4. ff. *de adimend. vel transferend. legatis.* Id quod ex omnium gentium vsu confirmat Couarruu. Rubr. de Testam. parte 2. *in principio.* Testamenta quæ nondum confirmata sunt, spectari possunt vel in fieri, vel in facto esse; id est vel vt facienda, vel vt iam confecta; quorum duorum modorum, quod ad rem præsentem attinet, eadem est ratio; quia Testamentum quandiu nondum obiit Testator, est semper ab eo variabile. Vnde pro toto reliquo tempore vsque ad obitum, est perpetuò in statu Testamenti dependentis à nutu Testatoris, ad eum reuocandum potentis. Testamenta verò confirmata, ad tempus non mandantur executioni, aut absolutè negatur eorum executio, lacerato etiam, vt interdum contigit, Testamento. Hic postremus modus eludendi Testamenta Ecclesiæ vtilia siue per hæreditatis delationem, siue (quod in hac re idem est,) per legata, violat ius in re delata partum, valdéque accedit ad sacrilegia hactenus exposita; nisi quod defectu initæ possessionis, non est ius perfectè & accessoriè completum; quod parum refert ad rationem iniuriæ. Itaque hîc meritò tractatur. Attingemus tamen alias circa Testamenta iniurias, aduersùs Ecclesiam, quibus violatur tantùm ius ad rem assequendam & habendam per Ecclesiam: ad quam me restringo, seu ad corpus aliquod sacrum, quia quamuis possit hac in parte peccari quoque erga singulares personas sacras, capaces obuentionis Testamentariæ; tamen in præsentia, spectamus tantùm quæ spectant commune damnum Ecclesiæ, non singulares ac priuatas læsiones. Percurremus ergo sigillatim, duplex Testamentorum genus propositum.

Obex ne Testamentum in fauorem Ecclesiæ fiat, priuatis artibus.

QVoad eum qui obstat ne Testamentum conficiatur in fauorem Ecclesiæ, aut sacri cuiusq; iam cœtus; vel quod idem est, qui curat vt tale Testamentum rescindatur priusquàm confirmetur; distinguendum est. Vel enim is qui obstat, id facit priuatâ dissuasione, citra vim & dolum, aut cum alterutro illo neruo: Vel obex conficiendi tale Testamentum, apponitur authoritate publica v. g. per legem supremi Principis temporalis. Priuatam dissuasionem, vsurpare solent cognati seculares, cum aliquis præsertim quem necessitudine contingant, cogitat relinquere bona sua Ecclesiæ, vel Xenodochio. Tunc enim quibuscunque possunt modis, abducere satagunt Testatorem, ne præda cui iam oculum adiecerant, elabatur. Id quod etiam præter cognatos & necessitudine coniunctos, filij huius seculi prudentes in generatione sua, solent facere: damnantes stupiditatis & superstitiosæ insulsitatis, voluntatem illam spoliandi (sic enim loquuntur,) domesticos suos, vt ad Ecclesiam deuoluant facultates de quibus possunt Testamento disponere. A tam fatuo igitur consilio, (vt ipsis quidem sapientissimis hominibus videtur), Testatorem tentant auertere. Idque vt assequantur, immensas Ecclesiæ opes, supra verum auctas, ad inuidiam Ecclesiæ & Clericis faciendam, traducunt: quod solitum fieri, Possidius in vita Beati Augustini testatur. cap. 23. Sacrorum hominum illis abutentium maculas, non sine amplificatione proponunt: Vrgent consecuturam famam non bonam, de auerso à suis animo, & nonnulla læsi capitis & mysanthropiæ aut atrabiliariæ fuliginis suspicione, apud sanos quosque. Omni denique machinarum genere, disturbare consilium de locupletanda Ecclesia, & congerendis in eam nouis facultatibus, satagunt.

Attingitur morbus hæredipetarum, inde prætextus apponendi obicem piis Testamentis.

2. PRiusquàm de hac re pronunciem, admitto lubens, indignum, & omni ratione ex Ecclesia eliminandum esse morbum hæredipetarum. Admitto inquam ferendum non esse, vt sacri homines veluti vultures inhient prædæ, & Testamenta captent, Ecclesiæ aut pio cœtui profutura. His quippè non sine aliqua præstigiarum & violentiæ necessitate conferuntur bona à Testatoribus; præsertim si necessarij, ac (vt loquitur, Autor libri de diuitiis, ista sugillans,) parentes pauperes egeant prædictis bonis. In quo euentu, creditus Sixtus, talia bona contendit accipienda iniustè; (rectiùs dixisset perperam & inhonestè;) tametsi Diuus Augustinus in serm. de Decalo, quem adducit Eugyppius Tomo 1. c. 115. æquè vocat iniustam eam alienæ hereditatis, præteritis necessariis hæredibus fortè egentibus, acceptionem. Sed *iniustam* dixit, latè, id est; inhonestam & illicitam. Synodus Cabilonensis 2. c. 7. & Moguntina vt refertur cap. *constituit sanè* 16. q. 7. quod denuò allegatur 20. quæst. 3. testatur fuisse Episcopos & Abbates qui essent heredipetæ, ideóque attonderent aliquos; vt eorum hæreditate potirentur. Id verò his verbis damnat. [Constituit

sanè

facer iste conuentus, vt Episcopi, siue Abbates, qui non in fructum animarum, sed in auaritiam, & turpe lucrum inhiantes, quoslibet homines circumueniendo totonderunt, & res eorum tali persuasione surripuerunt; pœnitentiæ canonicæ, vt potè turpis lucri sectatores, subiaceant. Hi verò, qui illecti comam deposuerunt, in eo quod cœperunt, perseuerare cogantur: res verò eorum, hæredibus reddantur.]

3. Nec dicuntur ista de iis qui sibi priuatim hæreditates captarent, quos anterioribus legibus coërcitos, ipsa Ecclesia poscente, infra videbimus; sed de capantibus hæreditates, Ecclesiæ vel cœtui vniuerso. A quò animo longè abesse Societatem IESV, quiquid mentiatur iniquitas sibi, benè monstrat Ioannes à Cochier in Vindic. Eccles. liber. parte 2. c. 12. n. 2. allegata conditione societatis id sedulò cauente. Et Polanci instructione pro iuuand. infirm. c. 3. longe item ab hæredipetarum mente abfuit Augustinus, qui delatas, non sibi, qui pauper erat & esse volebat, sed Ecclesiæ suæ hæreditates, non rarò rejecit, vt scribit Possidius c. 24. cum scilicet iudicabat, iustum & honestum esse talia bona obtingere hæredibus necessarijs; tametsi alioqui cum causæ reiiciendi deerant, ea admittebat; legata tamen præoptabat hæreditatibus fortè sollicitis atque damnosis, vt Possidius addit. Abfuit item ab ea cauponaria & quæstuaria mente, qui nobilem fortassis in hac parte sensum, Augustino (vt circa alia pleraque), instillauit Ambrosius, cuius in hanc rem luculenta disputatio habetur 3. offic. c. 9. [Nihil (inquit) deformius, quàm nullum habere amorem honestatis, & vsu quodam degeneris mercaturæ, quæstu sollicitari ignobili, auaro æstuare corde; diebus, ac noctibus inhiare in alieni detrimenta patrimonij; non eleuare animum ad honestatis nitorem, non considerare veræ laudis pulchritudinem. Hinc nascuntur aucupia quæsitæ hæreditatis, continentiæ atque grauitatis simulatione captatæ, quod abhorret à proposito Christiani viri. Omne enim quod arte elicitum & fraude compositum est, caret merito simplicitatis. In ipsis qui nullum Ecclesiastici ordinis officium receperint incongrua iudicatur affectata ambitio hæreditatis. In supremo fine vitæ positos, suum habere iudicium, vt liberè testentur quod sentiunt, qui postea non sunt emendaturi, cùm honestum non sit compendia alijs, vel debita, vel parata auertere; cùm vel sacerdotis, vel ministri sit prodesse, si fieri potest, omnibus, obesse nemini.] Quod dixit, in laicis quoque displicere hæreditatum captationem, verum agnoscet, qui recolet, etiam inter Ethnicos pessimè audisse hæredipetas; ac (vt Seneca vocat episto. 95.) vultures cadauer expectantes. Videsis eundem Senecam l. 4. de benef. c. 20. (vbi in has aues carniuoras, & hamatos piscatores, scitè,) Lucianum in aliquot Mortuorum Dialogis, Iuuenalem, Saty. vt Flaccum l. 2. Saty. 5.

Variæ maculæ illius obicis appositione, & quando iungatur restituendi obligatio.

4. SIcut autem turpe est, præsertim sacris hominibus, captare hæreditates; ità interuersio Testamentorum in Ecclesiæ gratiam confectorum, est omnino improbanda, si causa desit; ac etiamsi vi & dolo careat, (vt ferè contingit, cum de personis priuatis agitur, vt nunc facimus,) potest sorde-

re macula contra religionem, si absque iusta causa Testator auertatur à voluntate benefaciendi Ecclesiæ, cuius locupletatio est actus religiosus, quippè tendens ad diuini cultus augmentum, quo collimarent maiores illæ opes Ecclesiæ. Potest etiam esse contra Charitatem, quæ æquè sauciaretur, quisquis demum ille esset, à cuius locupletatione testator auerteretur sine idonea causa. Nemo enim vellet sibi fieri eam disturbationem consilij Testatoris, cogitantis de suis facultatibus in eum transfrendis. Facere autem alteri absque idonea causa, quod tibi nolis fieri, est contra charitatem; quæ macula non excluditur per interuentum maculæ contra religionem, quia ambæ sunt compossibiles. Nec tantùm charitas erga Ecclesiam violari potest ex ea ratione agendi; sed etiam charitas erga Testatorem: qui Christo hærede conscripto, (sic enim reuera nominanda sunt, cum Saluiano l. 4. ad Eccles. pia & religiosa Testamenta,) optimè consuluisset animæ suæ; & multæ ac vberis apud Deum gratiæ ac gloriæ sementem fecisset; quod illi bonum, peruersa hac dissuasione, auertitur. Error quippe pinguis est, quo conferens bona sua alijs quàm ex eodem sanguine, culpatur tanquam deriuans sua ad extraneos. Non ita est, cum quis Ecclesiæ, aut pio loco, confert suas facultates. Verè enim confert eas sibi, seque scribit hæredem, vt latè prosequitur Saluianus l. 2. ad Eccles. Possunt denique admisceri maculæ contra iustitiam, per iniurias in Ecclesiam donatariam: hoc est in sacrum cœtum, cuius bono cessurum esset Testamentum; si videlicet falsò onerentur probris, & aspergantur infamia, ad faciliorem Testatoris ab ea bona voluntate auocationem.

5. Et quidem quamdiu dissuasio sordet tantùm labe contra religionem & charitatem, tametsi culpa grauis esse potest, abest tamen restituendi necessitas quæ sola iustitiæ violatione contrahitur, vt ratum est apud Doctores. Cum ergo iustitia non lædatur, quamdiu quis non impeditur ab assecutione facultatum, de quibus conferendis inibatur consilium, absque vllo Testatoris erga eum iustitiæ debito, non potest inde existere restituendi obligatio. Sicut enim Testator absque iniustitia non suscipit voluntatem Testandi in fauorem Ecclesiæ, vel susceptam deponit; ita qui illum coadiuuat ad talem voluntatis mutationem, suadendo ne conscribat religiosum Testamentum, modò abstineat alijs iniurijs, (inter quas non esse numerandas preces, benè tradit Torres t. 2. in 2. 2. dip. 16. dub. 1. n. 8.) ad nullam tenebitur restitutionem. Esto, ex odio & malitia ita se gesserit: In quo euentu S. Thomas 2. 2. q. 62. art. 2. ad 4. videtur innuere, incurri obligationem restituendi. Id quod etiam tradunt Scotus, Richardus, & Paludanus, agentes vniuersè de malignè ac ex odio impediente tertium, ab assecutione passiua boni, quod alius in eum conferre cogitabat. Sed meritò refragantur Rebellus 1. p. l. 3. q. 1. n. 5. Mol. Tract. 2. disp. 727. num. 4. Torres supra n. 8. Bonac. disp. 1. de restit. q. 2. p. 12. n. 2. & alij quos hi proferunt. Et ratio est perspicua, quia cum odium non sit contra Iustitiam, sed tantùm contra charitatem, & odio seposito nulla iniustitia fieret; accessus odij, non potest restitutionis obligationem inijcere.

6. Itaque tunc tantùm, malo interuertori Testamenti religiosi incumbit restituendi necessitas, cum dissuasio fuit contra iustitiam; siue iniustitia admittatur directè aduersùs Testatorem vi ac fraude impeditum; quæ iniustitia æquè refunditur

refunditur in Ecclesiam, de qua ille benè mereri, iniustè impeditur: siue iniustitia fit contra solam Ecclesiam, v.g iniusta suorum ministrorum laceratione, inhibita iure illo ad rem, quod ei aduecturum erat Testamentum in eius gratiam conscriptum. Vnicuique enim ius est, vt permittatur sine iniustè apposito impedimento, accipere ab alio quod is liberaliter conferre voluerit. Quare violatio illius iuris, est contra iustitiam: ac proinde si sequatur damnum, obligat ad restitutionem; sin minùs omnium planè facultatum quas Testamenti confectio destinasset Ecclesiæ hæredi, at saltem attenta probabilitate obtinendi, si Ecclesia non fuisset eo modo impedita. Constat enim rem speratam, vt est præcisè sub illa sola probabilitate, minùs valere quàm si reipsa haberetur, aut si certò esset obuentura, posita impeditione iniusta: Nam quamdiu res pendet adhuc à voluntate Testatoris ex se mutabili, & à variis euentibus qui superuenire possunt, non est tanti facienda, quanti si certò esset ad manum, vel iam possideretur. Si igitur Testamentum iniustè impediatur ad modum prædictum, Ecclesia patitur damnum, per formaliter iniustam violationem iuris quod habet, ne impediatur iniustè, potiri pia aliena liberalitate, & religiosa voluntate. Cum autem violatio iuris quo quis potitur, pertingit ad illationem damni; (non enim priùs, vt rectè Mol. Tract. 2. d. 736. & Less. l. de Iust. c. 13. n. 4. passimque cœteri); exurgit restituendi obligatio, pro rata damni iniustè illati. Frequenter (vt dixi,) in hac parte peccant cognati Testatoris, & vt plurimùm lacerando famam Ecclesiasticorum, quibus Testator sua bona destinarat. In hanc rem quoad peccatum infamantium sacros ministros inter subducendum rés Ecclesiæ, præclara profert S. Pius Epistola 2. quæ hîc locum habent. Aduersùs cognatos autem, hæreditatem ad se deuolui satagentes, dimissa Ecclesia, aut piis causis, optimè ac fusè Saluianus l. 3. ad Eccles. *sub finem.*

De obice piorum Testamentorum confectioni apposito autoritate publica.

7. EX proposita verò doctrina perspicuè habetur, impeditionem autoritate publica factam, contra ius Ecclesiæ, siue iniusta lege Testamentum edendum cassante generatim lata, siue vi inhibendo in particulari voluntatem Testatoris, obligatione restituendi onerari. Quæ violentia duplex ius labefactat; nempe & ius laicorum ad legandum & piè erogandum bona sua, & ius clericorum siue Ecclesiæ, habentis ius vt liberalitate fidelium potiatur. Multis rationibus & iuribus hanc iniustitiam insectatur Ancharanus consil. 155. num. 6. & subscribit Tuscus v. statutum conclus. 389. & conclus. 585. Vnde meritissimò conseruatio ac exercitium commercij bonorum laicorum cum Ecclesia & clericis, commendatur atque sancitur c. de reb. Eccles. in 6. c. futuram 12. q. 1. & c. benè quidem dist. 96. suffragante iure ciuili l. *illud sancimus* de sacros. Eccles. Quæ & alia iura aduersùs hanc iniustitiam iuribus Ecclesiæ & Testatorum infestam benè vrgent Petrus Pechius tract. de Amortizatione & Ioannes à Cochier in Vindiciis Eccles. libert. parte 2. c. 11. Itaque liquet, iniustam legem vel præcludentem Testamenta in Ecclesiæ bonum, vel ea executioni mandari, prohibentem, sordere peccato iniustitiæ, iniiciente obligationem restituendi. Aio *iniusta lege*, quia an & quando lex Principis decernentis

Testamenta Ecclesiæ vtilia fore cassa, possit esse iusta, non est huius instituti excutere. Et qui talem quampiam Caroli Quinti legem primùm improbat Driedo l. 2. de Christ. libert. c. 3. postea tuetur: vt & Molanus de piis Testamentis cap. 35. Tantum itaque dico, si lex supponatur esse iniusta, (vt profectò esse potest,) tunc exurgere restituendi obligationem, ob vi inhibitam facultatem transferendi hereditatem in Ecclesiam. Malè audiuit aliquando Valentinianus Imperator, ob huiusmodi legem. An iure, dubitari potest. Nec qui eam absolutè reprobant, adiuncta omnia introspexisse videntur: ac ne legislator quidem, exploratus est apud omnes. Nam Valentinianum Iuniorem, pupillum Imperatorem sub Iustina matre Arriana, eam legem tulisse, censuit Molanus l. de Piis Testamentis c. 34. negans vllibi eius legis vestigium extare, præterquàm apud S. Hieronymum epistola 2. & apud S. Ambrosium in depulsione Symmachi, qui obiter eius legis meminerunt, eo quod mox à promulgatione sit ablata ea lex. Reuera tamen Autor legis prædictæ non fuit Valentinianus iunior, sed senior; cuius ea lex extat in Codice Theodosiano lib. 16. titulo 2. lata sub tertio Valentiniani & Valentis Consulatu; hoc est, anno Christi 370. ad quem annum Baronius num. 123. quod in legis calce legatur eam fuisse lectam in Ecclesiis; idque absque exemplo sit, vt Imperiales sanctiones præsertim Clero graues aut odiosæ, in Ecclesiis legerentur; colligit, agente Damaso, ad quem rescriptum dirigitur, impetratum fuisse huiusmodi decretum Imperatorum, ad coercendos, sordidos & quæstuarios Clericos, ac præsertim Monachos, quibus tunc vrbs abundabat, qui matronarum hæreditates captabant. Vnde lex non excludit Ecclesiam vel cœtus vllos sacros, aditione hæreditatum, sed tantùm priuatas personas Ecclesiasticas, vel monasticam profitentes, quos decretum videtur notasse, nomine *continentium*. Nam Hieronymus epistola 2. disertè Monachos sub ea lege comprehendit. Nec obstat vsus hodiernus, quo Monachi professi sunt incapaces hæreditatum. Tunc enim Monachi, & hæreditatum capaces erant, vt rectè agnoscunt Vasq. 1. 2. d. 105. c. 6. & Basilius Poncius in variis disputationibus quæst. 3. scholast. c. 9. & l. 7. de Matr. cap. 13. Et testari etiam poterãt, vt iidem asserunt, aperteque tradit Saluianus in Opere (ad) Eccles. Itaque ad frænandos hæredipetas Clericos ac Monachos, (Hieronymus ad Eustoch. epistola 22. Antymum quemdam, & Sophronicum Pseudomonachos, ea nominatim labe infames notat,) qui sibi priuatim captabant hæreditates, aut alias sibi liberalitates captabant, lata est lex prædicta; non ad excludendas hæreditatibus Ecclesias, sed ad priuatas duntaxat sacrorum hominum successiones, vt disertè habet S. Ambrosius Epistola 31. Et idem significat Hieronymus, cum epistola 2. post alia de hac lege, subdit, [Sit hæres, sed mater filiorum; id est gregis sui, Ecclesia quæ illos genuit, nutriuit, & pauit. Quid nos inserimus inter matrem & liberos? Gloria Episcopi est, pauperum inopiæ prouidere: Ignominia Sacerdotis est, propriis studere diuitiis.] Consideratione item digna est, alia restrictio eiusdem legis. Nec enim omnium hæreditates vetat applicari sacris personis priuatis, sed mulierum duntaxat viduarum, quibus se sacri homines *priuatim sub prætextu religionis adiunxissent*. Sunt ipsissima legis verba, quibus insinuatur, per hanc legem consultum fuisse imbecillitati iudicij viduarum, quæ ab his hæreditatum venatoribus

bus

bus ac pietatis nundinatoribus, prætenta religionis specie emungebantur. Itaque Valentinianus, Ecclesiæ, quoad hæreditatum transmissionem molestus non fuit, sed singularibus tantùm sacris personis, sordidè hæredipetis, quoad matronas viduas.

8. Æquè solas viduas frænauit lex alia, durior & Ecclesias quoque comprehendens, lata à Valentiniano secundo, Theodosio & Arcadio, quæ mulieres viduas,quibus domi votiua id est, dilecta proles esset, si quando diem obirent, nullam Ecclesiam, nullum Clericum, nullum pauperem, scribere hæredem concedebat. Habetur in Codice Theodosiano lib. 16. tit. 2. lege 27. Has tamen leges, in suum Codicem relatas noluit Iustinianus. Quin potiùs l. 46. C. de Episcopis & Clericis, (in editionibus nuperis auctioribus,) edixit quamcunque piam dispositionem haberi ratam. Et l. 1. Cod. de sacros. Ecclesiis, inseruit legum à se probatarum & deinceps seruandarum volumini, legem Constantini Magni, volentis liberum cuique esse; Testamento relinquere quæcunque luberet sacris personis, & eorum Ecclesiis, quas nomine Catholici Concilij designat: quia lex ad Oecumenicum dirigebatur & ferebatur in fauorem Antistitum adunatorum;idque nominatim valere vult pro Testamentis. [*Nihil enim*(inquit) est, quod magis hominibus debeatur, quàm vt supremæ voluntati, postquàm iam aliud velle non licet, liber sit stylus.]

9. Longè alia' fuit mens Nicephoro Phocæ, impio Tyranno, sub annum Christi 960. qui causatus insatiabilitatem personarum sacrarum, maximè Monachorum, vetuit vllas eis bonorum accessiones fieri, concludens hoc modo constitutionem, quæ extat Tomo 1. Iuris Orient. lib 2. *pag.* 114.] Itaque ab hoc tempore, nemini liceat, nec fundos agrósue, nec loca Monasteriis, aut Gerocomiis, aut Xenonibus quocunque modo transmittere; adeóque nec alicui Metropoli vel Episcopatui: nec enim illis quid conducunt.] Quæ truculenti hominis in personas & loca sacra efferatio, quantam cladem intulerit Imperio Orientali, agnouit qui eam legem Phocæ, tanquam malorum omnium fontem rescidit Basilius Porphyrogenitus, ea lege contraria quæ eodem libro 2. Iuris Orient. *pag.* 117. habetur. Eam supra sect. 1. c. 7. repræsentaui, ex Balsamone ad canonem 1. eius Synodi Constantinopolitanæ, quæ dicta est *prima & secunda*. Refert eodem loco Balsamon, Constitutiones duas Emmanuelis Comneni, interdicentis transmissione immobilium ab Imperatoribus acceptorum, vel accipiendorum, ad alios quàm ad eos qui essent Senatorij ordinis, vel in militum numero censerentur; quo ipso excludebat Ecclesias ab illis bonis, Testamento alitérve obtinendis. Ea tamen decreta Emmanuelis, ab Alexio eius filio, post Patrem fuisse abrogata, & Ecclesiæ indemnitati esse consultum, notat ibidem Balsamon. Similiter pius Rex Guntramnus, abrogauit legem Chilperici, qua vetuerat quicquam Ecclesiis testamento relinqui: quanto suo damno, infra dicam. Æquè Innocentius Tertius, vt apud eum legere est l. 3 Epistola 110. cassum reddidit edictum quorundam Occidentalium Principum, tunc rerum in Græcia potientium, qui quascunque dispositiones de possessionibus etiam testamentarias, irritas fore decreuerant. Decretum denique Ludouici Regis Hungariæ, eo nomine primi, quo nobilium absque hærede decedentium possessiones, Ecclesiis Testamento transcribi ve-

tuit anno 1551. Turcica oppressio exinde subsecuta, onimosum regno fuisse demonstrauit.

Quæ culpa interuertentium Testamenta iam confecta, sed nondum confirmata.

10. EX dictis de primo puncto initio proposito, hoc est de culpa eorum qui obstant confectioni Testamentorum in fauorem Ecclesiæ, patere potest, quid sit dicendum de iis qui obstant, ne Testamenta iam confecta, sed nondum Testatoris morte confirmata, sortiantur effectum; curantes scilicet ea per Testatorem ipsum rescindi, aut suasione simplici, aut adiuncta fraude, vel vi; quam priuata violentia vel lex publica inferre potest: Ex dictis namque in primo puncto, æquè hîc patet, eos qui tantum suasione interuertunt Testamentum iam factum in fauorem Ecclesiæ, illúdque rescindi curant, si absque idonea causa ita se gerant, aduersùs charitatem ac religionem peccare: Adiungere verò ei maculæ labem contra Iustitiam quæ est restitutioni obnoxia, si mendaciis & probris sacras personas vel sacros cœtus onerauerint, eáque ratione auerterint Testatorem à bona erga Ecclesiam voluntate, persuasa ei rescissione Testamenti. Qui verò priuati, absque iusta causa, per vim aut dolum idem præstant, cogentes aut fraude impellentes Testatorem, ad Testamenti iam conditi necdum confirmati rescissionem, apertè delinquunt contra iustitiam, vltra labes cœteras aduersùs charitatem & religionem. Quod multò magis valet quoad Principes, Testamenta in fauorem Ecclesiæ facta, nondum tamen confirmata, aut per vim, aut per legem latam rescissa volentes. Nam horum vis, est ineluctabilior & grauior Testatori. Et quoad istos, ad vim quoque referendæ sunt preces importunæ, vel robustæ expressiones voluntatis, cui obsistere citra graue damnum nemini licere, compertissimum est. Armatas quippè esse virorum Principum preces, habet protritum prouerbium. Quocunque autem ex his modis interuertatur Testamentum, eo auctior est culpa interuertentis, quo bonum erat (vt ita dicam) adultius, & maturitati propinquius, quàm cum Testamentum nondum confectum erat. Turpior enim est resultus à bono, non modo cœpto, sed quadantenus perfecto, quàm illius occipiendi nolitio, iuxta illud, *Melius erat eis, viam veritatis non agnoscere, quàm retrogredi.* Itaque qui ad illum resultum concurrit, fœdiùs delinquit, quam si author fuisset, ne bonum vllo modo inchoaretur.

Varia iniuria in Ecclesiam, ob conuulsionem Testamentorum iam confirmatorum.

11. IAm quod attinet ad Testamenta confirmata, dupliciter potest quis iniurius esse Ecclesiæ, & bona eius intercipere; Primò, differendo exequi Testamentum quo hæreditas aut legatum Ecclesiæ debetur, vt fecisse videtur illa Mathildis vidua Arnulphi Aduocati, quam idcirco Gregorius 7. l. 6. epist. 9. excommunicatam vult, nisi resipiscat. Secundò, conuellendo prorsus Testamentum, & aut tricis mala arte quæsitis, aut aperta vi, illud reddendo inutile. Qui procrastinant executionem Testamenti quod est fructuosum

Ecclesiæ

Ecclesiæ, si irrationabiliter id faciant, sintque in mora culpabili, in primis æquè peccant, ac debitores qui cum tenentur creditoribus satisfacere, vltrò nectunt moras. Sicut ergo debitor creditorem fraudans ad tempus re sibi debita, peccat contra Iustitiam, tenetúrque de lucro cessante creditori ob negligentiam restituendi ei rem suam: sic in hoc negotio, qui culpabiliter procrastinant exequi quod Testamento pio in Ecclesiæ gratiam conscripto decernitur, peccant contra Ecclesiam, per iniustam omissionem. Consilium Parisiense 3. can. 1. vocat eos qui ita peccant, *necatores pauperum*, atque *predones*, qui res vsui pauperum addictas post ministrorum sustentationem, retineant, per iniustitiam, id quod etiam habetur in Concilio Turonensi 2. c. 25. Insuper verò ea iniustitia non est qualiscunque, sed sacrilega; sicut actus ad quem ponendum tenentur, est actus sacer, collucens honestate religionis. Peccant insuper peccato cuiusdam impietatis erga defunctum Testatorem, qui fortassis in flāmis emendatoriis laborat, nec iuuatur subsidio piæ largitionis quamdiu ipsa hæret in manibus negligentium executorum Testamenti. Quæ causa est, cur Burchardus l. 3. 141. & 142. adducto Concilio Valentino c. 4. & Concilio 4. Carthag. c. 95. tales procrastinatores appellet *animicidas*. Richardus in 4. d. 45. art. 5. q. 4. magnæ eos proditionis & illegalitatis damnat. Benè multos in eam rem laudaui agens de subsidio eleemosinæ, in Tractatione de heteroclitis pietatis infernorum sect. 3. p. 7. q. 4. De violato honore defuncti, eiúsque depreciatione, in conculcanda suprema illius voluntate, nihil attinet dicere; tametsi non est ea iniuria digna neglectu, vt rectè æstimauit, Naboth, præeligens honestatem in maiorum Testamento non dehonestando, inimicitiis Regis, ipsique neci vt Ambrosius benè perpendit 3. offic. c. 9.

12. Easdem omnes maculas contrahunt, qui Testamenta Ecclesiæ vtilia prorsus conuellunt, & nullius momenti fore vnquam volunt. Quinimo tanto isti grauiùs delinquunt, quanto tetrius est, ius alterius planè euertere, quàm ad aliquod tempus differre facultatem eo iure potiendi. Non aliter sanè de his Testamenti in Ecclesiæ gratiam confecti conuulsoribus statuendum est, quàm de grassatoribus Ecclesias expilantibus. Æquè enim sacrilegij immanis scelere sordet, eripere Ecclesiæ quæ de facto iam habet, & malignè obstare ne teneat quæ iure iam habet. Deus autem qui rapinam in holocausto odit, non semel mōstrauit, quàm exosam habeat hanc impietatem. Insigne est exemplum Chilperici Regis, quem præter cæteras labes criminum Gregorius Turonensis l. 6. histor. Franco. *in ipso fine*, hinc sorduisse refert. [Nullam rem (inquit), plus odio habebat, quam Ecclesiam. Aiebat enim plerumque; Ecce pauper remansit fiscus noster. Ecce diuitiæ omnes nostræ ad Ecclesias sunt trāslatæ. Nulli penitus, soli Episcopi regnant. Periit honor noster, & trāslatus est ad Episcopos ciuitatum.] Addit Gregorius. [Hæc agens assiduè, Testamenta quæ in Ecclesiis conscripta erant, plerunque disrupit, ipsásque Patris sui præceptiones, putans quod non remaneret qui voluntatem eius seruaret, sæpè calcauit.] Sic se habuit Chilpericus erga Testamenta in Ecclesiarū fauorem confecta, calcato etiam paterno Testamento At mox secutus est impium (sui temporis Neronem, ac Herodem vocat Gregorius), vltor à tergo Deus. Atrocem namque, & haud siccam mortem ferali cultro illatam, damnatio æterna est consecuta, quam pius Rex Gunthrannus

per visum didicit, referente eodem Gregorio l. 8. cap. 5.

Viderint quæ eos maneant, qui filium in Patrem adeo ingratum imitantur; & quæ pie ac religiose parentes aliíve quorum esse hæredes volunt, in Ecclesiæ fauorem Testamento sanxerunt; aut impudenter calcant, aut quæsitis ex iure forensi cauillis, tentant euertere: Non sic Gregorij Nazianzeni parentes, ipséque Nazianzenus. Eius quippe frater Cæsarius, vir locuples, nec infimis in Iuliani aula functus honoribus, cum moriens omnia sua esse Deo consecrata voluisset, illibatè eius voluntas custodita est, vt ex Monodia Cæsarij per Theologum fratrem, & ex eiusdem epistolis ad Sophronium Præfectum, liquet.

Cauilli forenses in pia Testamenta defectu solemnitatum, cuiusmodi.

13. SEd quod attinet ad forenses cauillos, quibus aiebā aliquos Testamentis in Eccclesiæ fauorem conscriptis illudere, secernendi sunt cauilli ob defectū solemnitatū, à cauillis ob defectum plani sensus verborū, aut similibus. Quoad priores, occurrit protrita difficultas, num quando Testamentum attento foro externo deficit, sit in conscientia obligatio exequendi Testamentum illud, cui solemnitates necessariæ non sunt adhibitæ. Plerisque enim Doctoribus visum est, Testamenta minùs solemnia, in quibus scilicet solemnitates iure positiuo requisitæ non inueniuntur, esse inualida, etiam in conscientia. Ita Vasques Opusc. de Testam. c. 3. dub. 1. & Suares lib. 5. de leg. c. 24. num. 4. & reipsa eodem reuoluitur Val. 2. 2. d. 5. q. 6 p. 5. §. 2. quæstiun. 1. Si igitur Testamento in Ecclesiæ fauorem confecto, aliqua ex necessariis solemnitatibus desit, dabitur locus infractioni Testamenti, iuxta eam sententiam. Alij tamen negant, Tastamenta defectu solemnitatis irritari in foro conscientiæ. Ita Mol. tract. 2. de Iust. d. 81. Malderus tract. 1. de Iust. c. 11. dub. 5. Comitolus 7. respons. q. 1. Reginal. l. 25. n. 105. Lessius l. de Iust. c. 19. à n. 12. quæ sententia videtur omnino vera: quia tametsi non est dubitandum, quin iure positiuo ciuili possint exigi solemnitates ad Testamenti valorem, ita vt illis non adhibitis, Testamentum sit nullum, etiam in foro conscientiæ: tamen mens Legislatorum, solemnitates ad Testamenti valorem exigentium, reipsa fuit tantùm excludere fraudes quas præsumerent interuenire non adhibitis solemnitatibus. Et ita id exposuit Iustinianus l. vltima & l. *etiamsi inutiliter* C. de fideicommis. Idipsum declarauit Innoc. 3. cap. *quod sicut* & cap. *quia propter* de electio. ac Diuus Gregorius apud Gratianum cap. 4. 12. q. 2. Ex quo sequitur, Testamenta, minùs solemnia valere in foro conscientiæ cum euidenter constat de verè expressa in eis voluntate Testatoris, etiamsi ius ciuile tale Testamentum non admitteret tanquam sufficiens ad faciendam fidem de Testatoris voluntate. Itaque ex hoc capite, in foro interno, Testamentis conscriptis in fauorem Ecclesiæ, non imminet periculum à cauillis primi ordinis. Nam quantumvis defuerint solemnitates in foro externo necessariæ, ij tamen ad quos attinet, tenebuntur coram Deo non facessere molestiam Ecclesiæ, si illis aliter constet de voluntate Testatoris.

14. Quid quod solemnitates, sicut in variis humanis Testamentis exiguntur pauciores, vt latè prosequitur Gul. Bened. in c. *Raynutius* de Testamentis

V. *Testa*

V. *Testamentum* 1. (& patet de Testamento inter liberos, & de Testamento militari:) ita in Testamentis confectis in fauorem Ecclesiæ, & vniuersè ad piam causam, vt non legatariam tantùm, sed vt hæredem, paucissimæ exiguntur solemnitates. Nempe eæ tantùm, quæ stando in solo iure naturali, sufficerent vt aliqua dispositio in se sit valida, vt rectè statuunt. Couarr. in cap. *relatum* 1. de Testam. num. 7. & seqq. Mol. Tract. 2. d. 134. Less. l. 1. de Iust. c. 19. à num. 4. & Bonac. q. 5. de contract. p. 3. à num. 14. Ad faciendam autem fidem in foro externo, sufficit interuenisse duos testes, siue masculos, siue fœminas, qui in quacunque alia causa fidem facerent. Id enim sufficere ad faciendam in foro externo fidem circa prædicta Testamenta, sanxit Alexander Tertius cap. *relatum* 1. de Testam. cui Sanctioni standum est, etiam in foro seculari, quia agitur de negotio Ecclesiastico: cum Testamentum supponatur esse ad piam causam, id est vt Nauarr. q. 1. Apolog. monito 29. exponit, ad bonum animæ, ac cultum Dei, ac intuitu (saltem præcipuè) promerendi diuinam gratiam & gloriam; vnde qui Testamentum condit in bonum egenorum, censetur testari ad piam causam; de quo pleniùs Comitolus 7. respons. q. 4. n. 5. Quare etiamsi desit numerus testium iure ciuili requisitus ad Testamenta, aut etiamsi Testamentum sit factum per nutus, vel etiamsi dispositio sit commissa alterius arbitrio, quæ sunt contra leges ciuiles de Testamentis vulgaribus & merè humanis; tamen Testamentum ad piam causam hæredem, valet. Quinetiam cum tale Testamentum est iam inchoatum, nec morte Testatorum præueniente absolui potuit, valet quoad dispositionem iam factam ad piam causam hæredem. Cum verò pia causa est tantùm legataria, & Testamentum est minùs solemne quoad alios, proptereàque irritum, nihilominus legatum pium manet validum, ex. c. *relatum*, 1. vbi ita Couarr. n. 3. adducens alios, subscribitque Molina Tract. 2. d. 134.

Alij forenses cauilli in pia Testamenta.

15. DE cauillis posterioris ordinis, non esset in hoc negotio quæstio, si auaritia & causidicorum versutiæ non interuenirent. Nam si quilibet syncerè contentus esset rebus suis, & cum eum non latet mens Testatoris, res suas Ecclesiæ addicentis, frœnaret cupiditatem; non quæreret in scirpo nodum, vt in rem Ecclesiæ attributam inuolaret. Stimulante verò cupiditate, quæ est planè insatiabile malum, datur locus glossematis, præsertim adhibitis forensibus subtilitatibus, & versatili ingenio Iurisperitorum: quo nomine eos sugillant Nyssenus homil. 5. in Ecclesias. S. Bernardus l. 1. de consider. cap. 10. Petrus Blesens. episto. 26. & 140. & benè multi Ethnici quos annotaui lib. 3. de Virtut. num. 41. & 42. Verùm tametsi thecnæ apud homines possint interdum videri commodæ, apud Deum tamen, nec ei qui per huiusmodi artificiosas machinationes Testamentum in gratiam Ecclesiæ factum concidere curauerit, nec Iurisperito qui in talibus iuuerit clientem iurium Ecclesiæ imminutorem, impune erit fraudasse Ecclesiam, & vterque in conscientia tenetur ad restitutionem, vt ex suppradictis constat. Nec dubium quoad Iurisperitos, quin plerisque contingat quod Dyno Mugellano, quem

ex reuelatione sancti viri vulgatum est fuisse damnatum, eo quod in quadam causa præbuisset consilium fraudans Ecclesiam, vt refert Angelus in l. 1. C. de fal. ca.adiect. leg.& Guilielmus Benedictus in c. Raynutius de Testamentis V. *Testamentum* 1. num. 60. qui prudenter ibid. V. *& vxorem* decisione 1. n. 13. memorat vetus prouerbium Gallicanum, his forentibus canibus voratoribus curiarum, (sic enim Bartolus l. *omnes populi* ff. de Iust. & iure, Iurisperitos cauteriatæ conscientiæ nominat,) meritò hîc occinendum. *Iamais chien ne mordit l'Eglise, qu'il n'enragea st.*

16. Quàm honestiùs cordati plerique Ethnici, vt externorum exempla horum Semichristianorum frontes contundam? Tullius 2. de finibus, agens de bona fide in hæreditatibus reddendis præstanda, Sestilium Ruffum (qui Testamentum Quinti Fabij Galli à quo hæres dictus erat, vt omnis hæreditas ad filiam perueniret, in sua verterat commoda); valdè improbat, tanquam qui honesta & recta emolumentis omnibus & commodis non antepoſuiſſet. Idem orat. pro A. Cæcinna, agens de iure Testamenti, optimè monstrat, ad Testamenti firmitatem satis esse debere voluntatem Testatoris benè perspectam; quæ si taciris nobis intelligi posset, verbis omnino non vteremur; quia non potest, reperta sunt, non quæ impediant, sed quæ indicent voluntatem. Plinius verò pro Ethnico sanctissimè, cum l. 5. episto. 7. quæ est ad Caluisium, vbi defuncti voluntatem antiquiorem sibi iure esse contestatur; tum l. 2. Epistola 16. quæ est ad Annium, qui monuerat, vt Aciliani codicillos, tanquam secundum iura minùs firmos pro non appositis haberet; [Ego verò (inquit,) propriam quandam legem mihi dixi, vt defunctorum voluntates etiamsi iure deficerentur, quasi perfectas tuerer. Constat autem, codicillos istos Aciliani manu scriptos. Licet ergo non sint confirmati testamento, à me tamen vt confirmati obseruabuntur.] Et pulchrè quoque lib. 4. epistola ad Sabinum. [Scribis mihi Sabinam, quæ nos reliquit hæredes, Modestum seruum suum nusquam liberum esse iussisse: Idem tamen sic adscripsisse legatum, *Modesto, quem liberum esse iussi.* Quæris quid sentiam? Contuli cum prudentibus. Conuenit inter omnes nec libertatem deberi, quia non sit data; nec legatum, quia seruo suo dederit: sed mihi manifestior error videtur: ideoque puto nobis quasi scripserit Sabina, faciẽdum quod ipsa scripsisse se credidit. Confido accessurum te sententiæ meæ, cum religiosissimè soleas custodire defunctorum voluntatem, quam bonis hæredibus intellexisse pro iure est. Neque enim minùs apud nos honestas, quàm apud alios necessitas valet. Moretur ergo in libertate sinentibus nobis; fruatur legato, quasi omnia diligentissimè cauerit. Cauit enim, quæ heredes benè elegit.] Qui videlicet nolint manes defunctorum inquietare, conuulsis per aristas subtilitatum forensium, supremis eorum voluntatibus.

17. Hoc si à piis & sanctis nolunt discere Christiani, discant saltem à Plinio homine Ethnico, & Christianorum aliquando persecutore. Discant, inquam, honestũ vtili anteponere, nec tentare per argutiolas & tutelas ingeniosas subuertere quæ Testatores sanxerint; præsertim cùm de spirituali bono, & diuini cultus amplificatione agitur, vt fit quoties Testamentum est conscriptum in Ecclesiæ fauorem. Nam vt habet effatum apud Iurisperitos receptum, Apices iuris

iuris non sunt attendēdi, vbi agitur de salute animæ, de quo Archid. in c. *scriptũ*, 6. q. 3. & Deci. in c. *cum dilecta*, de confir. vtil. vel inutil. Quod aliter dixit Baldus ad l. 5. C. *de confessis* [Apices iuris in foro conscientiæ non excusant.] Viderúrque in huiusmodi forenses cauillos stylum strinxisse S. Ambrosius l. de Nabuche c. 10. cum dixit. [Quid tibi vis cum libro & charta, & signaculo, & conscriptione, & vinculo iuris? Non audisti, *solue omnem colligationem iniustitiæ, dissolue obligationem violentarum commutationum, dimitte confractos in remissionem, & omnem conscriptionem iniquam disrumpe.* Tu mihi tabulas offers, ego tibi recito Dei legem. Tu atramento scribis, ego spiritu Dei inscripta repeto oracula Prophetarum. Tu testimonia falsa componis, ego testimonium conscientiæ tuæ posco, quia iudicem tuum effugere & declinare non poteris, cuius testimonium non poteris recusare in die qua reuelabit Dominus occulta hominum.]

CAPVT NONVM.

De sacrilega Decimarum subductione.

1. AD rem moralem perinde est, res Ecclesiæ accipere, cásve cum penes te habeas, illi non reddere. Itaque decimas Ecclesiæ non pendere, æquè sacrilegum est, ac res Ecclesiæ auferre, vt rectè statuit Caiet. in Summa. V. *Decimæ.* Rebuffus adductis multis iuribus, tract. de decimis q. 15. n. 15. Lopes 1. p. instructo. c. 33. ac Ioannes à Cochier in Vindiciis libertatis Ecclesiasticæ parte 2. c. 2. Et quamuis decimæ, quanto tempore sunt apud debitorem, non subsint reipsa dominio Ecclesiæ, sicut ei actu suberant mobilia & immobilia, de quibus supra est actum; tamen ad labem sacrilegij satis est, quod decimæ debeantur; sin minùs materialiter sub nomine *decimæ*, seu quoad talem quotam, at formaliter & vt sunt stipendium congruum ministrorum in quorum bonum sunt institutæ; vt habetur ex num. 18. multisque confirmat Marsil. Columna parte. 3. de orig. redit. cap. 16. à num. 3.

Decimæ quatenus ex Religione, quatenus ex Iustitia debitæ

VT lux his omnibus affundatur, statuendum est cum Tyndaro tract. de decimis n. 43. Lessio l. de Iust. c. 39. n. 10. & Fagunde l. 1. in 5. Eccles. præc. c. 1. n. 13. decimarum exhibitionem eatenus esse actum religionis, quatenus per decimas fouentur ministri, à quibus exhibetur cultus Deo; quem exhibere non possent, si sustentatione necessaria destituerentur. Quatenus tamen decimæ exhibentur directè ipsis ministris, sic earum exhibitio est actus Iustitiæ commutatiuæ. Iustum quippe est, vt seminantibus spiritualia, reddantur carnalia, vt dicitur 1. Cor. 9. meritóque damnatum est in Constantiensi Concilio sess. 8. art. 18. delicium Vvicleffi, qui referente Valdensi l. 2. doctr

c.64. & Nicolao Harpsfeldio in histor. Vvicleffiana cap. 2. contendebat, decimas esse meras eleemosinas, nec vllo iure Sacerdotibus deberi: quod alij quoque nonnulli hæretici effutiuerunt, vt Leutardus quidam è vico virtutis, apud Catalaunos, referente Glabro l. 2. histor. cap. 11. qui viuebat seu veriùs sic delirabat, anno circiter millesimo. Eiusdem furfuris anno 1453. Ioannes Behaim tympanista & pecorum pastor, de quo ad eum annum Genebrardus, post Munsterum lib. 3. Cosmogr. Videndi, Bellarm. l. de Clericis c. 25. Val. 2.2.d.6.q.5.p.1.& Castro V. *Decimæ*; qui hos errores optimè repellunt. S. quidem Augustinus in Enchir. cap. 76. & S. Chrysostomus hom. 74. in Matth. annumerant eleemosinis, etiam decimas: Sed sumunt latè eam vocem, pro quacunque pia contributione, etiamsi ex iustitia debeatur, cuiusmodi est ista: quod Diuus Augustinus diserte agnoscit serm. 219. de temp. Et optimè quoque Clem. Rom. l. 2. constitut. c.29. 31. & 38. comparans decimas cum tributis Principum quæ constat ex iustitia deberi.

2. Ratio est perspicua, ex obligatione quæ ministris iniicitur, non modò ministrandi populo sacramenta, sed etiam supplendi pro populo, quod ipse partim per se præstare nequit, partim in alia distentus exequi commodè non potest, circa publicum Dei cultum. Posito enim quod sacri ministri has in se obligationes in populi gratiam suscipiant, dignum & iustum est, vt sustentationem vicissim ex iustitia accipiant, quod fit per decimarum exhibitionem. Hoc est quod aliis verbis dixit Origenes homil. 17. in Iosue *sub finem*. [Cohabitare iubentur Leuita & Sacerdos, qui non habent terram, Israelitæ, qui habet terram, vt percipiat à Sacerdote, & Leuita, cœlestia & diuina quæ non habet. Lex enim Dei Sacerdotibus commissa est, & Leuitis, vt huic soli operam tribuant, & verbo Dei absque vlla sollicitudine vacent. Sed iterum vt vacare possint, laicorum vti ministeriis debent. Si enim laicus quæ necessaria non præbuerit sacerdotibus, & leuitis, occupati illi in talibus, id est corporalibus curis, minùs legi Dei vacabunt. Illis autem non vacantibus, neque operam dantibus legi Dei, tu periclitaris. Obscurabitur enim lux scientiæ, quæ in illis est, te non subministrante oleum lucernæ: & culpa tua illud eueniet, quod dixit Dominus, quia *si cæcus cæco ducatum præbeat, ambo in foueam cadent.* Sed & illud in te complebitur, quod Dominus dixit. *Si enim lux quæ in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ sunt?* Vt ergo lux scientiæ in Sacerdotibus fulgeat, & lucerna eorum sit semper accensa, tu imple officium tuum, comple mandatum Dei erga obsequia sacerdotum. Quibus, si fortè (susceptis à te quæ necessaria sunt, & sic non quasi auaritiam, sed quasi benedictionem), illi neglexerint eruditioni operam dare, vt verbo Dei vacare, & in lege Dei meditari die, ac nocte, ipsi videbunt quomodò pro animabus vestris reddant domino rationem.]

Non ita dixi, sustentationem sacris ministris ex iustitia debitam, pendi à fidelibus per decimarum exhibitionem, quasi non posset aliter pendi. Renera enim posset aliter fieri, v. g. Semel pro semper assignatis prædiis aut bonis fructiferis, quorum prouentu sustentarentur sacri homines. Et tunc non dubito quin fideles exoluerentur obligatione pendendi decimas, quia tolleretur fundamentum obligationis. Nec video, cur Gutierez l. 2. qq. Cano. c. 21. n. 28.

post

post Rebuffum Tract. de decimis quæst. 13. num. 40. Couarruuiam 1. var. cap. 17. num. 8. & Aragonium 2. 2. quæst. 87. art. 1. aliósque quos adducit, contendat, consuetudinem quantumcunque longam nullas prorsus decimas soluendi, etiamsi sustentatio aliunde sit prouisa sacris Ministris, non valere, nec à peccato excusare: sed esse irrationabilem & contra ius naturale, diuinum, & humanum. Non adscribor ego sanè huic censuræ. Imo si quod debetur Ministris aliunde pendatur, euanescere omne ius decimarum, (sublato scilicet earum poscendarum titulo,) existimo debere esse extra controuersiam. Itaque quod dixi, sustentationem ex Iustitia debitam, pendi per exhibitionem decimarum, valet spectato communi vsu: qui ferè non fert, vt aliunde sit plenè prouisum sacris ministris. Vnde decimæ, facta ea suppositione; debentur eis ex Iustitia, vt probatum est argumento proposito.

3. Neque verò infringi potest argumentum, ex eo quod videatur niti paritate cum veteris legis ministris, & facta illis ex legis præscripto exsolutione decimarum. Tametsi enim præceptum de pendendis decimis, latum est in lege veteri; non erat tamen ceremoniale, sed morale; atque adeò durans post legis veteris deiectionem, quantum attinet ad substantiam decimarum tametsi quoad earum quantitatem, iudiciale fuerit, nec ex necessitate ad Christianos transierit, & Suarez benè notauit tract. 2. de Relig. l. 1. cap. 9. num. 3. & Molanus oratione de dandis decimis cap. 7. ac Gutierres l. 2. qq. Cano. c. 21. à num. 7. necnon Valentia q. illa 5. p. 1. Bellar. supra, Lect. l. 2. cap. 39. à num. 5. qui meritò repudiant nonnullos Iurisperitos apud Couarruuiam 1. Var. c. 17. & Germonium l. 3. de immun. cap. 19. num. 15. contendentes, decimas saltem prædiales, quæ scilicet ex terræ frugibus vel laboribus percipiuntur, esse iuris diuini, etiam quoad quantitatem illam determinatum quæ *decimarum* nomine præfertur: Et ex eis aliqui, addunt contrariam Theologorum sententiam, sordere hæresi. Quæ censura est reuera ridicula. Nam dummodò prouideatur necessariæ ac congruæ ministrorum sustentationi, etiamsi determinata pars quam nomen *decimarum* præfert non pendatur, parum refert ad indemnitatem iuris sacrorum ministrorum, & plenam exsolutionem obligationis, qua plebs illis obstringitur, pro ministratione sacramentorum, & onere publici cultus Deo exhibiti.

Quibus sacrilega sit, decimarum subductio.

4. CVm *plebem* dixi, nolim quis existimet, me patrocinari licentiæ illorum qui se nobiles iactant, súntque verè plerunque homines Gentiles, inter quos nonnulli bellicrepi veriùs quàm belligeri, eo sunt genio quem Blesensis epistola 94. *sub finem*, his verbis exhibet. Cum nostri milites ab expeditione sine vulnere, & cicatrice, sanis etiam & integris armis per Dei gratiam reuertuntur, curritur ad bibendi conflictum. Crateras igitur læti statuunt, & vina coronant, atque exhausta canunt prælia Marte graui. Illic Æacides, illic tenebat Vlysses; & pingunt fluido pergama tota mero. Garriunt igitur, & laxant procaces linguas in detractionem hominum innocentium,

desæuiunt in Christos Domini, referúntque & conferunt labores suos, & otia sacerdotum. Datur itaque inter eos sententia, & communi lege sancitur, vt decimas auferant, vt Ecclesiæ & Clero non deferant, vt excommunicationem, non timeant, vt non reuereantur Deum, vt iniuriis afficiant Sacerdotes, & quicquid in vsus Ecclesiæ cessit, de largitione auitæ aut paternæ liberalitatis euacuent. Verumtamen magnus Dominus, & terribilis nimis qui humiliat omnem altitudinem extollentem se aduersùs sapientiam Dei, ipse saluos faciet filios pauperum & humiliabit calumniatorem; tollénsque virgam peccatorum desuper sortem iustorum, arguet pro mansuetis terræ, & obstruet os loquentium iniqua, deiiciétque omnem extollentiam superborum.] En qui ob Gentilitatem suam, videntur censere se exsolutos obligatione pendendi decimas. Aliquos ex hoc hominum genere refert, & intentat excommunicatione à mala voluntate negandi decimas absterret, S Gregorius l. *6*. episto. *9* omnem eorum oblationem, siue in vita, siue in morte, donec resipiscerent admitti vetans. Et meritò. Neque enim nobilitas exsoluit obligatione pendendi decimas, vt patet ex ratione proposita, quæ æquè militat in nobilibus ac in rusticis: meritóque Molanus orat. de decimis defendendis c. 4. nec ipsos quidem Reges ac Imperatores, si quæ habeant bona quæ titulo priuato possideant, è quibus similiter possessis rustici decimas penderent, exoluit à pensitatione decimarum.

5. Maior difficultas est de Religiosis, qui à Clero non recipiunt *Sacramenta*, neque quoad eos Clerus supplet officia colendi numinis, cum ipsi Religiosi in hoc toti sint. Quæ causa est, cur plerique Pontifices, eos interdum variis temporibus exemerint à solutione decimarum è propriis bonis; quod reclamantibus licet eorum hostibus, habet fundamentum in naturali æquitate, & in defectu fundamenti obligationis soluendi decimas. Quod autem Antiochus homil. 120. præcipuè Monachos ad obligationem primitiarum ac decimarum astringit; nec tantùm ex opere manuum & inde obuenientibus fructibus, sed etiam ex eleemosinis; præterquàm quòd pertinet ad decimas personales quæ ferè vbique exoleuerunt, cadit in Monachos subsidia spiritualia à Clero accipientes; cuiusmodi tunc ferè erant Monachi. A quo tempore autem plurimi inter eos fuere Sacerdotes, à quibus beneficia spiritualia conferri possent absque vllius onere; æquitas tulit, vt exolui possent obligatione pendendi decimas, præsertim si bona non compararent eo iam onere grauata in bonum alicuius Ecclesiæ, sed noualia excolerent suo labore. Quin etiam ex concessione Ecclesiæ, vel acquisitione iuris decimarum facta ex idoneo titulo, fas esse Monachis iure decimarum ab aliis accipiendarum potiri, benè tradit Iuo Carnotensis episto. 192. contra quosdam meticulosos Monachos, qui à suis Abbatibus secesserant, ob comparatum huiusmodi ius, decimarum accipiendarum à Laicis. Videndus item Petrus Cluniac. l. 1. epistola 33. & 34. Sed de his alias. Nunc hæreo in ratione fundamentaria proposita, ob quam dixi deberi decimas Ea enim ratio perspicuè euincit, omnes omnino siue plebeios, siue magnates, siue ex sacro ordine, in quibus ratio illa locum habet, teneri ad pendendas decimas, ex obligatione, cùm Iustitiæ, tum religionis.

Decimæ

Decimæ, non accipiendæ à Clericis, ſed eis offerendæ etiam non petitæ.

6. AIo eos teneri pendere decimas, nec dico Clericos poſſe illas ſibi accipere: quia etiamſi ex iacto fundamento liquet, decimas etiã priuſquàm actu radantur, deberi ex iuſtitia commutatiua, ſimulq́ue ex Religione; tamen ſtatuendum eſt, eas non eſſe actu ſub dominio Eccleſiæ, quouſque ſint traditæ: Duobus enim modis poteſt aliquid deberi ex Iuſtitia. Nempe primò tanquam aliquid alienum, vt res furto ſublata ſecundò tanquam aliquid quod ſit quidem debitoris, tamen debeatur creditori. Sicut quod mutuo eſt conceſſum, factum eſt proprium debitoris, tamen debetur creditori; nec eſt apud debitorem niſi cum onere reddendi. Ajo ergo, decimas priuſquam auulſæ ſint & traditæ ſacris Miniſtris, deberi illis: manere tamen ſub dominio eius cuius eſt tota ſumma è qua auellendæ ſunt decimæ, quia in re nondum diuiſa, non poteſt acquiri dominium determinatæ partis. Ex quo fundamento l. 2. ff. *de pollicitat.* ſtatuitur, decimam ex voto debitam, manere ſub dominio debitoris, donec ab aliis fructibus ſeparetur: quæ ratiocinatio æquè hîc habet locum. Hoc negat Fagundes l. 1. in 5. præcep. Eccleſ. c. 6. n. 3. Sed ſequor Suarem. l. illo 1. c. 36. n. 14. Anaſtaſium Germoni l. 1. de immunit. c. 14. à n. 16. & Rebuffum q. 3. de decimis num. 16. & q. 9. num. 7. & videtur tandem annuere Leſſius l. 2. de virtut. c. 39. num. 15. qui tamen audiendus non eſt, quatenus contra communem doctrinam affirmat, ſacros miniſtros poſſe ſibi decimas non petitas vendicare. Hoc enim verum eſſet, ſi eſſent earum domini, non autem poſito quod dominium maneat penes debitores. Vnde eam vendicationem, reſpuunt communiter Doctores apud Rebuffum q. 9. de decimis, & apud Suarem c. 38. num. 2. Itaque quod circa decimas habent ſacri miniſtri, illud duntaxat eſt, vt quomodocunque fructus decimandi alienentur à vero domino debitore decimarum, tranſbeant ſemper ad alios cum onere percipiendi decimas; faſq́ue ſit Eccleſiæ, ex fructibus illis partem ſibi debitam repoſcere, etiam à poſſeſſore bonæ fidei, conditione (vt vocant), ex canone; id eſt, quia tale onus, fructibus illis annexum eſt per ſacros canones.

7. Eſtq́ue onus tale, vt abſque mora debeãtur decimæ, etiamſi non petitæ: ſicut res aliena ſtatim eſt reddenda, etiam priuſquàm repetatur. Nanc hac in parte, decimæ æquiparantur rebus alienis furto ſublatis, iubentúrque reddi, ſtatim poſt collectos fructus, Exodi 22. & cap. *Cum homines*, de decimis. In foro tamen externo, vt quis ſit in mora culpabili, & poſſit idcirco puniri, v. g. percelli excommunicatione, exigitur præuia monitio, quæ eſt petitio decimarum. Tamen in foro conſcientiæ nullam eſſe neceſſariam petitionem, rectè ex communi ſententia docet Couar. 1. var. c. 17. n. 8. & 12. Nec refragatur Diuus Thomas 2. 2. q. 87. art. 1. ad. 5. vbi ait, non peccare eum qui non ſoluit decimas non petitas, paratus ſoluere ſi petantur. Agit enim ibi Diuus Thomas, de decimis quarum pendendarum obligatio, vel cõſuetudine ſit abrogata, vel expreſſa Eccleſiæ condonatione exoleuerit. Sicut enim perſonales decimæ, quæ olim ex lucro per negotiationem, vel mercaturam, venationem, opificium, aliámve quamcunque perſonæ actionem facto exhibebantur, antiquatæ ſunt ferè vbique: ita dummo-

dò ministris rectè ac sufficienter sit prouisum, nihil vetat præscriptione aut consuetudine contraria, abrogari obligationem decimarum quaruncunque. In quam rem legendi, Gutierres in qq. Cano. l. 1. c. 21. à num. 59. Vasquius in Controu. Illustr. l. 2. c. 89. Vamesius consil. 450. volum. 2. & Couarr. 1. var. c. 17. à num. 7. Et idem præstare potest exemptio legitima, vt pleniùs Vasques opusc. de benefic. c. 1. dub. 4. Miranda t. 2. Manua. Prælato. q. 49. art. 12. Suares l. illo. 1. c. 19. quantuncunque in contrarium tonet Blesensis epistola 82. impugnans priuilegium exsolutionis à decimis, collatum Cistertiensibus.

Retentio decimarum, sacrilega, & quantis malis obnoxia.

8. QVamuis igitur decimæ, ad modum duntaxat prædictum debeantur sacris ministris, nec sint reipsa eorum, priusquàm illis tradantur: tamen est id satis supérque, ad intelligendum quomodò retentio decimarum sordeat sacrilega iniustitia. Nanc quatenus decimæ debentur intuitu religionis & diuini cultus, fraudatio earum est sacrilega: quatenus verò sunt iustum stipendium ministrorum, subductio earum est contra iustitiam. Quæ duæ malitiæ ita sunt nexæ in hoc negotio, vt indissociabiliter cohæreant, tametsi ab alterutra quandoque fiat denominatio; præsertim à principaliore, siue à malitia sagrilegij quam Deus ipse Malach. 3. satis insinuat, cum ait se fraudem passum in *subductione* decimarum. Quod enim ibi optimè aduertit Hieronymus, Deus decimas vocat *partem suam*, & in eis fraudem sibi fieri expostulat: quia sicut in aliis visitatur in carcere, & pascitur in famelico; sic in ministris suis decimã accipit: atque adeò si subducatur, parte sua priuatur ipse Deus in ijsdem ministris suis. Et ideò rectè Orig. hom. 11. in Num. agens tamen de primitiis, sed quarum eadem ratio est quæ decimarum [Indecens (ait), & indignum existimo, & impium, vt is qui Deum colit, & ingreditur Ecclesiam Dei, qui scit sacerdotes & ministros adsistere altari, & aut verbo Dei, aut ministerio Ecclesiæ deseruire, vt de fructibus terræ quos Deus dedit solem suum producendo, & pluuias suas ministrande, non offerat primitias sacerdotibus. Non mihi videtur huiusmodi anima habere memoriam Dei; nec cogitare, nec credere, quia Deus dederit fructus quos cœpit.]

9. Exemplum Abrahæ decimas studiosè pendentis, vrgent Patres Concilij secundi Turonensis, in Epistola ad plebem afflictam, quam admonet huius debiti sub nomine *eleemosinæ* in sensu supra assignato. [Illud (inquiunt), instantissime commonemus, vt Abrahæ documenta sequentes, decimas ex omni facultate non pigeat Deo pro reliquis quæ possidetis, conseruandis offerre, ne sibi ipse inopiam generet, qui parua non tribuit, vt plura retenter: Et quod dicendum est verius, suum persoluat pretium, ne se trahi videat peccato dominante captiuum; quia certè vlteriùs mercatorem suæ ereptionis non inuenit, qui hîc Redemptori resistit, cuius vox satis intonat dicens; *Eleemosina extinguit peccatum.* Item, *date eleemosinam & omnia vobis munda erunt.* Quare autem illi de suis non offeras, quod cum dare videris non amittas? Faciat se vnusquisque de rebus alienis gratuitum, ne cum nihil habeat proprium, nec alium præparet inimicum. Ergo si qui in Abrahæ collocari vult gremio, eiusdem non repugnet exemplo, & habeat

habeat eleemosinæ pretium, quisquis optat regnare cum Christo.]

Philo Iudæus l. de congressu, eodem refert numerum denarium ad quem determinatæ olim sunt decimæ. quia is numerus est proprius Deo, cuius intuitu debentur decimæ. Et l. de Sacerdotum honoribus, egregiè notat, iussos primùm Iudæos, deferre in templum quæ Sacerdotibus pendebantur; vt intelligerent rem deberi Deo, & eius intuitu Sacerdoti: nec hanc esse eleemosinam collatam in Sacerdotem, sed rem Deo debitam in suo ministro.

10. Idem infinities inculcant iura, quibus decimarum persolutio commendatur, *titulo de decimis*; tam in Decretalibus Gregorij quàm in 6. & in Clementinis, ac Extrauagantibus Pontificum & Conciliorum in eandem rem oracula, idipsum inculcantia, exhibent magno numero Demochares l. 3. de sacrif. cap. 25. & Germon. lib. 3. de immunit. c. 19. à num. 24. Locus ex edita nō ita pridem Alexandri tertij Epistola ad Vpsallensem Archiepiscopum & eius suffraganeos, non videtur prætereundus. Sic habet. [Mandamus, quatenus populum regimini & gubernationi vestræ commissum, decimas Ecclesiis fideliter & deuotè persoluere, sicut ab ipso Domino noscitur institutum, diligenter ac sollicitè moneatis; & si necesse fuerit, sub districtione anathematis compellatis, iuxta illud Malachiæ Prophetæ in persona Domini loquentis, *Inferte omnem decimationem in horreum meum, vt sit cibus in domo mea.* Vnde in Concilio Moguntinensi. [Decimas Deo & Sacerdotibus Dei dandas, Abraham factis Iacob promissis insinuat; & omnus sancti Sacerdotes commemorant.] Item ex Concilio Rothomagensi. [Omnes decimæ terræ, siue de frugibus, siue de ponis arborum, Domini sunt, & illi sanctificantur.] Sed quia multi inueniuntur, decimas dare nolentes, statuimus, vt secundum Domini nostri præceptum, admoneantur semel, secundò, & tertiò. Qui si non emendauerint, anathemate, vsque ad satisfactionem & emendationem congruam feriantur.] Hactenus Alexander.

11. In Concilio Matisconensi 2. Can. 5. præmissa necessitate renouandi quæ retro sublapsa & in deterius mutata erant, additur. [Leges itaque diuinæ, consulentes Sacerdotibus ac Ministris Ecclesiarum, pro hæreditatis portione, omni populo præceperunt, decimas fructuum suorum, locis sacris præstare, vt nullo labore impediti, horis legitimis, spiritualibus possint vacare ministeriis. Quas leges, Christianorum congeries, longis tēporibus custodiuit intemeratas: nūc autem paulatim, præuaricatores legum, penè Christiani omnes ostenduntur, dū ea quæ diuinitùs sancita sunt, adimplere negligunt. Vnde statuimus ac decernimus, vt mos antiquus à fidelibus reparetur, & decimas Ecclesiasticis famulantibus ceremoniis, populus omnis inferat quas sacerdotes aut in pauperum vsum, aut in captiuorum redemptionem prærogantes, suis orationibus, pacem populo ac salutem impetrent. Si quis autem contumax nostris statutis saluberrimis fuerit, à membris Ecclesiæ, omni tempore separetur.]

In eandem sententiam insigniter & copiosè agitur in Concilio Trosleiano c. 5. vbi de omnibus planè bonis quæ possidentur, & siue è terræ frugibus, siue ex militia, siue ex pecoribus, aut artificio aut negotiatione parentur, dandas esse fideliter decimas statuitur, prolato nominatim exemplo Publicani qui tametsi impius erat, decimas tamen dabat omnium quæ possidebat, itémque Phari-

prætermissam dimidij sicli collationem in sacram corbonam, quæ à lege Dei indicebatur, quoties populi numeratio fieret. Danos ægrè ferentes studium Sancti Canuti Regis circa decimas Dei ministris liberaliter pendendas, eum letho dedisse; Danicarum rerum scriptores prodiderunt, Saxo præsertim Grammaticus, qui libro 11. & 12. Histor Danicæ, quanta clades infelicissimos Danos exinde contriuerit, fusè prosequitur. Et idem latè habet Ioannes Magnus in Gothorum Suecorúmque historia. l. 18. c. 13. Præ cæteris verò damnis, illud notandum; quod terre fructifera posita est in salsuginem ab hac malitia inhabitantium in ea; & qui decimam pendere graue duxerunt, nouem frumenti partes amiserunt, & immani fame vexati sunt: nec priùs agris feracitas est restituta, quàm gens nequam ad cor reuersa, pœnitentiam ageret, & de illata sancto Regi nece, & negatis decimis, satisfaceret.

Iudæorum ac Ethnicorum studia in pensitatione decimarum.

14. VEriti hæc supplicia Iudæi, (vt erat genus hominum valde seruile & flagella extimescens), decimarum fraudatione studiosissimè abstinebant, & exactissimè eas pendebant: ad quorum proinde exemplum, sæpè Patres prouocant in hoc negotio, vt Clemens Rom. supra adductus, & S. Hiero. in c. 3. Malach. & S. Chrysosto. hom. 4. in episto. ad Ephes. Indéque maximè existebat ea sacerdotum opulentia, quam accuratè & pereleganter describit Philo l. de sacerdotum honoribus. Accuratè quoque in hanc rem Adamus Gontzen. l. 6. polit. c. 24. §. 1. In Capitulis Patrum *pag. mihi 56.* dicitur, sicut Masoreth est sepes legis, & vita sanctimoniæ, ita decimas esse diuitiis pro sepe, quia Deus intuitu decimarum, opes conseruat & adauget. Nec tantum Iudæi honorificabant & sanctificabant sacerdotes pendendo decimas, vt Scriptura loquitur, sed etiam eas afferebant, & inferebant, ac conferebant, vt ex variis veteris Testamenti locis benè aduertit Molanus orat. de pendendis decimis, c. 2. Nec enim expectabant, vt peterentur decimæ, easve iniuriæ patentes relinquebant in agro medio; sed ipsimet in Sacerdotum horrea inferebant, vt habetur Malach. 3. & l. 2. Esdræ c. 13. Ipse Christus in Euangeliis, non semel, decimarum à Iudæis persolutarum ex minutis quibusuis olusculis meminit; vt ex mentha, & anetho, & cymino Matth. 23. quos Christus non redarguit tanquam malè operatos, vt benè monuit Thomas 2. 2. q. 87. art. 2. ad 3. sed ob relicta quæ grauiora essent legis, iudicium, & misericordiam, & fidem. Vnde subiicit Christus, *hæc oportuit facere*, (nempè hæc grauiora), *& illa non omittere*, hoc est decimas tàm accuratè persoluere. Et verò dabant Iudæi triplices decimas, vt Theodoretus q. 13. in Deuter. Caiet. in c. 14. Deutero. v. 22. & ibidem Cornelius, aliique obseruant. Primas omnium frugum terræ, gregum & armentorum, quæ totæ dabantur Leuitis per singula oppida: Secundas cum ter in anno Hierusalem adibant, & hostias pacificas offerebant, epulantes aduocatis Leuitis Tertias quæ quolibet triennio pauperibus ac Leuitis ministrabantur.

Si Iudæi triplices, quid ni Christiani simplices Deo pendant decimas? ac ne decimas quidem, cum vix vspiam ea quota perseueret, sicut apud Iudæos illibatè pendebatur. Argumentum est Clementis Romani 2. Constit. c. 34. qui mul-

ta præfatus de Sacerdotum beneficiis in eos quos curant, subdit. [Hos existimate vestros præsides, hos putate Reges, his quasi Regibus vectigalia offerte. Eos enim, eorúmque domesticos, bonis vestris alere debetis: Vt enim Samuel in primo de Regibus libro, de Rege alendo sanxit populo, & Moyses de sacerdotibus in Leuitico; sic nos vobis de Episcopis sancimus. Nam si illic populus, tanti Regis proportione facultatis ea quæ dicuntur seruitia præstabat, an non multo magis debet nunc Episcopus accipere à vobis quæ sunt ei à Deo constituta ad alendum eum, & Clericos eius? Immo si quid ampliùs dicendum est, plus hic accipiat, quàm ille olim accipiebat. Siquidem ille militaria tantùm administrabat; bello, & pace ad custodiam corporis susceptis: hic verò sacerdotium ad Dei honorem administrat, vt pericula ab anima, & corpore propulset. Quanto ergo anima corpore præstantior est, tanto est sacerdotium regno excellentius. Ligat enim aut soluit, supplicio vel remissione dignos. Quocirca Episcopum oportet vt patrem diligere, vt Regem metuere vt Dominum honorare, offerendo ei in benedictionem vestram fructus vestros, & opera manuum vestrarum: Tribuendo, inquam, vt sacerdoti Dei, primitias vestras, & decimas vestras; primitias frumenti, vini, olei, pomorum, lanæ & quicquid Dominus Deus vobis suppeditat; *& erit oblatio tua accepta in odorem suauitatis Domino Deo tuo, & benedicet Dominus operibus manuum tuarum, & multiplicabit bona terræ tuæ*, quia benedictio super caput impertientis.]

15. Non desunt qui Ethnicorum quoque exemplo vrgeant Christianos ad soluendas decimas, quod eas Ethnici studiosè persoluerint. Ita Anastas. Germonius l. 3. de sacro. immunit. c. 19. n. 4. & l. 1. c. 14. n. 8. Philippus Thomassinus l. de donariis c. 4. pagina mihi 33. Disertè enim Plinius l. 12. c. 14. & 19. decimarum thuris meminit ante quas solutas, mercari nefas esset. Et agens de cinnamomo, ait sacerdotem hasta diuisisse sarmenta, Deóque partem posuisse, reliquum à mercatore in messas conditum. Alia multa proferuntur decimarum à Gentilibus exhibitarum exempla, quæ sunt potiùs oblationum, quàm earum decimarum de quibus agimus, vt notaui l. 4. de virtut. num. 322. Quanquam eatenus commodare præsenti instituto illa quoque exempla possunt, quod decimæ illæ votiuæ, vel à plerisque sponte oblatæ, ex spoliis aut aliunde quàm ex terræ frugibus aut lucris negotiationis; ortum videntur habuisse ex notato per Ethnicos, vsu decimarum apud Iudæos ex terræ frugibus. [Quod enim pulchrum est sequitur Momus], vt dixit Clemens Alexandrinus. Cum ergo Iudæi decimas propriè acceptas penderent Deo, ac sacris ministris, idque Ethnici animaduertissent & probauissent, vsurparunt ipsi quoque, imò adulterarunt pium illum vsum, præstantes Diis suis quod à Iudæis erga Deum verum ac viuum seruari viderant: cumque vsum, immutato paulatim agendi modo, extenderunt ad alias materias, quàm ex quibus pendebantur decimæ apud Iudæos. Vt vt sit, rectè Germonius c. illo. 14. *in fine*, ex hoc Ethnicorum circa decimas etiam spontaneas studio, infert quanto iustiùs Christiani, de persoluendis verò Deo decimis, solliciti esse debeant. Si enim tanti vitreum, quanti verum margaritum?

Di-

In laicos ius decimarum sacrilegè vsurpantes.

16. QVid verò iis facias laicis, qui tantùm abest vt decimas persoluere Ecclesiæ in animum inducant, vt potiùs earum percipiendarum ius vsurpent, vel pretio comparent? Hoc sacrilegium damnauit Gregorius Septimus anno 1078. in Synodo quinta Romana cap. 7. verbis illis. [Decimas quas in vsum pietatis concessas esse Canonica authoritas demonstrat, à laicis possideri, Apostolica authoritate prohibemus. Siue enim ab Episcopis, vel Regibus, vel quibuslibet personis eas acceperint, nisi eas reddiderint, se sacrilegij crimen committere.] Idem cap. *peruenit* 1. q. 3. transgressorem huius diuini præcepti, inter maximos hæreticos, & inter Anti-Christos, non minimum habendum decernit. Multos Canones eiusdem æui, aduersùs hanc iuris decimarum vsurpationem per laicos, collegit Rouerius ad historiam S. Ioannis Reomaënsis num. 171. Potenter egisse S. Petrum Tarentasiensem vt hanc prædam laicis excuteret, habent eius Acta c. 6. Sicut autem vsurpatio huius iuris est iniustitia sacrilega; ita emptio eiusdem ac venditio, sordet alio sacrilegio, nempe *Simoniæ*. Nam vendere ius spirituale, cuiusmodi est ius decimarum, vel etiam illud permutare cum iure secularium redituum, simoniacum est, vt per se patet, & sanxit Alex. 3. in Conc. Later. tit. de decimis. cap. 1. Itaque in venditores decimarum, (hoc est iuris earum,) Monachos Sandyonisiacos, meritissimò concitatus est Hincmarus Remensis, olim ibidem Monachus. Eius in hac parte zelum his verbis describit Flodoardus. l. 3. hist. Rem. cap. 25. [Item Vvigiliso cum cæteris eiusdem monasterij Monachis, de eo quod audierat eos à quodam Presbytero pretium quærere pro decima: vnde maximam se verecundiam dixit habere, propter alios homines, qui hoc audituri erant. Quod quantum periculum sit, eis ex diuina ostendit authoritate, & canonum promulgatione. Ac deinde, absit (inquit,) fratres, vt alij Ecclesiastici & religiosi viri hoc audiant, quia monachi de monasterio Sancti Dionysij decimam vendere quærunt, vt de ipso pretio infernum comparent. Multò magis autem absit, vt hoc laici audiant, quod nemo, etiam peccatis publicis implicatus, in mea parochia facere audet. Si enim aliquis de alio monasterio quàm de nostro hoc tentare, quanto magis facere præsumeret, ab omni communione illum de parochia mea excommunicarem.]

17. Non ij duntaxat Laici qui ius decimarum mercantur, sacrilegij damnantur; sed & qui illud accipiunt donatione Episcoporum, iuxta Petrum Damiani l. 4. episto. 12. qui ait, venenum lethale propinare iis laicis; quibus hoc quasi beneficium tribuitur. Hæc vocabatur *donatio Ecclesiarum*: cui affinis erat *donatio altarium*, id est oblationum quæ fiebant ad altare, quam in nonnullis sui æui acriter damnat Fulbertus epistola 59. Sic video ab aliquibus secerni altaria & Ecclesias in hoc negotio. Quanquam Vrbanus Papa in Concilio Claromontano, vt refertur. cap. *quæsitum*, q. 3. testatur, altaria & Ecclesias, vulgari Gallorum vocabulo, idem esse quod decimas. Videndus Iuretus ad Iuonis epistolam 12. & 271. & pag. 805. Non insisto in præsentia huic sacrilegio quod fit potiùs superioris capitis proprium, & vt plurimum idem cum eo quo im-

mobilia Ecclesiarum expilantur. Ius quippè decimarum, est donum immobile. Quæ autem dicitur acceptio ex donatione ferè est extorsio & expilatio. Itaque non est quod hîc excurramus in huius iuris direptionem, quam æquè impetunt omnia quæ dicta sunt in sacrilegam immobilium Ecclesiæ expilationem. Tantùm monendi sunt laici, ne hunc ignem (vt superiùs loquebamur,) rei domesticæ immisceant.

18. Præsules item & ij quos mollities aut lucellum ad huius iuris distractionem illicitam abripit, animandi sunt ad tenacem iurium Ecclesiæ retentionem, exemplo anteriorum multorum Sanctorum præsulum, quorum aliqui hac ex causa etiam inter martyres sunt annumerati. Sic enim Adamus Episcopus Scotus ob decimas fortiter exactas à Cathanesiis, in sua coquina viuus crematus, decus matyrij retulit. Rem narrat Hector Boethus l. 13. hist. Scotorum, ex eo Bzouius anno 1230. n. 4. qui addurit, internecionem impiorum per pium Regem Episcopi vltorem. Sanctus item Bellinus, Episcopus Patauinus ob negatas contumaciter decimas, excommunicauit Thomam Capiuaccium; à quo vicissim extrusus, & horrendum martyrium per canes adactus est, vigesimo sexto Nouembris, illicò clarus miraculis: quorum vnum perinsigne ac perpetuum circa hydrophobos, recitat Ludouicus Cælius. l. 17. cap. 28. Fusè de eo Diuo in historia Patauina l. 3. Classe 13. Bernardinus Scardeonius. Porro quamuis iustum sit, sacerdotes & Antistites in decimarum Ecclesiæ debitarum collectione haud quaquam segnes esse, vt hactenus monstratum est; Tamen nimiam diligentiam Iudaicorum sacerdotum hac in parte, iure diuinæ reprehensioni patuisse, obseruat S. Cyrillus ad illud ex cap. 1. Esaie *popule mi, expilatores tui quasi racemant te.* Quæ reprehensio multo iustiùs feriret Christianos sacerdotes, quos par est multò magis auulsos esse à terrenis.

SECTIO

SECTIO SECVNDA.

Mala Imminutionis bonorum Ecclesiasticorum.

Sacrilegam sacrorum bonorum expilationem hactenus tractauimus. Nunc licitam (saltem in speciem,) aut ex genere suo non contaminatam eorundem bonorum diminutionem, persequi aggredimur, ob varia & insignia mala quæ tali diminutioni adiungi possunt, aut etiam solent. Fit porrò ea diminutio variis modis; nempe primò, per pensionem, siue clericalem & Ecclesiasticam multiplicem, siue etiam Laicam. Secundò per decimationem Ecclesiarum. Tertiò per tributi indictionem. Hæc omnia tametsi fiunt in beneficiis, quorum census annuus ea ratione minuitur, fiunt tamen alio titulo quàm beneficij; ideóque mala ex bonis sic comparatis aduenientia, meritò tractabuntur seorsim à malis bonorum Ecclesiasticorum titulo beneficij aduenientium.

CAPVT PRIMVM.

De Pensionibus.

1. DISCREPANT à beneficiis pensiones, quia non sunt perpetuæ. Vt plurimùm enim morte pensionarij extinguuntur, nec transeunt ad alium. Quod verò alicubi præstimonium appellatur, (hoc est certa portio decerpta ex pingui beneficio, non in vnius duntaxat commodum, sed vt deinceps perpetuò conferatur;) non est reuera pensio, quo nomine ab aliquibus donatur, sed verè est beneficium Ecclesiasticum, vt rectè statuit Suares t. 5. 3. p. disp. 14. S. 1. n. 7. & l. 4. de Orat. cap. 22. num. 8. & l. de Simon. cap. 15. Hinc patet, cur de malis bonorum Ecclesiasticorum titulo pensionis obuenientium, agendum suscipiam seorsim à malis eorundem bonorum è beneficio perceptorum. Neque enim pensio est beneficium, tametsi aliquæ pensiones affinitatem habent cum beneficio.

Varietas pensionum è sacro censu, & quid ad earum honestatem exigatur.

HOc vt intelligatur, & discussioni malorum è bonis Ecclesiasticis per pensionem obuenientibus via muniatur, distinguendum obiter est triplex pensionum genus. Obiter (inquam) neque enim hîc de pensionibus tractationem instituimus, quotquot de beneficiis agunt, fusè prosequuntur: sed duntaxat mala ex bonis per pensiones aduenientibus, demonstranda suscipimus: ad quod sufficit, nonnulla de pensionum conditionibus perstringere. Pensionum ergo vna est temporalis, quæ datur ex alieno beneficio propter ministerium temporale exhibitum Ecclesiæ; vel ob defensionem ei exhibitam, aut exhibendam. Aliqui vt Lessius l. de Iust. cap. 34. num. 202. hanc pensionem vocant laicam, quia laicis assignatur. Quanquam non est dubium quin possit etiam cadere in Ecclesiasticos, sed sub alio respectu, quàm gradus, vel officij, aut ministerij Ecclesiastici. Si enim ab Ecclesiastico eadem defensio exhibeatur Ecclesiæ, quæ laico iustum fundamentum suppeditaret pensionis temporalis, (& idem est de temporali ministerio per Ecclesiasticum Ecclesiæ præstito;) manifestum est, pensionem si precisè eam ob causam assignetur Ecclesiastico, æquè fere laicam, ac si ob eandem causam esset assignata laico. Secunda pensio è diametro est, quæ datur ex alieno beneficio, propter spiritualem titulum, aut functionem spiritualem: cuiusmodi est, quæ datur ob adiumentum quod Parocho vel Episcopo actu & reipsa exhibetur in spiritualibus ministeriis. Hæc dicitur pensio Clericalis, vel Ecclesiastica aut spiritualis. Quibus item nominibus donatur ea pensio, quæ non datur quidem ob ministerium spirituale actuale, fundatur tamen in statu spirituali: cuiusmodi est quæ assignatur Clerico seni aut pauperi; vt se sustentet: vel quæ imponitur titulo resignationis, vel litis componendæ. Quanquam illam quæ imponitur propter officium spirituale iam impensum, Vasquez Tract. de benef. cap. 2. §. 4. n. 168. negat esse pensionem spiritualem, vultque esse merè temporalem & vendibilem. Omnibus his modis, potest pensio ex alieno beneficio decerpi: licitè quidem, si adsint quæ iure positiuo aut naturali ad id exiguntur: illicitè autem, si quid tale deficiat.

2. Quæ exiguntur ad honestam & validam adeptionem pensionis, varia sunt pro varietate pensionis. Ad pensionem quidem laicam aliud non exigitur quàm vt causa subsit, ac pensio sit moderata, & qui pensionem imponit potestate non careat, qui non est alius regulariter quàm summus Pontifex, vt Cord. benè tradit l. 1. quæst. 21. puncto 1. Ad Ecclesiasticam verò, multa requiruntur, quæ numerant Toletus l. 5. instit. cap. 83. Gigas in opere de pensionibus per plures qq. 6. Lessius l. 2. de virtut. cap. 34. dub. 38. præter iustam namque causam, & pensionis mediocritatem, quæ hîc quoque exiguntur; quædam etiã interuenire debent ex parte personæ recipientis pensionem; quædam ex parte conferentis. Persona recipiens pensionem Ecclesiasticam, debet esse in statu Clericali, saltem per primam tonsuram. Nam tametsi hæc nullo iure sancita reperiuntur; ita tamen fert stylus Curiæ qui vim legis obtinet. Coniugij celebratione amittitur pensio Ecclesiastica vt latè prosequitur Sanchez

7. de

7. de Matr. d. 44. n. 5. qui l. 7. in decalo. c. 29. n. 8. idem statuit de professione religiosa: non tamen per vota biennij in Societate Iesu emissa amitteretur pensio priùs obtenta vt tradit. n. 10. quamuis, vt ait n. 101. non possit de nouo acquiri pensio Ecclesiastica, ab homine votis illis obstricto. Necesse item est, pensionariũ Ecclesiasticum esse ex legitimo thoro, & excommunicatione, ac suspensione; & interdicto liberum Nam excõmunicato nullam pensionem Ecclesiasticam conferri posse, probat Suares t. 5. 3. p. d. 14. s. 1. n. 9. De suspensione & interdicto idem habet Molanus nunc adducendus. Idem ad irregulares extendunt aliqui, vt Lessius c. 34. n. 203. sed refragatur Sa. V. *homicidium* n. 21. & Molanus tract. 2. Theolog. pract. c. 41. n. 10. inter obices enim pensionis rite Clerico impositæ, memorat solùm ea quæ recẽsuimus, omissa irregularitate. Et meritò, quia irregularitas cum possit absque peccato contrahi, non debet eadem inferre incõmoda quæ infert excommunicatio quæ sine peccato non incurritur. Nec refert quod ij quibus pensio conceditur, soleant ad cautelam in diplomatibus absolui, vt ab excommunicatione ita & ab irregularitate esse necessariam ad obtinendam pensionem Ecclesiasticam. Nam multa interdum exprimuntur in diplomatibus ad tranquillationem conscientiarum, & præclusionem tricarum, quæ præcisè non exiguntur. Persona conferens pensionem Ecclesiasticam, per se loquendo est solus Pontifex, vt tradunt benè multi apud Sanchem 7. in Decalo. c. 29. n. 94. & ex stylo curiæ vim legis habente confirmat Lessius. l. de Iust. c. 34. num. 205. & 206. Disertè quoque iure communi mandatur, vt beneficia integrè & absque diminutione conferantur. Vnde Ordinarij, secluso priuilegio aut consuetudine ritè præscripta, (nempe vel cum titulo per annos quadraginta, vel per tempus immemoriale absque titulo), non possunt beneficia grauare pẽsione propriè dicta atque perpetua; quæ scilicet perstet, etiamsi beneficiarius moriatur, & beneficium transeat ad alium. Esto cum Ecclesiam sui iuris à sua sede quasi auellunt, possint Episcopi in recognitionem antiqui iuris reseruare suæ sedi pensionem, vt habetur c. *Constitutum* de Relig. dom. & possint etiam pensionem super beneficium imponere, in paucis euentibus iure concessis, vt in transactionibus, & causa concordiæ litis, iuxta varios quos allegat & sequitur Suar. l. de Simo. c. 51. n. 18. seclusa fraude sustinentium vltrò molestias in beneficiis quæ obtinent, vt postea quæstioni cedant, & quasi nomine transactionis constituatur pensio, vt refertur cap. *audiuimus* de collus. deteg.

Damna pensionis laicæ, malè constitutæ.

3. SI prædicta interueniant; (hoc est si capacitas in pensionario, & in concedente potestas, ac legitimum motiuum immunitionis beneficij reperiatur); nihil vetabit, quominùs innoxia sit ea bonorum Ecclesiasticorum ex pensione acceptio. E contrario tamen erit damnosa, & malorum ferax, si prædicta deficiant; & nominatim si desint moderatio pensionis, ac legitimum motiuum, siue causa idonea; quod secundum maximè timendum est in pensione laica, à qua excutienda ordior. Quàm enim difficile est, vt vera & sufficiens causa suppetat diminuendi beneficium in fauorem laici? Sanè grauior longè causa ad id exigitur, quam vt pensio imponatur in fauorem Clerici. Tunc enim

diuitiæ putrefactæ remanerent, vel à tineis vestimenta comederentur. Immò sicut prò auaritia, sic & pro epulis, & pro luxuriis, præsentis sententiæ comminatione feriuntur. Si autem hæc dicta sunt illis, qui talia forsitan de propriis rebus agebant; multò magis quibusdam præsentis temporis diuitibus dici potest. Vlulate in miseriis aduenientibus, quoniam epulantibus vobis de rebus non vestris, & thesaurizantibus de his quæ ad sustentationem pauperum Ecclesiæ tradita sunt, ipsi pauperes, & Ecccclesiastica familia, fame cruciantur; & qui ex eis fraudatus à vobis est, vel oppressus clamat; & clamor eius in aures Domini Sabbaoth introiit Scio Agobardum agere de laicis, per sacrilegium occupantibus beneficia per vim, nec nisi laica potestate annuente, iuxta illius æui detestandam abusionem. Ratiocinatio tamen Agobardi, non minùs ferit pensiones luxum pensionarij fouentes, etiamsi acceptas cum colore facultatis à superiore Ecclesiastico concessæ.

5. Ex ratiocinatione porrò Agobardi, videtur confirmari, quod non nulli asserunt: nempe etiam iis adhibitis quæ ad pensionis laicæ honestatem poposcimus, pensionarium laicum, teneri eodem modo superflua pensionis suæ erogare in pauperes, quo tenentur beneficiarij, residua suæ sustentationi, impendere in pias causas. Sed meritò Molina tract. 2. de Iust. d. 145. & Corduba l. 1. q. 21 p. 3. *in fine*, id restringunt ad pensionarios Ecclesiasticos, de quibus etiam solis agit Nauarrus, idem latè confirmans q. 1. de redit. monito 32. de pensionariis autem laicis nihil tale dicit. Et rectè. Nam pensio quam hi recipiunt est merè temporalis, nec habet rationem boni Ecclesiastici, sed censenda est bonum quasi patrimoniale, de quo liberum est Domino disponere in omnes non malos vsus. Igitur per ea quæ ex Agobardo retuli, & approbaui; non intendo astringere pensionarios laicos ad hanc obligationem quam eis à nonnullis iniici dixi; nempe erogandi superflua ex ea pensione, in pios vsus. Dubitare tamen non licet, quin sit valdè fœdum & indecorum, bona ex sua origine Deo addicta, prodigere in curam carnis, atque superuacaneum splendorem & luxum, quæ erat Agobardi ratiocinatio. Si tamen quæ requisiuimus ad iustam pensionis laicæ impositionem: interueniant, & eius impositæ vsus ac dispensatio sit qualem poposcimus; & impositio, & perceptio pensionis laicæ honesta erit, & labe vacans: Esto ob periculum ne aliquid ex prædictis deficiat, haud immeritò omnem huiusmodi pensionem valdè auersetur Chopinus l. 1. monast. tit. 1. n. 14. & fauet ratiocinatio Agobardi.

6. Obiter hic addam, ratiocinationem Agobardi proposi am, non minus aptè intorqueri posse, aduersùs eos qui prætextu militiarum aliquarum sacrarum, bona Ecclesiastica integra, (totum inquam aliquod beneficium), absque iusta causa deglutiunt. Qui scilicet non exequentes quæ fert institutio ordinis militaris cui tale priuilegium potiendi beneficiis est concessum; homines planè laici, & coniugio illigati, veluti stipendium laborum in potestatis laicæ gratiam exantlatorum, accipiunt beneficia, & eis fruuntur. Non murmuro aduersùs eas militiarum institutiones, quibus laici ijsdem initiati fruuntur priuilegio habendi beneficia: quale militiæ Sancti Petri à se erectæ, concessum à Leone Decimo, scribit qui aderat Hieron. Gigas q. 21. de pensionibus, adducens Doctores quibus ea beneficiorum habendorum prærogatiua arrisit. Aduersùs eum igitur

vſum non miſſo : Sed aduersùs abuſum, quo non ſeruatis legibus militiæ, & nullo ex ea fructu deriuato in Eccleſiam, laici integris beneficiis, cum Eccleſiæ diſpendio potiuntur : Tales quoque ferit ratiocinatio Agobardi, multo magis quàm meros penſionarios laicos. Nec difficile fuerit, transferre ad eos propè omnia, quæ aduersùs corruptelam laicorum à poteſtate laica captantium beneficia, ſunt inferiùs diſputanda libro 2. Nam quamuis deſit in hoc euentu, malignitas illa quæ petitur ex tyrannica collatione per laicum, tamen alia eius collationis mala ex variis Doctoribus poſtea vrgenda, hîc interueniunt. Timeant itaque ſibi, qui titulis planè ementitis, nec explentes quæ fert inſtitutio cui nituntur beneficiorum integris fructibus ſe onerant. Sed hæc obiter.

7. Non penſionario duntaxat, ſed etiam penſionem curanti, damnoſiſſima eſſe ſolet laicæ penſionis impoſitio. Cuius rei, vt cætera exempla diſſimulem, ſuppetit luculenta probatio, ex eo quod S. Bernardus ſcribens Alphonſo Regi Luſitaniæ, eique gratulans fundationem cœnobij Alcobaſiæ, in quo laus perpetua per mille monachos vicatim obibatur : ſubdidit, *in diuiſione redituum eius, diuidetur à vobis corona veſtra :* Epiſtola extat in Ciſtercienſi Menologio vigeſimo Auguſti. Euentus, prædictionem comprobauit. Nam cum Henricus Cardinalis & Rex Luſitaniæ, partem redituum illius monaſterij aſſignaſſet cuidam aulico, regnum non ita multò poſt, auulſum à ſtirpe Luſitanica, aliò eſt tranſlatum. Itaque viderint qui laicis è ſacris bonis penſiones curant, quid moliantur; attentéque idipſum diſpiciant laici penſionatij; certi, ea bona ignem eſſe depaſcentem cætera bona quibus admiſcentur; & poſſeſſoribus conuehentia omne genus nocumentorum atque damnorum.

Vt penſio Eccleſiaſtica labe vacet, imponenda ex idonea cauſa.

8. IAm verò circa penſiones Eccleſiaſticas, ſtatuendum eſt, eas ſeruatis illis quæ ſeruanda diximus, nitentes ac labis vſquequaque puras eſſe, quod monſtrant exempla aliqua. Nam Synodus ſexaginta ſeptem Epiſcoporum, exautorans iuſta de cauſa Polychronium Hieroſolimitanum, iuſſit eum accipere penſionem. Item Nicephorus l. 11. hiſtor. c. refert literas Athanaſij Conſtantinopolitani, quibus penſio ducentorum aureorum in annos ſingulos, ex Epiſcopatu Metropolis Monoboſcenſis, decreta in Synodo Epiſcopo Cretenſi refertur. Quæ non mandaſſent Sancti illi Antiſtites, ſi penſionum Eccleſiaſticarum vſus, eſſet ſemper illicitus. Denique Simplicius Papa anno 482. Gregorio antea Rauennati Epiſcopo, tunc Mutinenſi; decreuit penſionem ex bonis Eccleſiæ Rauennatis, vt ad eum annum monſtrat Baronius. Ratio item ſuffragatur. Nam poteſtatem ſuperiorem quæ beneficium confert, decidere aliquid ad tempus è fructibus beneficij, ad illum ipſum finem diuini cultus ob quem beneficium confertur, nihil eſt quod prohibeat. Vt tamen huiuſmodi penſionum acceptio ſit innoxia & indemnis, illud primum expoſcebam, vt impoſitæ eſſent ex idonea cauſa; alioqui enim nec licitè dantur, neque accipiens eſt tutus in conſcientia, atque adeò nec validè aſſignantur. Contrarium tenent multi Iuriſperiti, quos refert & ſequitur Gigas tract. de penſio. q. 6 num. 7. exiſtimantes Pontificem eſſe dominum beneficiorum, vt inferunt ex variis iuribus

ribus,quibus dicitur Pontificem habere summam & liberam potestatem rerum beneficialium. Inde enim sequi putant, fas esse summo Pontifici, etiam sine causa pensionem alicui assignare super beneficio. Sanchez autem 7. in Decalo. c.29.n.97.tametsi existimat pensionem absque causa impositam,illicitè imponi, tamen existimat factũ tenere;ac proinde possidentem esse tutum in conscientia. Idem habet Azor.t. 2. l. 8. cap.6.q. 8. cuius argumentum est, quod Pontifex dans pensionem absque iusta causa, non delinquit contra ius naturale irritans factum; sed contra Canones, quibus vetitum est beneficia cum diminutione conferre. At quæ Pontifex facit aduersùs Canones, prout sunt merum ius humanum, validè facit, quamuis in eo possit peccare.

9. Mihi in primis verissimum videtur, deficiente causa idonea pensionem illicitè imponi, quod docent Sanchez & Azor locis annotatis, & Toletus l. 5. Instruct. cap. 83. num. 3. Victoria relect. de Simon. num. 50. Nauar. q. 3. de redit. num. 21. Corduba l. 1. q. 21. puncto 2. Soto l. 9. de Iust. quæst. 7. art. 2. Molanus tract. 2. Theologiæ practicæ cap. 41. conclus. 2. num. 5. Efficaciter autem probatur quod dico, supposito fundamento, contrario illi cui aduersarij innitebantur. Neque enim verum est quod assumunt, Pontificem esse dominum beneficiorum, & fructuum ex illis obuenientium, cum sit duntaxat, & beneficiorum, & fructuum ex eis perceptibilium dispensator, vt expressè habet S. Thomas 2.2. q. 110. art. 1. ad 7. & q. 63. art. 2. ad. 1. Gabr. lect. 28. in Cano. *litera. R.* Corduba l.2.q.21. p.2. Arias Pinellus,adducens multos,in rubr.Cod.de rescind.vendit.1.p.num.29. & 30.Azor.t.2.l.6.cap.12.q.7. qui rectè ostendit, textus quibus aduersarij nituntur, tantum ferre, administrationem beneficiorum per Pontificem esse liberam; id est, solutam vinculis quæ iure Canonico scripto iniiciuntur aliis Præsulibus; quamuis non sit, nec esse possit soluta vinculis, naturali aut diuino iure iniectis cuicunque mortalium. Non est igitur Pontifex beneficiorum dominus, nec redituum ex eis perceptibilium; sed tantùm dispensator. At dispensatoris est, fideliter rem gerere & prudenter, atque adeò ex causa idonea, non autem pro mero arbitrio.

1. Quod autem (vt addebam), pensio imposita absque idonea causa, validè non imponatur, ac proinde possidens non sit in conscientia tutus, affirmatur à Toleto supra, & à Victoria relect. de Simo.num.50. & à Lessio l. de Iust. cap. 34. num. 204. ex communi (vt ait), doctrina Theologorem: videtúrque efficaciter probari,ex eo quòd proximè diximus Pontificem non esse nisi Oeconomũ & dispensatorem prouentuum Ecclesiasticorum & beneficiorum. Si enim quis res Domini accipiat ab œconomo infideliter & sine causa dante, manifestè donatio est inualida, saltem quoad exsolutionem ab obligatione restituendi, & ita vt donatarius sit tutus in conscientia. Igitur si deficiat causa iusta ob quam aliquis pensione donetur, nulla est impositio & iniusta, & qui pensionem accipit, iniustè accipit,nec potest eam in conscientia retinere. Esto,vt Corduba rectè concedit quæst. illa 21. puncto 2. in foro Ecclesiæ,id est, in foro externo, censeatur valida impositio, nec possit aliquis imponenti dicere, quare ita facis? vt etiam ait Glossa in cap. *quamuis* de pœnit. dist.3. Sanè (vt Victoria argumentatur), si Pontifex legatum pium alicuius ad curandum sibi sacrum quotidia-

num perpetuum, transferret aliò sine iusta causa, darétque alicui non sacrificanti, nec curanti sacrificium per alium, donatio non modò esset illicita, sed etiam nulla & inualida; & donatarius non esset in conscientia securus. Atqui prouentus Ecclesiastici, nihil aliud sunt quàm legata pia fidelium, vt erogentur *in* has vel illas pias causas. Si igitur nulla earum causarum subsit, & reditus sacri ex mero arbitrio dispensatoris profundantur inaniter, etiamsi tantùm ex parte, vt fit per pensionem vanam & sine causa impositam, profusio illa iniusta erit & inualida, nec excusabit pensionarium, nisi ad summum in foro humano.

11. Hìc iam quæritur inter dispensatores, quomodò fidelis quis inueniatur. Quæritur inquam, quæ sit iusta causa imponendi pensionem Clericalem, ita vt eius perceptio vacet scrupulo, nec timenda sint mala ab Ecclesiasticis bonis, hac ex parte. Respondent Toletus lib. 5. Instit. cap. 33. num. 1. Valerus V. *pensio*, differentia 1. *in fine*. Cordubal. 1 q. 21. p. 2. Lessius l. 2. de virtut. c. 34. num. 24. causam imponendi pensionem de qua agimus, debere esse talem, quæ cedat in Ecclesiæ particularis vel vniuersalis vtilitatem: cuiusmodi esse censetur, ministerium sacrum non modò quod actu exhibeatur, sed etiam quod iam olim sit exhibitum, aut aliquando sit exhibendum. Talis etiam causa censetur, sustentatio Clerici pauperis. Item diremptio litis non irrationabiliter initæ, ac suppletio inæqualitatis beneficiorum in permutatione, ex causa & honestè facta. Hæc enim omnia, iustum titulum suppeditant imponendi pensionem Ecclesiasticam. Neque enim iustum est, abiicere ministrum iam senem, qui aliàs strenuè laborarit, beneficio carentem, qui nunc per ætatem aut inualetudinem laborare vltra nequeat. Item conueniens est, vt Clerici, præsertim qui non habent vnde se aptent ad Ecclesiastica ministeria per studium, accipiant ex Ecclesiasticis bonis vnde se idoneos reddant, vt possint Ecclesiæ inseruire. Similiter Clericos pauperes foueri ab Ecclesia, sanctum est & laude diggnum. Sunt enim Ecclesiastici ordinis membra, vt Victoria supra num. 51. ratiocinatur. Præterea vt lites non ex mera vnius litigantium libidine & improbitate initæ, sopiantur; foueatúrque concordia, dignum est, ei cuius potiora apparent fundamenta, adiudicari beneficium, pensione alteri attributa; idque Ecclesiæ vtile est, ne interim dum litigatur, careat ministris. Et denique cum quis beneficium pinguius ritè ab se aditum & possessum, permutat minùs pingui, non est iustum vt excidat fructu pinguioris beneficij absque compensatione; proindéque potest eam quærere, petita pensione imponenda authoritate eius qui potest imponere: estque id Ecclesiæ vtile, æquè ac permutatio. Igitur omnes hæ causæ, cedunt in Ecclesiæ vtilitatem, & ob eas potest licitè & iustè imponi pensio Ecclesiastica.

12. At nullo modo iustum est, vt quis idcircò tantùm deposcat sibi pensionem, quia resignat beneficium in fauorem tertij; tametsi hæc est praxis vel potiùs abusio quotidiana. Reprehendunt eam Corduba p. illo 2. Valerius V. *pensio*, differentia 3. & Molanus tract. 2. Theol. pract. c. 41. num. 16. Ratio cur non possit eo tantùm titulo imponi pensio, inde ducenda est, quod desit titulus accipiendæ ea ex causa pensionis. Si enim qui beneficium resignat, aliquod ministerium exhibuit cum beneficium possidebat; supponitur compensatus perceptione

ceptione fructuum, interim dum beneficio potiretur. In euentu porrò de quo agimus, non allegatur vel paupertas eius, vel spes futurorum ministeriorum, si pensione iuuetur dum comparat aptitudinem ad ea in futurum obeunda. Hæc enim possent continere idoneam causam pensionis imponendæ, sed distinctam ab ea quam excutimus. Igitur titulus ob quem pensio imponitur, est beneficij renunciatio; quæ si sola sit, non est causa idonea pensionis imponendæ: quia beneficiarius post renunciationem, nihil iuris habet ad minimam partem fructuum beneficij quod dimittit: per ipsam verò renunciationem, nullum ius ad fructus acquirit. Tenetur enim vel ritè ministrare vt fructibus potiatur; vel si cedere beneficio vult, tenetur gratis cedere, nisi aliquem titulum alleget, quo possit portionem fructuum retinere. Quod si omittat, & tamen fructuum partem sibi securam velit; vel pro pretio beneficij id deposcit, estque simoniacus; vel de ea nequitia est suspectus, etiamsi Pontificiam concessionem obreptitiè extortam obtendat; vt Corduba admonuit, adductis Panormitano, Anania, Felino, Archidiacono, Inola, & Friderico. Estque id meritò timendum Clericis, præsertim si iam aliunde, ex fructibus Ecclesiæ habeant sustentationem conuenientem.

Labes pensionum Ecclesiasticarum, ex nimia earum quantitate, continua & discreta.

13. Illud item ad rectam Ecclesiasticæ pensionis impositionem exigebam, vt sit moderata: qualis esse censetur, si beneficiario relinquatur sustentatio conueniens; non obstante pensione. Eamque ob causam, beneficia curata grauari pensione, nisi prouentus excedant summam centum ducatorum, vetuit Tridentinum sess. 24. cap. 13. de reform. Et eandem ob causam vt Caccialupus notauit tract. de pensio. q. 7. quantuncunque sit beneficium, vsus non fert, vt pensio excedat tertiam fructuum partem. Nec legatis Apostolicis conceditur, maiorem imponere ex causa resignationis, vt scribit Gigas q. 6. & 9. Non tenetur moderatio proposita, cum pensio adeò magna est, vt vix supersit beneficiario vnde se honestè sustentet, & cum status sui decoro vitam exigat. Pertinet verò ad eiusmodi decorum non tantùm vt habeat famulitium accommodatum suo gradui, & supellectilem ac mensam conuenientem, sed etiam vnde eleemosinas in loco beneficij, eroget, & in pia opera conferre pro occasione possit suam symbolam. Nam in hos fines collatæ sunt à fidelibus facultatesè quibus beneficij census exitit. Qua in parte gemitum piis viris sepè extorsit, quod in quibusdam admodùm pinguibus beneficiis vsuuenit; vt scilicet beneficiarij adeò pensionibus, siue laicis, siue Ecclesiasticis, siue vtrisque grauentur, vix vt eis supersit ad tenuem frugalémque cultum externum; Vnde plerunque necessitas iniicitur, vel deueniendi ad sordes & illiberalem quæstum, à statu beneficiarij abhorrentem; vel abstinendi consentaneis beneficiario operibus, non absque imminutione diuinæ gloriæ & procurationis animarum, ac ædificationis fidelium. Sciens compesco labellum, quamuis proferre possem singularia exempla in rem præsentem planè luculenta. Quod si admodùm minui partem census beneficiario debitam, indignum est & auersandum; quanto in-

dignius fuerit, totum beneficij censum ? Res meo iudicio per se loquitur. Meritò ergo Toletus l.5.instit.c. 83.n.3.Corduba q.illa 21.p.2.*sub finem*. Soto l. 9. de Iust.q. 7.art.2.& Palat.ad Caietani summulam. V. *Simonia*, iniquissimum & inexcusabile esse dicunt, exigere ex beneficio pensionem omnium fructuum. Sic enim qui laborat non manducat, contra Apostoli edictum. Nam qui titulum beneficij accipit, vi tituli tenetur laborare & ministrare ; & tamen alius totam messem colligit, quod apertè aduersatur iuri naturali, & Canonico, ac institutioni beneficiorum. Excipiunt duntaxat Corduba supra, & Canpegius opusc. de reseruatione omnium fructuum, ac Medina q. 9.de orat.euentum in quo is qui beneficium accipit, habens aliunde decentem sustentationem, liberè consentit in tantam pensionis quantitatem. Volenti enim non fit iniuria. Vnde dummodò pensionarius non careat titulo, pensionis in tanta quantitate accipiendæ, aberit culpa & inordinatio. Quid autem iuris sit quoad officij recitationem in eo euentu, consule Suarem l. 4. de orat. c. 20. Briaert quod l. 4. & Medinam q. 9. de orat.

14. Affinis est illa alia labes, qua aliqui pensiones sibi sine fine ex variis beneficiis sordidissimè multiplicant. Quem esse mirabilem abusum ait Toletus c. illo 83. num 3. sed non est quod de hac abusione hîc pluribus agamus, cum eadem sit ratio huius nimiæ multiplicationis pēsionum Clericalium, quæ beneficiorum, de quibus alio loco. Sicut ergo cum primum beneficium sufficit ad congruam sustentationem, non licet multiplicare in eadem persona beneficia; ita si vna pensio sufficiat ad decentiam status pensionarij retinendam, nefas est congregare plures. Et quod superfuerit congruæ sustentationi pensionarij Ecclesiastici.(quidquid dicat Vasques tract. de eleemos. cap.4. dub. vlt.) æquè *in* pios vsus erogandum erit, ac superflua beneficij, de quibus alio loco. Ita Lorca disp.40.de Charit.n.7.Bartholomæus à Sancto Fausto. l. 2. de horis Canonicis quæst.116.& Mol. tract.2.de Iust. disp. 145. §. *ex eadem*, adducens Nauarrum, qui id fusè probat q. 1. de redit. monito 32.n .2. Idem tamen monito 93. n. 2. & Binsfeldius in Enchir. parte 4. c. 13.conclus.4.adducens Gigantem q. 52.de pensionibus, & Couarruuiam ad c.*cum in officiis*, n .6. id diffitentur de pensionibus Clericalibus quæ dantur personis eminentibus, in supplementum & subsidium expensarum, vt se decentiùs sustentent. Sed quamtum video, argumenta quæ probant pensiones aliquas Clericales exigere, vt superflua erogentur in vsus pios; idem quoque probant de istis pensionibus; quas suppono decerpi è beneficiis Ecclesiasticis, nec deberi titulo laboris indebiti, sed tametsi absque iure percipiendi illas ex Ecclesiasticis beneficiis, tamen conferri ad sustentationem congruam eiusue subsidium. Talia enim bona non sunt censenda quasi patrimonialia, sed transeunt cum suo onere, quo grauabantur dum erant conserta beneficio: ac proinde si aliquid ex eis supersit, erogandum est in vsus pios. Parum verò refert, quod hæc bona non dentur vi iuris ea percipiendi ex beneficio: quod est dicere, non percipi vt fructus beneficij, aut pēsionis Ecclesiasticæ: quia hoc ipsum est quod quærimus; an quæ è bonis Ecclesiasticis absque illo iure percipiuntur, si non percipiantur vi ministerij temporalis indebiti, aut propter spirituale ministerium præter obligationem exhibitum, talia sint, vt si quid eorum congruæ sustentationi supersit, debeat in vsus pios erogari: quod nos

nos affirmamus, attenta origine talium bonorum, & titulo ob quem dantur. Quinimò quæ sic dantur, quia dantur absque iure percipientis, multo magis debent retinere conditionem suam, & expendi vt sacra. Secus verò est de pensione laica, quæ rependitur ob ministerium non debitum merè temporale habétque rationem pretij, quod proinde potest à pensionario laico inadæquatè impendi in quoscunque aliàs non illicitos vsus; absque vlla obligatione erogandi superfluum sustentationi, in causas pias, vt superiùs annotauimus.

Redemptio, pensionum Ecclesiasticarum, quatenus inhonesta.

15. EXtrema circa pensiones Ecclesiasticas corruptela, spectat earum redemptionem, etiamsi specie facultatis legitimæ factã. Nam de ea redemptione quæ fieret absque facultate, pronunciandum est cum de Simonia; vbi videbitur, huiusmodi pensiones absque generali saltem concessione, redimi non posse. Laicas quidem pensiones, non modò redimi, sed etiam vendi, fas est absque vlla labe, quidquid dicat Rebuffus de pacif. possess. n. 34. falsò supponens, ius ad has pensiones, quia deciduntur ex bonis Ecclesiasticis, esse ius spirituale: quod meritò repudiat Suares l. de Simon. c. 26. concludens, pensiones laicas non esse materiam simoniæ, & vendi vel redimi posse, etiam attēto iure humano, vt ait n. 16. De pensionibus autem Ecclesiasticis alia est ratio, quia tametsi olim cum nullum eis annexum erat spirituale ministerium, temporales erant, atque adeò vendibiles & redimibiles, quod voluerunt Caiet. t. 1. Opusc. tract. vlt. respons. 10. Gigas multos adducens q. 28. de pensionibus *in principio.* Couarr. cap. *cum officiis* de Testam. n. 6. & passim Iurisperiti quibus adhæret pro eo tempore Suares c. illo 26. n. 7. Tamen post constitutionem Pij Quinti, editam anno 1571. qua pensionibus Clericalibus annexuit obligationem ministerij spiritualis, (recitationem scilicet officij Beatæ Virginis); pensiones illæ sunt spirituales, atque adeò inuendibiles & irredimibiles, etiam iure diuino, supposita annexione illa ministerij spiritualis ad hoc ius, facta per Ecclesiam. Quare ratum esto, pensionum Clericalium venditionem & redemptionem absque legitima facultate factam, nunc esse auersandam. In ea item redemptione, quam Superioris assensus & facultas firmauerit, interuenit aliquando labes non modica.

16. Nimirum sunt qui pensiones sibi curant, è quotquot possunt beneficiis, quas nisi extinguerent, ad non exiguas summas excrescerent. Itaque cum eas sunt assecuti, pro facienda per beneficiarium redemptione satagunt; sicque efficitur, vt non exiguas pecuniæ summas corradant è beneficiis, absque vllo ferè onere, ob non diu dilatam redemptionem. Fateor huiusmodi redemptiones, cum supponantur fieri autoritate Superioris, vacare labe Simoniæ, si mens sit non læua. Negari tamen non potest, quin sint partus immoderatæ cupiditatis, & sordibus auaritiæ iniquinentur. Nec deest periculum mentalis Simoniæ, si hæ pensionum constitutiones & redemptiones, curentur & quærantur per modum mercimonij & negotiationis. Saltem verò vix abest scandalum; quia quantumcunque pensionarius dextrè se gerat, & mentem induat à pretio & venditione abhorrentem; tamen plebs quæ non secus ex huiusmodi redemptione

colligi pecunias videt, quàm si pensio venderetur vt merx temporalis, sinistram de Ecclesiasticis opinionem concipit, à qua specie mala ei præbenda, abstinendum est, ex monito Apostoli.

CAPVT SECVNDVM.

De sacri census tonsura, absque legitima authoritate, & idonea causa.

1. QVÆ hoc & sequenti capite dicam, accipi volo, secundùm ius commune, cui ex priuilegio quod nunc non attendo derogari potest. Hic porrò, Tonsuram appello; per analogiam ad superflui capillitij resectionem, quam multi per analogiam ad decimas propriè dictas, quæcunque sit quantitas postulata, *decimationem* appellant, idest collectionem certæ partis fructuum Ecclesiasticorum, ob necessitates aliquas publicas, & præsertim ad sumptus belli. Et aliquando quidem huiusmodi decerptio fructuum Ecclesiæ, facta legitur solùm authoritate profana, siue laica: aliàs autem facta est, hodiéque quibusdam in locis fit, præuio consensu Rectorum Ecclesiæ; interdum quidem extorto, aut metu maiorum malorum delato; aliquando planè libero; præsertim cum ita poscit defensio fidei, aut locorum sacrorum de manibus infidelium ereptio.

Tonsura census Ecclesiarum, sacrilega; secluso assensu Rectorum Ecclesiæ, & iusta causa.

PRimo modo facta tonsura Ecclesiarum, sacrilega est, extra necessitatem extremam, cui aliter succurri nequeat. Hoc cur addam, non est obscurum. Ecclesiastici enim sunt partes Reipublicæ, & eius commodis fruuntur. Quamuis igitur bona sacra regulariter immunitate gaudere debeant, nec fas sit laicis potestatibus bona titulo beneficij illis addicta, vsurpare vel imminuere quoquomodo, tamen si summa necessitas vrgeat, nec possit aliter prospici bono communi per iustam defensionem; eóque deuentum sit, vt res non patiatur moram ad assensum Pontificis impetrandum; non vetatur potestas laica, decimationem Ecclesiarum exequi, sub præsumpta facultate. Purgant à sacrilegio hac ratione aliqui, Carolum Martellum, qui authore Guaguino in eius vita, decimas Ecclesiæ dedit laicis ad bellum. Aiunt enim id factum, ad Saracenos Galliæ ex improuiso imminentes, auertendos; vt refert Mich. Roussel. l. 5. histor. Iurisd. Pont. cap. 2. num. 9. Extra huiusmodi verò euentus moram non patientes decimationem Ecclesiarum propria potestate à laicis factam, esse sacrilegam, dubitare non licet, vt suppono ex tractatione de immunitate. Nec obstat quod obiici potest ex cap. *si tributum* 11. q. 1. desumpto ex S. Ambrosio ad calcem Orationis de tradendis basilicis. Nam præter multa quæ ex variis

variis ad eius textus enodationem adducit Suares l. de immunit. Eccles. cap. 21. num. 11. & 12. ex contextu videtur manifestum, S. Ambrosium locutum esse, non admittendo ius vllum decimandi Ecclesias per laicam potestatem, sed permittendo quod tunc Iustina Imperatrix Arriana per Valentiniani pueritiam grassans impotenter in Ecclesiá, tyrannicè exigebat de Ecclesiasticis fructibus. Quia enim fides Catholica, per aspidis illius ac viperæ malignitatem periclitabatur; intentus in fidem tuendam S. Ambrosius, præ fidei dispendio quod imminebat, professus est se negligere temporalia damna, vt notauit Baro. anno 387.

2. Quàm hoc sacrilegium carò steterit iis qui illud attentarunt, innumeris exemplis est proditum. Meritò enim contestatur in hanc rem Petrus Bles. epist. 112. [Nunquam pauperum, nunquam Ecclesiæ spolia, prosperum habuerunt euentus auspicium.] Et Patres Concilij Meldensis, augurati sunt regni euersionem non ita multo post consecutam, ex sacrilegio manaturam, quo & Ecclesiæ laicis dabantur, & quæ relinquebantur sacerdotibus, iubebantur pendere auxilia & subsidia in bellicos sumptus. Emanueli Lusitaniæ Regi (quod refert Osorius l. 9. de eius gestis), concesserat Leo Pontifex decimationes fructuum Ecclesiasticorum, in sumptus belli quod in Africa gerebat. Eam tamen concessionem remittere coactus est Emanuel, postquàm deprehendit, ex quo ea benignitate Pontificia vsus fuerat, nihil sibi prosperè, omnia sinistrè cessisse. De Carolo septimo Galliæ Rege, prodidit Meyerus l. 16. annal. Flandr. cum Rex bello Normannico è quo regni pax & tranquillitas pendebat, valdè vrgeretur, essetque funditus exhaustum ærarium, suggestum illi fuisse ab Ecclesiastico homine, vt decimatione Ecclesiarum in eum finem instituta, consuleret rebus suis. Neque enim vnquam desunt palpones, etiam ex ipsis Ecclesiasticis, qui Ecclesiam Regibus hac in parte prodant, vt Blesensis epistola 112. expostulat. [Scio (aiebat Blesensis agens cú Episcopo Aurelianensi, & idem potest de Episcoporum plerisque dici) quod si Rex tuus, angariis, parangariis, exactionibus, capitationibus, cæterisque sordidis & extraordinariis muneribus Ecclesiam decreuerit prægrauare, quàm plures Episcopos huius rei [fautores inueniet. Ipsi enim euangelicæ libertatis obliti, quæ non solùm filios Dei, sed amicos facit, in ignominiam seruitutis perpetuæ, sibi permittent aurem subula perforari. Sic olim Rege Antiocho, iura templi, & sacerdotij peruertente, multi de Israël egressi sunt, qui solius adulationis aut vani timoris intuitu, in consensum illius tyrannidis transierunt.] Negauit tamen præcisè Carolus Rex, ei se consilio obtemperaturum, quod pessimè vertisset Principum nonnullis, ea decimationum indictio, illegitima.

3. Non omnibus Principibus qui ad facultates Ecclesiæ decimandas & minuendas inhiarunt, os fuit adeò ferreum, vt vellent absque specie assensus Rectorum Ecclesiæ, decimationem instituere. Sed non rarò sub specie assensus, mera violentia exercetur; eo quod assensus, non sit liber, sed extortus minis aut metu grauium malorum expressus. Quam violentiam & rapacitatem laicam, certum est sæpè foueri per ignauiam Antistitum, quorum esset stare pro domo Dei; nec adeò molles se exhibere in ea causa. Patuit id manifestè, in eo exemplo quod legimus apud Gregorium Turonensem l. 4. histor. Franco. c. 2. his

verbis. [Chlotarius Rex indixerat, vt omnes Ecclesiæ regni sui, tertiam partem fructuum fisco dissoluerent. Quod licet inuiti, cùm omnes Episcopi consensissent atque subscripsissent; viriliter hoc Beatus. Iniuriosus respuens, subscribere dedignatus est, dicens: Si volueris res Dei tollere, Dominus regnum tuum velociter auferet: quia iniquum est, vt pauperes quos tuo debes alere horreo, ab eorum stipe tua horrea repleantur. Et iratus contra Regem, nec valedicens, abscessit. Tunc commotus Rex, timens etiam virtutem Sancti Martini, misit post eum cum muneribus, veniam precans, & hoc quod fecerat damnans; simúlque rogans, vt pro se virtutem Beati Martini Antistitis exoraret.] En quanti sit generositas intrepidi in sancta causa, Sacerdotis, tametsi vnici. Et idcirco Petrus Blesensis Epistola 121. vrgebat Decanum Rothomagensem, ne per suam incuriam & animi vilitatem, sineret Ecclesiam humiliari, & à dignitate sua excidere, subeundo decimationes quibus tunc exsugebatur, specie assensus Antistitum non audentium aduersùs Regum voluntatem mutire. Et fortiùs quoque in eandem sententiam disputat Epistola 20. scribens quæ suggerenda erant Episcopo Carnotensi, vt se opponeret decimationibus tunc indictis. Nec non Epistola 112. ad Episcopum Aurelianensem, causa decimationum.

4. Quod si assensus potestatis Ecclesiasticæ liber sit; adhuc tamen necesse est, iustam causam suppetere; cuiusmodi præsertim visa iam olim est causa belli sacri, ex qua inductæ primùm sunt decimationes illæ, quæ à fine depellendi Saladini, dictæ reguntur *Saladinæ*, vt memorat Rigordus in vita Philippi Augusti Regis Fracorum, qui de assensu Episcoporum, illas indixit anno 1188. nullo postea euentu, nisi spoliationis Ecclesiarum, de qua querebatur his verbis Petrus Bles. Epistola 121. Sufficiat pro exemplo, biennalis illa dilatio nouissimæ peregrinationis, quæ toti Christianitati versa est in singultum: Illud etiam, quod viam suam ab exactionibus inceperunt, & viaticum sibi de rapinis pauperum & Ecclesiarum spoliis confecerunt. Fuit propterea hæc via illorum scandalum ipsis. Verbum quidem Salomonis est, *Initium bonæ viæ facere iusta.* Inter iustorum autem & impiorum vias, sententia diuina distinguit. *Quoniam nouit Dominus viam iustorum, & iter impiorum peribit.*] Idem tract. de peregrinat. Hierosol. semel & iterum conclamat in rapacitatem, qua sacri prouentus, specie subsidij terræ sanctæ, in turpem quæstum Collectorum cedebant. In Anglia quoque; sunt indictæ eodem tempore decimæ, vt his verbis refert Rogerus in annalibus. [Statutum est vt vnusquisque decimam redituum & mobilium suorum in eleemosinam daret ad subuentionem terræ Hierosolimitanæ, exceptis armis, & equis, & vestibus militum, & exceptis equis, & libris, & vestibus, & vestimentis, & omnimoda capella Clericorum, & lapidibus pretiosis tam Clericorum, quàm laicorum; facta priùs excommunicatione ab Archiepiscopis, Episcopis, Archipresbyteris singulis, in singulis, parœciis super vnumquemque, qui decimam prætaxatam, legitimè non dederit, sub præsentia & conscientia illorum qui debent interesse.] Innocentius Tertius eodem tempore, multas & Ecclesiasticis, & laicis decimationes in eundem finem indixit, variis scriptis quæ Gretserus collegit, Tomo 3. de Cruce l. 2. cap. 5.

Qua

Quæ præterea ad honestatem decimationum, attendenda.

5. QVantumuis autem iusta videatur decimandi causa, tamen cauendum est Ecclesiarum tanta grauatione, vt potiùs sit oppressio, & spoliatio. Nam bona Ecclesiastica, per se primò ac principaliùs, instituta sunt in sustentationem ministrorum sacrorum. Vnde si Ecclesiæ tantoperè per decimationes exsugantur; vt ministris sacris sit tribulatio, iuxta phrasim Apostoli; non erit quod laici quantumuis potentes, qui Ecclesiarum decimationem poposcerunt, sibi blandiantur de pietate causæ ob quam spoliam Ecclesiam. Insignis est in hanc rem disputatio Petri Blesensis epistola 112. agens de Indictione decimationum in bellum contra Sarracenos, per Regem Francorum facta, sic scribit. [Bellorum lex, publica est, vt munificentia principalis suis commilitonibus de castrensi obuentione stipendia largiatur. Quæ ratio est, vt qui pro Ecclesia pugnant, Ecclesiam spolient, quam inimicorum spoliis, & donis triumphalibus ampliare debuerant? Putántne insipientes, & miseri quod Christus, qui summa iustitia est, velit sibi de iniuriis, & sacrilegio exhiberi sacrificium, aut sustineat, commissa ex his spolia prosperari? Si enim testimonio veritatis, in ignem æternum mittitur, qui sua pauperibus non dedit: vbi quæso mittendus est, qui bona pauperũ, vel Ecclesiæ, rapuit, aut fraudauit? Pro his & consimilibus, filij Ephrem intendentes, & mittentes arcum, conuersi sunt in die belli. Nunquam pauperũ, nunquam Ecclesiæ spolia prosperum habuerunt euentus auspicium. Ideò in vltima peregrinatione, effusa est contemptio super principes, & errare fecit eos Dominus in inuio, & non in via. Fuerunt contritio & infelicitas in viis eorum, quia viam pacis non cognouerunt. Patrimonium Christi, & Ecclesiæ suæ, hodie vertitur in occasionem scandali, & materiam seruitutis.]

6. [Nec illud etiam in ritè indictis decimationibus debet esse timoris vacuum, quod ab eodem Blesensi Epistola 20. meritò notatum est, vt experimenta posteriora docuerunt. [Sane (inquit) sicut audiuimus, exiit edictum à Philippo Rege, vt describeretur Gallicus orbis, & oneretur Ecclesia decimationibus recidiuis: Sic paulatim transibit decimatio in consuetudinem, & præsumpta semel abusio, ignominiosam Ecclesiæ seruitutem infliget.] Est inquã] semper verendum, ne semel indicta decimatio transeat in consuetudinem; & quantumuis cessante causa idonea, trahatur in vsum; semper tenere liceat, quod ex necessitate est vsurpatum: cum tamen in huiusmodi rebus, metrum sit extremæ necessitatis releuatio, extra quam grauamina Ecclesiarum producere, sacrilegium teterrimum est; non modò restitutioni obnoxium, sed etiam & in hac, & in altera vita, immanibus suppliciis diuinitùs multandum. Et valdè timendum est, sic emungentibus & exugentibus Ecclesiam, ne pecunia sic accepta, non tantum iuuet terrena negotia, quantum postea perturbabit; vt in simili dixit S. Anselmus, scribens ad Henricum Regem Anglorum l.3. epistola 109. & factis comprobatum id esse liquet ex Ioanne Sarisberiensi epistola 159. Philippi Franci clades varias, in hanc causam refert ex Villano, illius æui scriptore, Henricus Spondanus anno 1346. num. 13. Librum Thomæ Mori de non addicenda fisco parte census Ecclesiastici, damna huiusmodi decimationum expendentem, memorat Stapletonus in scriptoris illius gloriosissimi vita c. 2.

CAPVT TERTIVM.

De grauatione Ecclesiæ, & facultatum eius immutatione, per tributi indictionem.

1. REfrico quod initio superioris capitis monui, agere me de hoc negotio, stando in iure communi, nec attendendo quod fieri aliter potest ex priuilegio, aut legitima præscriptione. Quo cõstituto, quatenus tributa sacrilegio fœdari possint consideratum venio. Et est quidem tonsura sacri census, de qua proximè, genus tributi, si non modum loquendi, sed rem ipsam attendamus. Nihilominus seorsim propono considerandam imminutionem bonorum Ecclesiæ per tributi indictionem; quia tributum (iuxta communem vsum) solet sonare ordinariam pensitationem; decimatio verò ex sua peculiari ratione, ad euentus duntaxat infrequentes & extraordinarios pertinet, aut pertinere debet. Et quanquam tributum, siue vt ex Gellio l. 13. c. 19 habetur, *tributus*, non nisi materialiter contradistinguitur vectigali presse sumpto, quod penditur ob importationem, vel exportationem, aut transitum, vel venditionem, aut similem contractum, vel actum; tamen nos hîc vt sistamus in imminutione bonorum Ecclesiæ, nec excurramus ad bona Ecclesiasticorum quæ verè sola sunt vectigalium materia, possúntque aliquid peculiare habere, ad hoc institutum non pertinens, *tributi* nomine complectemur eam tantum publicam pensitationem; quæ pro bonis Ecclesiæ indicitur, vnde nec immorabimur circa tributa personalia, quæ Iurisperiti *capitationes* appellant l. vltima ff. *de muner & honor.* nec circa tributa mixta, quæ partim rebus, partim personis adhærent; sed spectabimus sola realia tributa, quæ pro bonis immobilibus quotannis persoluuntur; & l. 1. C. de indictionibus, dicuntur *canones*, quia certa lege & regula præscribi debent. Aliàs dicuntur *vectigalia*, vnde & agri dicti *vectigales* l. 1. & 2. ff. *si ager vectigalis petatur*; passim tamen dicuntur *tributa*.

Omnia Ecclesiæ bona, tributis libera, contra friuolam distinctionem.

2. AGendo ergo de solis tributis realibus Ecclesiarum, sunt qui adhibent distinctionem duplicis generis bonorum immobilium Ecclesiæ, vel terrarum. Quædam enim in Ecclesiæ dotem traduntur, quædam verò sunt tantùm dotis accrementa: nec tam sunt Ecclesiasticæ necessitatis subsidia, quàm splendoris adminicula. Hæc posteriora bona, si ab initio erant obnoxia tributo, dicunt venire ad Ecclesiam cum illo grauamine: Priora autem, aiunt debere esse omnino libera; quam esse antiquam praxim notant ex l. 4. Capitular. c. 37. vbi sic dicitur. [Quicunque terram tributariam, vnde tributum ad partem nostram exire solebat, vel ad Ecclesiam, vel cuilibet alteri tradiderit, is qui eam susceperit; tributum quod inde soluebatur, omni modo ad partem

partem nostram persoluat nisi fortè talem firmitatem de parte Dominica habeat,per quam ipsum tributum sibi perdonatum possit ostendere.] Ita Nicolaus Magister. l. 3. de bonis Ecclesiæ c. 3.

3. Sed non videtur commoda distinctio. Nam omnia quibus probari potest,terras quæ Ecclesiæ sunt traditæ in dotem, debere esse immunes à tributis, idem planè monstrant de terris doti accrescentibus,vt mox patebit. Locus verò ex Capitularibus adductus, accipi facilè potest de tributis, veriùs pensionibus, quæ debentur ex vi emphyteuseos aut feudi mixti:quod ius transit cum re, vt rectè ex Panormitano ad c.vlt.de vita & honest. Cleric. num.12.& aliis Comitolus, l.1.q.94.num.3.Id quippè onus,non fert subiectionem personæ à qua penditur, sed tantùm iustitiæ obligationem,& antiquam rei constitutionem sub dominio talis hominis,prout particularis & priuati Domini; non autem prout capitis communitatis,eum censum exigentis ex vi iurisdictionis publicæ Itaque tale onus transit cum bonis,etiamsi bona sic vinculata, fiant Ecclesiæ. Præcisè autem spectando bona immobilia, prout ex vi publicæ iurisdictionis grauantur certo censu siue tributo, sic omnia bona Ecclesiarum, siue ad dotem, siue ad dotis accrementum pertineant, sunt & esse debent tributo libera.

4. Probatur ex Diuo Thoma 2.2.q.99.artic. 4. & q. 185. art.7. iuxta quem res illæ aliquo modo sacræ sunt; non quidem eo modo quo vasa aut vestes dicuntur sacræ,quia sunt proxima diuini cultus instrumenta, idcóque ab humano commercio, & plerunque etiam à laicorum contactu seiunguntur: sed quia ad Dei cultum, (tametsi non ita proximè), & ad expensas sacrorum functionum continuationi necessarias, sunt addictæ. Itaque in vsus duntaxat pios & sacros sunt expendendæ, vt habetur ex multis iuribus 12. q. 2. & pulchrè in Concilio Romano sub Symmacho, quod allegatur ab Innocentio cap. *Ecclesia*, habeturque cap. *benè quidem* dist. 96. Vbi ex eo quod huiusmodi bona sint Dei peculium,subducuntur cuicunque ciuili iurisdictioni. Quare bona Ecclesiæ,debent gaudere immunitate ex sua conditione. Hæc ratio cur bona Ecclesiæ debeant esse à tributis immunia,ducitur ex conditione talium bonorum.

5. Iungenda item est ratio ducta ex immunitate personarum Ecclesiasticarum, quibus concredita est bonorum Ecclesiæ admistratio. Nam quamuis hæ immunitates sint distinctæ,vt patet ex earum terminis,tamen immunitas bonorum Ecclesiæ coëxigit necessariò immunitatem personarum:quatenus si immunitas bonorum violetur per efficacem & (vt sic dicam) legislatiuam indictionem tributorum, non absque vi coactiua,si res ferat; necesse est personas bonorum illorum curatrices, adigi ad pensitationem summæ indictæ. Ea verò adactio non potest adhiberi, quin exerceatur Iurisdictio dominatiua in personam,ad pendendum quod indicitur. Cum ergo persona sacra sit immunis à Iurisdictione laica; vt ea immunitas seruetur,necesse est,bona quoque ei concredita esse immunia à tributo. Immunitatem porrò personarum sacrarum à Iurisdictione laica,non modò quoad Ecclesiasticas & spirituales causas,quæ exemptio de fide est,vt rectè Mol.tract 2. de Iust.d.31.conclus.2.& Suares 4. defens. c. 2. num. 2. sed etiam quoad quascunque temporales causas (demptis quoad causas ciuiles nonnullis euentibus,de quibus Nauarr. *c. nouit* de iudiciis,notab. 6. & Suares l. illo 4. c. 14 à num. 11.) Ea inquam immunitas sacrorum ho-

minum, tam multis Sanctorum testimoniis apud Coccium t. 2. lib. 8. art. 8. & tam multis iuribus per Pontifices & Oecumenica Concilia firmante Tridentino sess. 25. de reform. c. 20. latis, rata est, vt nemo Catholicus de ea ritè exposita possit ambigere, vt rectè pronunciauit Suares supra c. 3. n. 24. alioqui Ecclesia erraret in vniuersalibus morum præceptis. Perpulchrè hanc immunitatem sacrorum hominum, agnouit Basilius Imperator in Oratione habita in Octaua Synodo; idémque multis illustrat Ribad. l. 1. de Princ. à cap. 19. & cap. 35. Exempla quoque diuinæ vltionis in huius immunitatis violatores, addensat Brendebachius l. 5. sacrarum collectionum. Plenissimè hanc Ecclesiasticarum personarum immunitatem versant Aluares Pelagius l. 1. de planctu Eccles. c. 44. Couarr. in practic. qq. c. 31. Bellarm. l. de Cleric. c. 28. Suar. 4. defens. Azor. t. 1. l. 5. c. 12. Salas 1. 2. tract. 14. disp. 14. Mol. tract. 2 de Iust. disp. 31. Comitolus. 1. resp. q. 92. & innumeri quos hi proferunt. Et quamuis non consentiunt, an hæc exemptio sit iuris diuini an humani, quibusdam affirmantibus, aliis negantibus: tamen omnes consentiunt in assertione exemptionis sacrorum hominum; docéntque nisi ex priuilegio à Capite Ecclesiæ concesso, nemini laicorum fas esse, iurisdictioni suæ subiicere tales personas.

6. Hoc autem fundamento iacto, manifestè sequitur, bona quoque Ecclesiarum debere agnosci tributo libera. Nam tributum (vt dicebam), non potest efficaciter & vt sic loquar; legislatiuè imponi absque vi coactiua & adactiua, in eos qui summam impositam pendere detrectauerint. Atqui potestas laica, caret vi coactiua in personas Ecclesiasticas bonis Ecclesiarum potientes. Igitur bona Ecclesiastica non possunt grauari tributo per laicos. Idque est ratum apud omnes Doctores. Tametsi est aliquod inter eos dissidium, quoad originem immunitatis bonorum, nexæ cum immunitate personarum. Nam hanc Ecclesiasticorum bonorum immunitatem iure diuino statutam esse, ait Leo Decimus in Concilio Lateran. in Bulla de reformat. Curiæ §. *& cum fructuum*. Et idem non obscurè habet Bonifac. 8. cap. *quanquam* de censibus, in 6. & expressè Concilium Salisburgense sub Pilgrino Archiepiscopo, anno 1386. celebratum, tit. de immunitate Clericorum, & rerum eorum. Idem latè confirmant. Card. Albanus tract. de immunit Ecclesiarum, Gutierres l. 1. pract. qq. q. 3. à n. 15. Suares 4. defens. cap. 20. à n. 12. Comitolus l. 1. respons. q. 93. n. 4. qui de hoc ne dubitari quidem vel leuiter sinit à peritis, totúmque dissidium Doctorum in hoc puncto, putat esse de bonis Ecclesiasticorum, non de bonis Ecclesiæ. Alij autem censent, immunitatem hanc bonorum Ecclesiæ, manasse tantùm à iure humano agnoscente congruitatem talis immunitatis, & attēto fine in quem hæc bona sunt expēdenda, statuentis ea esse immunia à tributo. Ita censet Diuus Thomas Rom. 13. ad illud, *ideo enim tributa præstatis*, & Mol. tract. 2. de Iust. disp. 31. conclus. 5. Quæcunque tamen fuerit prima origo immunitatis bonorum de quibus agimus, satis nobis est, quod de omnium Doctorum sententia, immunitas ipsa verè debeatur; vt ferunt iura proposita confirmatúrque ex variis decretis Synodorum, aut veterum Antistitum, quibus cauetur, ne mansus Ecclesiæ, (ita vocabant agrum certi modi ac mensuræ, vt sit *mansus* quasi *mensus*, vt interpretatur Hotomanus Commentar. de verb. feudal.) obnoxius esset vlli seruitio. Ita Concilium Meldense cap. 63. & Vvormat can. 15. Heraldus

15. Heraldus Turonensis capitulo 40. & Præfatio ad Canones Isaaci Lingonensis. Idem sancitur in Capitularibus lib. 5. cap. 45. Sacra & profana in hanc rem decreta addensat Petrus Gregorius lib. 3. de republ. cap. 7.

Soli impij, bona Ecclesiæ tributis grauarunt. Non item Ethnici, sua sacra prædia.

7. IDem fuit sensus piorum Regum ac Principum qui nunquam censuerunt fraudi sibi fore, si prædia, & quæcunque immobilia Ecclesiæ bona, pensitatione tributorum: tanquam communium publicæ administrationis stipendiorum, quibus ante erant obnoxia, liberarentur per subtractionem materiæ, à particulari talium immobilium domino factam: miratúsque est S. Gregorius l. 7. epist. 114. indict. 2. tanquam rem nouam sub Theodorico Theodoberto Francorum Regibus inductam prædiorum Ecclesiæ grauationem. [Audiuimus (inquit), quia Ecclesiarum prædia, tributa nunc præbeant, & magna super hoc admiratione suspendimur: si ab eis illicita quærantur accipi, quibus etiam licita relaxantur.] Vsus ergo antiquus, libera esse Ecclesiæ prædia ferebat, non repugnantibus Principibus Christianis. Soli Hæretici, vel planè impij Principes, Ecclesiam hac ex parte infestarunt, duce Iuliano Apostata, qui primus grauissimis exactionibus onerauit Ecclesiam, abrogata omni immunitate, qua sub Constantino eiusque filiis posita erat, vt Sozomenus l. 5. Socrates l. 3. cap. 13. ac Nicephorus l. 10. cap. 4. & 5. tradiderunt: additque Socrates ibid. cap. 11. tributum ab eo fuisse impositum, ab iis pendendum, qui obfirmatè perstarent esse Christiani. Quod imitati postea sunt, qui ætate nostra ad contendendam Catholicismi professionem, imposuere tributum. Apostatam assectatus est strenuè Valens Arrianus, qui diro tributo, maximè Monachos exagitauit. Item Iustina Arriana, Valentiniani secundi, tributis Ecclesiam grauauit, vt S. Ambrosius in allocutione ad populum post epistolam 32. est author. Aliquot post seculis, anno scilicet 717 Leo Iconomachus, tributo annuo oppressit Ecclesias, constituens nominatim, vt omnia Ecclesiarum vrbis Romanæ patrimonia, ac nominatim Basilicarum Principum Apostolorum, talenta tria cum dimidio, fisco appenderent. Nec mitior fuit Nicephorus primus, qui sub annum. 800. in Oriente imperium tenuit. Tributum enim vniuersis Ecclesiarum immobilibus bonis imposuit: quod quia per fumaria pendebatur, *fumarij* nomen retulit. Hæc ab impiis aut hæreticis Principibus aduersùs Ecclesias admissa, auersati semper sunt pij Principes, magno suo bono. Fœnerat enim Deo, qui res diuino cultui addictas, pro numinis reuerentia habet in pretio, & liberas, ac debet, relinquit.

8. Quid verò mirum, Principes Christianos, tributis exemptas voluisse res Ecclesiæ, cum Pharao Genes. 47. vniuersam regionem Ægypti per Iosephum subiiciens nouo tributo, exemptam fuerit terram Sacerdotum. Quod diuino nutu à Iosepho factum crediderim, non ad compensandam castimoniam & alias Sacerdotum Ægypti virtutes, de quibus fusè ex Cheræmone Stoico S. Hieron. l. 1. in Iouician. (vt philosophatur Comitolus q. illa 93. n. 7.) fucata enim illa castimonia fuit fucatæ omnes virtutes, & multipliciter vitiatæ: sed existimo, diuino

nutu Iosephum, receptæ apud Ægyptios immunitati bonorum Sacerdotalium fauisse; vt exemplum statueretur Principibus veræ Religionis professoribus, libera relinquendi Ecclesiæ bona Sanè Abulensis in c. 47. Genes. contentione facta Pharaonis, Sacerdotes dæmoniorum tam honorificè habentis, & Principum Christianorum sui temporis, quorum aliqui in grauatione Ecclesiarum pro Regibus simul (vt ait) ac Pontificibus se gerebant; exemplum hoc Pharaonis ostentat. Et æquè poterat addere exemplum Artaxerxis item Ethnici Principis, qui 1. Esdræ 7. tributorum suorum exæquatoribus, omnem potestatem abstulit, tributa imponendi sacris hominibus; tametsi vniuersa regio sub eius iugo captiua gemeret.

9. Videntur porrò hæc Ethnicorum exempla, plus astruere quàm susceperim probandum. Ex eis enim videtur haberi, etiam bona Ecclesiasticorum, immunia esse à tributis debere, prout seruatum fuisse videtur sub Pharaone, & Artaxerxe Et ita ex his exemplis colligunt Comitolus *supra*, & Iosephus Valentinus l. *de* potestate coactiua summi Pontif. c. 11. num. 11. qui num. 9. in hanc rem allegarat illa Cypriani l. de opere & eleemos. [Patrimonium Deo creditum, nec Respublica eripit, nec fiscus inuadit, nec calumnia aliqua forensis euertit. In tuto hæreditas ponitur, quæ Deo custode seruatur.] Sed hoc extra rem allegatur: quia ibi Cyprianus non agit de patrimonio vel bonis Ecclesiasticorum, ad quod adducitnr ab hoc Autore; sed agit de bonis erogatis in pauperes, quæ nulli deinceps patent damno. Aptiùs id fundant, qui pro ea bonorum Ecclesiasticorum immunitate, vltra immunitatem bonorum Ecclesiæ, pugnant, Mol. Tract. 2. d. 670. Lessius l. 2. de virtut. c. 33. n. 19. & Suar. l. 4. defens. fid. Cathol. c. 24. à n. 4. Verùm iam seposui eam disputationem de immunitate bonorum, non Ecclesiæ ipsius, sed Ecclesiasticorum: cui si fauent exempla Ethnicorum *prædictorum*, videri possit non esse suffragatus vsus apud antiquos Christianos. De his quippè bonis accipio, quod Isidorus Pelus. l. 1. episto. 48. Epagatho Presbytero temporibus Arcadij, & Theodosij iunioris, Catholicissimorum Principum scripsit. [Descriptus est Dominus cùm vtero gestaretur, & censum Cæsari pependit: Hinc videlicet velut lata lege nobis indicens, vt ei qui imperium tenet, obediamus; modò nihil ad pietatem detrimenti afferat. Quæ igitur ipse Deus noster subita per dispensationem, & consilium paupertate docuit; candido animo imitemur; nec pauperum obtentu; tributum pendere detrectemus.] Vt vt sit, & siue exempla Ethnicorum quæ adducebantur, astruant quoque immunitatem bonorum quæ sunt propria Ecclesiasticarum personarum, siue non astruant, nobis satis est, quod inde probabamus; nempe saltem bona Ecclesiarum debere esse immunia à tributis, tanquam deputata diuino cultui: id quod vt minimum voluerunt prædicti Ethnici, de bonis addictis superstitioni falsorum numinum.

Macula tributi bonis Ecclesiæ indicti, & ira Dei eam ob causam.

10. EX hac porrò sanctitate bonorum Ecclesiæ, ob addictionem in diuinum cultum, rectè Suares l. de Sacrilegio c. 2. n. 8. huiusmodi tributorum exactionem sordere speciali sacrilegio. Et ratio est, quia tametsi furari aliquid

ex fructibus Ecclesiarum, non sit sacrilegium; (nullum quippè ius, vetat furta de fructibus Ecclesiarum plusquàm de aliis;) tamen in tributi impositione, fit rei sacræ in diuinum cultum destinatæ dehonestatio, cum grauatur tributo ad vsum profanum; redundatque ea rei sacræ grauatio in personas ministrorum: quia tametsi supponimus non eis iniici violentas manus, tamen adhibetur exercitium potestatis dominatiuæ, & Iurisdictionis laicæ, à qua tributa indicuntur, in personam à qua ratione talium bonorum Ecclesiæ, exigitur tributum: quamuis ea persona, vi sui status subducatur tali potestati. Et quia violentia per iniectionem manuum in personam, est diuersæ rationis in genere moris, à violentia illa, redundante ab exactione, ratione prædij; siue ab adactione; addendum est, eam peculiarem malitiam sacrilegij, specialiter exponendam esse in confessione, vt Suares ibidem rectè statuit. num. 7. Sicut si Iudex, vt priuata persona percuteret Clericum, & vt Iudex, siue exercendo Iurisdictionem, absque iniectione manuum in eum sæuiret, duplicem committeret violentiam, duplici censuræ obnoxiam; & vtraque specialiter in Confessione exponenda esset. Exactio ergo tributi à personis sacris, ratione prædiorum Ecclesiæ tributo grauatorum, sordet speciali malitia sacrilegij, sita in adactione ad solutionem tributi, ratione prædiorum. Neque tamen concedendum est, quod furari eandem summam de fructibus bonorum Ecclesiæ, esset sacrilegium. Esset enim reuera simplex furtum, quia absque vsurpatione Iurisdictionis, ex qua tributa exiguntur, admitteretur.

11. Quàm Deus auersetur hoc sacrilegium, constare potest ex acerbissima vltione, quam sumpsit de omnibus illis, quos olim impegisse in hac parte, diximus. Neminem quippè latet, quantas pœnas dederit Iulianus Apostata, de cœlo denique confixus: quantas Valens, tandem crematus; quantas Leo Iconomachus, atque Nicephorus primus. Quarum pœnarum partialis fons, fuit hæc vexatio Ecclesiarum per impositionem tributi; quæ sicut Ecclesiis grauis & indecora, ita exosa est Deo Ecclesiam amanti, ferentique grauiter, res obsequio suo addictas, aliò auerti. Vastationem sanè vniuersi Romani Imperij, Saluianus 4. de Prouid. ad hoc inter alia scelus retulit, quod personæ sacræ, vastatæ essent per tributa. Caroli Burgundi cladem, in has exactiones à Clero refert Adrianus Barlandus in Chronico Brabantiæ, *pag. mihi* 50.

Quatenus ea indictio, posset esse absque labe.

12. Vnica occurrit ratio; ob quam grauatio ista Ecclesiæ, & bonorum eius imminutio, posset esse innoxia: si videlicet fiat de licentia & consensu libero capitis Ecclesiæ, ex causa idonea. Neque enim hæc immunitas bonorum Ecclesiæ, stabiliùs ac penitiùs fundata est, quàm immunitas personarum Ecclesiasticarum, propter quas sunt bona Ecclesiæ, & non viceuersa. Videmus autem de licentia capitis Ecclesiæ, suppetente iusta causa, concedi interdum laicis, vt in sacros homines Iurisdictionem exerceant; id quod agnoscunt illi quoque, iuxta quos exemptio sacrorum hominum est iuris diuini. Non est enim iuris diuini positiuè, sed negatiuè. Hoc est, non repugnat, potestatem laicam accessu extraordinariæ dispensationis, delegari ad exercen-

dam Iurisdictionem in sacros homines, in quos vi laicæ Iurisdictionis, quantumcunque eminentis, nullum ius haberet, si deesset delegatio prædicta. Siquidem iuxta eam sententiam, exemptio personarum quoad modum in vsu eius seruandum, collata est vniuersè ac generatim; sed cum subordinatione ad caput Ecclesiæ, in cuius manu esset, determinare intra quos limites personarum & negotiorum, contineri deberet. Vnde determinatum videmus, vt Clericus actor, sequatur forum rei laici, in causa ciuili, & vt Clerici, quoad vim directiuam, seu potestatem præcipiendi sub obligatione peccati, subsint legibus ciuilibus ad communem & conuenientem statum ciuium pertinentibus, iuxta Molinam tract. 2. d. 31. concl. 6. & Suarem l. 3. de leg. cap. 34. & l. 4. defens. c. 16. ac Salam tract. 14. d. 24. num. 94. v. g. legi de taxatione legitimi pretij rerum, vt latè prosequitur Rebellus 2. p. l. 9. q. 2. sect. 2. Sicut igitur hac ratione, de licentia capitis Ecclesiæ, laici saltem admissis Clericis iudicant de Clericis, idque sine noxa, si liberè data sit facultas, & idonea dandi causa interuenerit: Ita multò magis dicendum est, posse circa Ecclesiæ bona contingere, vt immunitate careant quoad tributa, si ad id capitis vniuersalis Ecclesiæ consensus liber, nec precibus armatis extortus accesserit, ex idonea causa: Sine qua, consensus capitis; vt vniuersè de dispensationibus Pontificiis dixit Aluarus Pelagius l. 2. de planctu Ecclesiæ art. 8. ad nihil aliud deseruire potest, quàm ad curialiter descendendum in infernum. Non purgauit sanè Nicephorum Phocam, qui tributariam fecit Orientalem Ecclesiam, assensus Synodi in eum finem collectæ Constantinopoli, subscribentibus Episcopis palponibus, Nicephori cupiditati velificantibus, vt ex Luitprandi Episcopi Cremonensis relatione, & querela Episcopi Leucatensis, prodit Baronius anno 964. Nihilominus enim Nicephori memoria, eam nominatim ob causam, in maledictione est, apud omnes Græcos Historicos, Curopalatem, Cedrenum, Zonaram, Glycam, & alios. Posterioribus Græcis exitialem fuisse huiusmodi in censum sacrum grassationem, optimè demonstrat Remundus Ruffus in Opere pro Romano Pontifice contra Molinæum num. 38. expendens quanti intersit publicæ rei, extra necessitatem planè extremam, non minuere. Dei peculium.

LIBER

LIBER SECVNDVS.

Mala bonorum Ecclesiasticorum, malè per beneficiarios, aut captatorum, aut dispensatorum.

1. NON tricabor circa *beneficij* nomen, nec scopulosè & anxiè insistam legitimæ, & ad seueritatem scholasticam exactæ notioni *beneficij*; quæ iuxta receptum in sacris canonibus vsum cadit, in titulum quemcunque seu ius Ecclesiasticum, id est, approbatione Ecclesiæ ratum, ordinatum ad præstanda spiritualia munera, cum iure colligendi eo titulo certum censum de bonis Ecclesiasticis. Quanquam enim è duobus illis iuribus, primum, seu ius & obligatio ministrandi spiritualia, propriè dicatur *officium*; posterius autem siue *prabenda* dicatur *beneficium*, quod propter officium conferri traditur cap. vlt. de rescript. in 6. tamen vsus inualuit, vt agendo de vtroque iure, tanquam de vno morali composito è duobus subordinatis integrato, vox *beneficij* adhibeatur. Hanc inquam accuratã beneficij Ecclesiastici notionem, hîc non seruabo: quia iuxta eam, tacendum esset de malis bonorum Ecclesiasticorum è beneficiis manualibus ac præstimoniis. Nam quæ dicuntur *manualia beneficia*, non esse verè ac propriè beneficia, quia auferri possunt ad nutum conferentis, ideóque destituuntur perpetuitate; affirmat Sanches cum multis l. 7. in Decalo. cap. 29. num. 106. reclamantibus licet Azorio t. 2. l. 3. c. 26. q. 12. & Lessio l. de Iust. cap. 34. num. 3. Pensionibus item quibuslibet eo quod morte pensionarij extinguãtur, ideóque perpetuæ non sint, nomen beneficij abrogat Azor supra cap. 5. q. 2. & Garcias de benef. 1. p. cap. 2. num. 2. Fagund. in 1. præcep. Eccles. l. 2. cap. 4. num. 18. Denique defectu tituli spiritualis, benè multi apud Suarem l. de horis Canon. c. 22. num. 7. negant præstimoniis rationem beneficij: quamuis Suares eodem loco, & l. de Simonia cap. 25. num. 2. nitatur in contrarium, & functionem spiritualem in præstimonis quoque reperiri confirmet, saltem ratione officij Canonici, ad cuius persolutionem iniicitur obligatio, habenti præstimonium. Idem visum permultis, quos sequitur & refert Fagundes supra num. 17. Vt vt sit, nos vsurpata minùs strictè *beneficij* voce, bona his titulis obuenientia, annumerabimus bonis beneficia Ecclesiastica affectantibus; quod quæ dicuntur beneficia manualia & præstimonia, verè videantur beneficia, saltémque simili fundamento colligendi prouentum nitantur. De malis ergo bonorum, omnibus his titulis obuenientium, dicere consilium est.

SECTIO PRIMA

De teterrima bonorum Ecclesiasticorum à beneficiariis captatione per simoniacam beneficij adeptionem.

1. CVM variæ omnino sint viæ quibus ad bona Ecclesiastica per beneficia irrepitur cum scelere, nulla tamen est vel tetrior, vel perniciosior, vel multiplicior, quàm quæ ominoso & infausto *Simoniæ* nomine insignitur. Itaque ab ea initium faciam demonstrationis malorum bonorum Ecclesiasticorum à beneficiariis captatorum. Retineo autem vocem vulgatam *Simoniæ* quam Armacanus l. 10. de qq. Armeno in *Balaamian* & *Gieziam* transmutauit, quia vt infra dicam, Simon Magus, potiùs quàm Balaam & Giezi, huius impietatis primatum tulit.

CAPVT PRIMVM.

Radices Simoniæ in Beneficiis.

SIMONIÆ propriè acceptæ, de qua sola hîc agimus, virulentia & malignitas in eo sita est, quod spiritualis commutetur pro temporali, intelligendo *Spiritualis* rei nomine, rem supernaturalem, aliquo tandem modo & ambitu religiosarum materiarum vel actionum, ad Dei cultum & Religionem pertinentium comprehensam. Impropriè enim alia bona censentur Simoniæ materia, vt iustitia, cuius venditionem Blesen. epistola 95. & Pet. Dam. opusc. 35. cap. 4. insimulant Simoniæ, & quidem propriè dictæ, iuxta Busæum ad eam Blesensis Epistolam; sed malè; vt ex dicendis patebit. Similiter emptio (vt sic dicam) beneficiarij per alios, hoc est adductio vt velit esse beneficiarius, numerandò ei pecuniam, non est Simonia: quia materia quæ sic emitur, non est spiritualis, persona scilicet beneficiarij: quæ tamen si se adduci eò sinat indebitè, peccare aliter poterit; vt constat exemplo Natalitij Confessoris, pecunia corrupti vt esset Episcopus, inter hæreticos, à Deo idcirco puniti, ex Eusebio 5. histor. c. vltimo.

Malignitatem ergo ac perniciem peccatorum quæ in aditione beneficiorum Ecclesiasticorum, & captatione bonorum per ea obuenientium, admittuntur; meritò auspicabor à propriè dicta Simonia circa huiusmodi materias: hoc est à detestanda Simonis Magi negotiatione, qua donum Dei existimauit posse pecunia possideri; extensæ *pecuniæ* nomine ad quoduis pretium quod sit pecunia æstimabile. Vt autem radices modorum quibus in toto hoc negotio delinquitur

quitur aperiamus, attingenda breuiter sunt tria ad Simoniam interuenientia: Nempè pretium, & merx, siue beneficium, & pactio, siue contractus circa eam materiam ex tali pretio.

Quid sit pretium, seu munus; primum Simoniæ in beneficio principium.

2. PRetium ergo dicitur, quod neque gratis datur, neque in sustentationem operarij, neque pro labore extraordinario, aut obligatione temporaliter onerosa, vel damno per accidens comitante erogationem beneficij; sed verè datur pro beneficio, id est, in commutationem eius; sicut fit cum merces traduntur pro pecunia; Vnde gratuita traditio muneris excluditur; nec habetur ratio obligationis ex natura rei exurgentis ad præstandam sustentationem personæ in alterius bonum laborantis in spiritualibus; nec denique attenditur ad laborem spirituali labori extrinsecum & extraordinarium; vel ad damna per accidens emergentia, quæ omnia iustum titulum remunerationis, à pretio rei spiritualis longè diuersæ, & vitio vacantis, præberent. Sed interuenit eadem habitudo beneficium inter & rem quæ pro beneficio datur; siue sit formaliter pecunia, siue res pecunia æstimabilis;) ac illa quæ interuenit inter merces & pecuniam; quæ habitudo in eo sita est; quod temporale, directè & formaliter detur, siue commutetur pro spirituali. Quidquid igitur eiusmodi est, dicitur *pretium*. Passim in iure vocatur *munus*, vt liquet ex c. *Saluator*. 1.q.3. & ex c. *nonnulli* 1. q. 1. & aliis locis, quibus *munus* non significat gratuitum donum, sed onus & grauamen ex debito Iustitiæ commutatiuæ repensum. Qua etiam ratione sumitur nomen *muneris* in iure ciuili, vt constat ex titulo ff. *de muneribus & honoribus*. Omne igitur huiusmodi munus, habet rationem pretij, dummodò saltem sit commoditas temporalis, etiamsi non sit formaliter pecunia, (quæ est frequentissimum munus à manu); Sed etiamsi munus alterius materiæ, æquè tamen exhibitum manu; vel etiamsi sit munus à lingua, aut ab obsequio. Nihil quippè est homini ab homine immediatè communicabile, vel aptum cedere in vtilitatem aut commoditatem temporalem (quale necesse est esse quicquid in hoc negotio rationem pretij potest induere,) quod ad aliquod horum munerum non reuocetur, quicquid dicat Maior in 4. d. 25. q. 3. §. *contra dicta*: Et singula habent rationem pretij, ad Simoniam in beneficij captatione sufficientis, vt habetur ex Diuo Thoma 2.2.q.110.art.2.& 5. Victoria relect. de Simonia, Tolet. l. 5. Summæ cap. 84. & 90. ac Summistis passim V. *Simonia*. Quanquam si res spiritualis daretur pro temporali, (vt beneficium pro obtinenda quiete à lite non iniusta), æquè esset Simonia, quia res spiritualis fieret pretium rei temporalis.

Cuiusmodi merces, & contractus, ad eandem Simoniam exigantur.

3. CÆterum quod considerari volebam, est res spiritualis, quæ habet rationem mercis; respectu pretij de quo hactenus; vel è contrario habet rationem pretij, respectu rei temporalis, quod perinde est ad simoniam. Res ergo spiritualis in re beneficiaria, vel est spiritualis reipsa & in se, cuiu-

modi est ius fungendi munere spirituali, ad quod beneficium destinatur; & eius profanatio, est Simonia contre ius diuinum: vel est tantùm spiritualis ob æstimationem & determinationem Ecclesiæ: Non modò quia Ecclesia rem profanam potest sacram facere interuentu benedictionis, vt aquam & calicem; quod æquè cernitur in omnibus sacramentalibus, quorum tota spiritualitas est ex iure humano & institutione Ecclesiæ: (hæc enim spiritualitas, supposita Ecclesiæ institutione, pertinet ad primum membrum, redditque rem iure diuino & ex natura sua inuendibilem prout talem, vt proinde hallucinatus sit Carbo de restitut. q.60. sic exponens Simoniam iure Ecclesiastico inductam:) Sed etiam quia Ecclesia intuitu religionis, rem vnam ob connexionem cum aliquo spirituali, æstimari mandat spiritualem, & vetat eam tractari vt profanam. Ex hac enim prohibitione immediatè, non autem ex præuia vlla consecratione, oritur vt qui rem sic spiritualem vendit, admittat Simoniam contra ius humanum. Nam vt constat ex. 1.2. lex positiua iusta, præcipiens aliquid in materia alicuius virtutis intuitu honestatis in ea virtute micantis, cuius medium constituere & valuri taxare apta est, (sicut lex principis taxat pretia rerum, & statuit medium iustitiæ), vim habet perfundendi rem sic præceptam, honestate virtutis quam Legislator habet propositam, vt rectè statuunt Vasq. 1.2.d.98.num.3. Victoria tract. de Simon. p. 1. num. 17. ad. 1. Less. l. 2. de virtut. cap. 35. num. 28. Sayrus 2. Clauis c. 5. num. 11. Salas tract. 13. d. 3. num. 14. Suar. L de Simon. cap. 7. num. 9. Iuxta quos è contrario lex positiua, interdicens aliquo, intuitu alicuius virtutis, vim habet constituendi actum vetitum, in specie peccati oppositi eidem virtuti. Sicut violatio legis vetantis comedere carnes in quadragesima, non est peccatum inobedientiæ, nisi generaliter & materialiter seclusa intentione formali impetendi præceptum; sed formaliter & specificè, est peccatum intemperantiæ: quanquam hoc, quoad temperantiam & omnes virtutes extra religionem diffitetur Ægid. 3. p. disp. 7. de pœnit. num. 44. quod nunc non moramur, quia versamur in negotio religionis. Erit igitur in negotio beneficiario Simonia iuris humani, si res aliqua per æstimationem Ecclesiæ intuitu religionis interpositam, accenseatur iuri spirituali quod est in beneficio præcipuum; quamuis suapte natura non esset spiritualis. Tunc enim tractatio eius vt profanæ, contra prohibitionem Ecclesiæ intuitu religionis interpositam, atque adeò eius distractio pro pretio, est vera Simonia, tametsi tantùm iuris humani.

4. Nec aliter accidet (vt ad tertium initio propositum veniam), si quod habet rationem contractus pacti, non esset ex se contractus pro pretio, seu contractus venditionis; sed tamen ab Ecclesia vetetur intuitu religionis, & ad maiorem rei sacræ immunitatem à labe. Sic enim permutatio in beneficiis, quamuis non sit venditio, tamen ab Ecclesia vetatur; Multæ item aliæ actiones quibus rei sacræ vilipensio & irreuerentia adiungerentur; æquiparantur ab Ecclesia venditioni, suntque Simoniacæ iure positiuo. Quod aliter dici potest, rem quæ in eo euentu datur pro beneficio, quamuis ex sua natura non sit pretium, tamen pactionem de ea re pro beneficio donanda, sordere labe Simoniæ iuris humani: non modò cum de facto venitur ad executionem, sed etiam cum tantùm intenditur; quod aliis item Simoniæ obiectis commune est: quia licet

liceet Ecclesiæ lex, per se & directè non possit cadere in actum internum, tamen per prohibitionem actus externi, mutatur obiectum actus interni: qui proinde specialiter inde inquinatur, sicut volitio furti in Ecclesia admittendi, est sacrilega.

Posse dari veram Simoniam beneficiariam, solius iuris humani, ex dictis eruitur.

5. EX his ergo patet, dari posse aliquam veram Simoniam iuris humani, seu quia prohibitam, quod est contra Gersonem 2. p. tract de Simonia *ad septimam obiectionem* consideratione 1. & contra Campegium Opusc. an Papa possit esse Simoniacus, post Durandum in 4. d. 25. q. 5. n. 9. quem meritò in hac parte refellunt Palud. ibid. q. 4. art. 2. Soto 9. de Iust. q. 5. art. 2. Suar. l. de Simonia c. 7. à n. 2. & Gutierres l. 2. qq. Cano. c. 23. n. 11. Ita porrò intelligo hanc Simoniam iuris humani esse veram Simoniam vt non tantum pactio sit irreligiosa, & sacrilega propter legis Ecclesiasticæ prohibitionem, quod vnum admittunt Sotus l. 9. q. 5. art. 2. Nauar. c. 23. n. 100. Valentia 2. 2. d. 6. q. 16. p. 5. Aragonius 2. 2. q. 100. art. 1. assert. 2. & art. 6. dub. vlt. Binsfeld. in rub. de Simonia notab. 12. concl. 3. & 5. Laym. l. 4. tract. 11. c. 8. n. 68. Sed etiam (quod iidem negãt), sit verè & vniuocè ac propriè dicta Simonia. Ita enim apertè sequitur ex præiacto fundamento, quo vidimus potestatem legitimam intuitu alicuius motiui interdicentem actu quopiam, constituere illum in certa morali specie vitij, ad quam vi sui obiecti intrinseci non pertinuisset. Hoc præsupponere; necessarium fuit, quia in re beneficiaria, frequens est huiusmodi Simonia iuris humani, vt videbimus.

CAPVT SECVNDVM.

Breuiculus modorum, quibus lues Simoniaca adeptionem beneficij contaminat.

EX iactis fundamentis eruendum nobis sigillatim est, quandonam adeptio beneficij interuentu Simoniæ contaminetur; ducto initio à propriè dicto beneficio; tum progressu facto ad actiones ad illud ordinatas; itémque ad iura illud respicientia in se suísve annexis. Circa quæ omnia, tum pretium temporale datum pro spirituali, vel contra, considerandum erit: tum actio quæ circa ea exercetur. Nám vtriuque posse existere simoniam, circa certam materiam, proxime dictum est.

CLASSIS PRIMA

Modorum quibus lues Simoniaca in beneficiorum adeptione contrahitur, penes pretium.

1. IN PRIMIS ergo quoad pretium, simoniacum aperte est, dare aut accipere pecuniam, aut aliquid pecunia æstimabile, pro beneficio pressè dicto, seu tanquam pretium beneficij. Et idem contingeret, si viceuersa beneficium daretur pro aliquo temporali in eius pretium: quod faciunt, qui seruos non aliter compensant, quàm dando illis beneficium, & de hoc paciscuntur, vt infra monebo. Nunc sistamus in simonia frequentiore, quam posui in donatione pecuniæ, vel quasi pecuniæ, pro beneficio. Eam donationem, aio esse simoniacam. Ita statuitur cap. *si quis* & aliis. 1. q. 3. & cap. *si quis neque*, & aliis. 1. q. 1. Nec potest obtendi quod vendatur duntaxat ius colligendi temporales fructus. Nam hoc ipsum ius, est inuendibile; quia est ius spirituale, si fundetur in titulo Ecclesiastico. Quod addo, quia potest beneficiarius vendere prouentus sui beneficij, transferendo in aliquem, ius colligendi sibi fructus illos: quod ius quatenus isti emptori competens, non erit fundatum in Ecclesiastico munere, sed in contractu emptionis ac venditionis, quod est ius merè temporale. Ius ergo percipiendi temporales fructus quod dicimus esse inuendibile, illud est, quo fructus percipiuntur immediatè titulo beneficij; quod cum sit spirituale, non potest temporali pretio distrahi, non modò è priuatis, sed ne à Papa quidem, vt rectè statuunt Theologi infra adducendi: quamuis Papa (quod vnum fortè voluere Doctores Canonum, tradentes Papam posse vendere beneficium); possit ex causa idonea titulum spiritualem qui præerat amouere, & vendere temporalia priùs beneficio annexa: itémque possit partem fructuum beneficij seponere pro se aut pro tertio, eamque partem à titulo spirituali distractam vendere inter conferendum beneficium; collatione illa & venditione se se concomitantibus, vt infra fusiùs confirmabo cap. 9. Ad simoniam porrò non refert, siue pecunia detur ante collatum beneficium, siue postea, dummodò pactum præcesserit. [Putant (inquit S. Basilius epistola 76.) se nihil delinquere, quod non ante, sed post manuum impositionem pecuniam accipiunt. At pecuniam accipere, accipere est, quandocunque fiat. Hortor itaque, vt quæstum hunc, immò transitum ad gehennam, declinetis: nec manus tali lucro polluentes, indignos vos ipsos ad tractandum sancta mysteria constituatis.]

2. Secundò, Simoniacum item est, dare beneficium propter veram promissionem pecuniæ; neque enim vt simonia in venditione beneficij admittatur, necesse est pecuniam reipsa numerari, sed sufficit verè promitti, & de ea danda iniri verè pactum: quod propterea damnatur simoniæ, (vtique conuentionalis) cap. *nobis* & cap. *de hoc.* cap. *cum essent.* cap. *tua nos*, aliisque capitibus Tituli de Simonia passim. Si tamen promissio esset ficta, non esset simoniaca.

moniaca, vt rectè Toletus l. 5. c. 90. *in fine*, cum Soto & Caietano. Idem tradunt Bonac. quæst. 2. de Simo. n. 8. Layman l. 4. tract. 10. c. 8. n. 67. Valentia 2. 2. q. illa 16. p. 5. & Lessius cap. 35. de Iust. n. 11. contra Nauarrum in summa c. 23. n. 106. qui putat hanc esse simoniam conuentionalem, admittens tamen beneficium sic partum posse retineri.

3. Tertiò, æquè est simonia, si pecunia detur aut promittatur, siue pro seipso, siue pro tertio. Vt si Pater pecuniam det aut promittat danti beneficium filio, etiamsi paternæ mangoniæ prorsus ignaro. Nihilominus enim talis comparatio beneficij simoniaca est, & nulla. Idque intelligens S. Dominicus Loricatus, vt initio ferè vitæ eius tradit Pet. Damiani, cum à parentibus per simoniã inscius sacerdotio esset honestatus, abiecto sacerdotio & sæculo, factus est monachus, nec per totam vitam sic inito gradu vti voluit. Huiusmodi ergo comparatio beneficij est simoniaca vt perspicuè habetur c. *ex insinuatione* de simonia traditque Toletus l. 5. c. 90. n. 4. & Lessius l. de Iust. c. 35. n. 143. addens incurri inhabilitatem ad illud beneficium. Bona tamen fides Beneficiarij quo ignorante numerata fuerit pecunia, videtur cõgruè motura Pontificem ad restituendum ei tale beneficium, si discussa ignorãtia, & soluta bona fide, vltrò se abdicet. Et ita erga Episcopum Niuernensem se gessit S. Leo 9. in Concilio Rhemensi.

4. Quartò, similiter simoniaca est, numeratio aut promissio pecuniæ facta, non quidem danti beneficium, sed alteri ad eius petitionem. Id enim perinde est, ad pretium pro re spirituali constitutum.

5. Quintò, simoniaca etiam est, sola intentio pecuniæ ex beneficij per alterum comparatione captandæ, vel donandæ in ratione pretij. Quod addo, quia non quælibet intentio donandæ vel captandæ pecuniæ, per beneficium ab altero comparatum, simoniaca est. Videtur contrarium innuere Ioannes Sarisber. l. 7. polyc. c. 19. Sed quod dixi est perspicuum, quia pecunia adipiscenda, potest tantùm se habere vt finis, non autem vt pretium, quæ sunt habitudines diuersissimæ, vt liquet in eo qui ex charitate ad indigentis subleuationem vendit ei triticum, accipiens pecuniam loco tritici quod præbet. Vbi pecunia habet rationem veri pretij, non autem finis ad operandum inducentis. Ad hoc ergo vt captatio pecuniæ, ex beneficij per alium comparatione, sit simoniaca; exigitur vt is qui pecuniam captat, intendat eam accipere vt pretium beneficij. Similitérque vt donatio pecuniæ ab accipiente beneficium, sit simoniaca, necesse est, vt pecunia detur tanquam pretium beneficij; quod potest contingere, etiam nullo interposito pacto inter dantem & accipientem; eo ipso tantùm, quod vnus vel vterque eorum, intendit habere vel dare pecuniam, vt beneficij pretium, & aliquid ei æquiualens: quod videtur tradere Pet. Dam. Opusc. 31. c. 5. Et hæc dicitur simonia mentalis, habens pro obiecto, externam commutationem rei spiritualis, pro temporali pretio: perinde ac si ei æquiualeret. Fusè hanc simoniæ mentalis notionem confirmat & exponunt Vol. 22. d. 6. quæst. 16. p. 3. quæstiunc. 2. Suar. l. de Simon. c. 44. Soto l. 9. de Iustit. q. 2. artic. 2. Bonac. q. 2. de Simo. num. 9. qui n. 10. addit hanc simoniam habere quoque locum circa ea quæ solo iure humano sunt simoniaca, quod aliqui malè sunt inficiati.

6. Sextò, simoniacum est, non modò pro beneficio dare formalem pecu-

niam, sed etiam dare tanquam pretium beneficij aliquid pecunia æstimabile, aut vtilitatem vel commoditatem temporalem ex pacto præstandam, pro re spirituali. Itaque simoniacum est, dare beneficium ob remissionem debiti: quia remissio debiti est donatio, vt probat Nauar. de spoliis §. 15. num. 5. ex cap. *Veniens* de testibus. & l *si mulier* de condict. cau. Item simoniacum est, dare beneficium ob promissionem remittendi debitum; siue debitum sit proprium, siue alienum, v. g. Ecclesiæ, per furta & rapinas iniuriam passæ, quod se condonaturum spondeat qui beneficio donatur. Itémque siue iam debitum sit contractum, etiamsi ex spirituali officio; v. g. ex obito per annos aliquot munere Vicarij, cui exercitio iustè debeat Episcopus certam pecuniam pro stipendio; quam Episcopus supplere id est compensare velit, dando beneficium. Id enim esse planè simoniacum, rectè tradit Suares cap. 39. num. 5. Siue debitum quod beneficij traditione compensandum putatur, esset contrahendum, nisi interueniret promissio, qua is qui captat beneficium obstrinxit se, ad non postulandum quod alioqui debitum postea foret. Hæc enim omnia esse simoniaca, habetur ex cap. *Veniens*. 10. de testibus, ex cap. penult. de simonia. Similiter simoniaca ex hoc capite est, præsentatio ad beneficium per patronum, cum promissione non petendi redditus aut decimas. Ita Bonac. quæst. 1. de Simon. §. 1. n. 6. Item donatio beneficij, vt soror tua nubat fratri meo. Id enim esse simoniacum, rectè statuit Tol. l. 5. cap. 90. num. 1. Similiter simoniaca est electio in Parochum, cum promissione non exigendi decimas debitas. Nec non allectio in Canonicum, ob promissionem cedendi partem dimidiam vel aliquotam præbendæ Canonico obuenturæ. Itémque promissio dilationis in solutione debiti, & promissio anticipandi solutionem pecuniæ aliàs debitæ, certo tempore quod nondum aduenerit.

7. Præterea simoniacum est, dare mutuum pro accipiendo beneficio: vel è contrario, dare beneficium sub conditione accipiendæ mutuo pecuniæ: Sic enim beneficium non datur vel accipitur gratis, sed sub pacto oneroso, quod vtilitatem temporalem non modicam conferre potest; & plerunque inflectit eum in cuius commodum cedit. Vnde est æstimabile pecunia, quicquid dicat Suar. l. de Simo. cap. 29. num. 7. & 8. Et quamuis non esset æstimabile pecunia, sufficeret tamen ea vtilitas temporalis ex pacto retributa, vt notat Layman l. 4. tract. 10. cap. 8. num. 25. monstrans id sufficere ad rationem pretij constituentis simoniam. Inuolui verò in proposito euentu, vsuram simul & simoniam, monstrat Lessius l. de Iust. cap. 20. n. 64 & 65. Cæterum incursus simoniæ in proposito euentu, quantum attinet ad creditorem dantem beneficium vt recuperet debitum, arctari debet ad creditorem pasciscentem cum debitore, ad iniiciendam illi in futurum obligationem nouam soluendi, vel ad maiorem securitatem ipsi creditori ex pactione conciliandam Nam si creditor daret beneficium, vt statim recuperaret debitum quo alioqui timeret fraudari iniustè; velletque ea via non emere debitam sibi solutionem, eámque beneficio veluti pretio compensare, sed inducere debitorem ad repellendam iniustitiam malè dilatæ vel negandæ solutionis, sic nulla admitteretur simonia, & Suares rectè statuit cap. 37. num. 15. & Bonac. quæst. 1. de Simon. num. 10. Simonia ergo in euentu proposito, tunc tantùm incurritur, cum creditor dando beneficium, pasciscitur

ciſcitur cum debitore de noua obligatione in futurum, déque danda ſecuritate non fraudandi. Ea quippè noua obligatio & ſecuritas, ſunt bonum aliquod temporale pretio æſtimabile, & aptum ad fundandam Simoniam, ex Diuo Thoma in 4.d.25.cum de ſimonia art.3. ad 1. ad 2.male reclamante Angelo V. *Simonia* 3.num.38.

8. Referenda huc item eſt ea ſimonia, quam tempore S. Gregorij excogitatam docet Ioannes Diaconus lib.3. cap. 5. dicens S. Gregorium agnouiſſe aliquos *munera peſtiferæ negotiationis callidè vocare paſtellaticum, ac huiuſmodi mutato nomine, ſuæ cupiditatis auaritiam velle contegere.* Hoc S. Gregorius eo decreto perculit. [Antiquorum Patrum regulam ſequens, nulli quicquam de Ordinationibus accipiendum eſſe conſtituo, neque ex datione pallij, neque ex traditione chartarum, neque ex ea quam noua per ambitionem ſimulatio inuenit, appellatione *paſtelli.* Quia enim in ordinando Epiſcopo, Pontifex manum imponit, Euangelicam verò lectionem Miniſter legit; confirmationis autem eius Epiſtolam Notarius ſcribit; Sicut Pontificem non decet, manum quam imponit vendere; Ita miniſter vel notarius, non debet in ordinatione eius, vocem ſuam vel calamum venundare. Pro ordinatione ergo, vel vſu pallij, ſeu chartis atque paſtellis, eundem qui ordinandus eſt vel ordinatur, omnino aliquid dare prohibeo.] Liquet *paſtellum* habuiſſe rationem pretij ſimoniaci. Quamuis non planè conſtat quid fuerit *paſtellum* aut vt Ioannes Diaconus nominat, *paſtellaticum*, quod iuxta Sanctum Gregorium noua tunc ſimulatio per ambitionem inuenit. Quid vetat dicere, fuiſſe opiparum prandium, vel merendam exquiſitam ex pacto pendendam? Sanè pro Religionis ingreſſu abſiones pactorum inſtruendi ex obligatione conuiuia, reſcidêre Pontifices, & ad ſimoniam pertinere docuerunt. Idem ergo in aditu beneficiorum potuit contingere, tempore S.Gregorij.Innuitur idipſum è Paſchali Papa c.*ſi quis obiecerit.* 1. quæſt. 3. vbi Pontifex, damnans negotiationem ſimoniacam, ſic concludit. [Nullus igitur emat Eccleſiam,vel præbendam, vel aliquid Eccleſiaſticum, nec paſtellum, nec paſtum, antea vel poſtea, pro huiuſmodi ſoluat.].En *paſtellum* vel *paſtum*. Mentio item *paſtellorum* in hoc ſenſu eſt in Capitulis Hincmari.cap. 15. Quod autem S. Gregorius prohibebat coniunctim aliquid dare pro paſtellis aut chartis, non inſinuat paſtellum fuiſſe chartam: ſed ſenſus eſt, vetari, & acceptionem pro confectione chartæ atteſtantis collationem ordinis aut beneficij, & acceptionem pro paſtello ex obligatione pendendo. Videntur enim aliqui tunc pepigiſſe de tanta ſumma pro expenſis conuiuij aut repotij, ſiue poſtea pecunia accepta impenderetur in eas epulas, ſiue numeraretur pro iure ad eas & marſupio inferretur. Et quia hic color honeſtatis obtendebatur cupiditati, (quid enim in ſpeciem honeſtius, quam ordinatum aut beneficio donatum, excipere conuiuio eos à quibus beneficium acceperat?) ideò S. Gregorius, ait inuentum id fuiſſe ſimulatæ ambitionis oppaſſæ iniquitati ſimoniacæ.

9. Denique ex hoc item capite ſimoniacum eſt, conferre beneficium pro obligatione ſuſcepta de nouo,ne in poſterum quis iuſtè aut iniuſtè noceat.Nam ceſſio iuris nocendi v. g. per accuſationem iuſtam, aut per mulctam à Iudice inferendam, eſt aliquid pretio æſtimabile. Itaque propter eam ceſſionem, ex

pacto dare beneficium, est vera simonia, vt rectè censuit. Victor. relect. de Simo. 2. p. num. 25. Soto 9. de Iust. quæst. 7. art. 3. Less. l. de Iust. c. 35. n. 120. Bonac. q. 1. 2. de Simon. num. 11. Suares l. de Simo. cap. 37. n. 19. Et idem est de obligatione cessandi in futurum, à nocumento iniusto. Dare enim pro ea obligatione beneficium, est simoniacum, quia interuenit ibi verum pretium. Sæpè sanè dantur Latronibus certæ summæ annuæ aut menstruæ, tanquam pretia securitatis ab eorum infestationibus. Igitur si beneficium fiat pretium subeundæ ex pacto similis alicuius obligationis in futurum, collatio eius erit simoniaca. Et ita rectè tradit Suar. l. de Simo. cap. 37. num. 16. & Less. cap. 35. de Iust. num. 120. ac Layman. l. 4. tract. 10. cap. 8. num. 28. Egi tantum de obligatione in futurum: quia si detur alicui beneficium, vt in præsenti cesset à malo quod inferre parat non erit simonia; quia cum offertur pecunia, vt quis cesset à malo præsenti, non iniicitur noua obligatio iustitiæ, sed tantùm proponitur conditio quod accepturus sit pecuniam, si desistat à malo opere: communiquàm accidit cum obligatio est in futurum. Sicut nefas est mutuum dare cum obligatione in futurum, de mutuo vicissim dando; vt Diuus Thomas rectè asserit 2. 2. q. 78. art. 2. ad 4. quia ea obligatio in futurum iniecta, est onus nouum pretio æstimabile. Non est tamen illicitum, in præsenti dare mutuum ea conditione, vt tu vicissim nunc rem aliam des mutuam, quia non iniicitur obligatio seorsim ab actu mutuandi, nec infertur onus vllum iustitiæ.

In hanc rem totam consideratione dignissimum est, non quamuis conditionem actui v.g. promissioni aut donationi appositam, sufficere ad confectionem illius pactionis reciprocæ, siue contractus in quo fundanda esset simonia. Sed necessarium esse, vt conditio contineat onus seu obligationem iustitiæ, qua res spiritualis detur pro temporali, vel è contrario temporalis pro spirituali, tanquam pro pretio; id est per modum commutatiuæ compensationis ex iustitia. Suppetunt exempla permulta promissionum vel donationum sub modo, siue sub conditione, aut ob causam: in quibus tamen defectu oneris prædicti, non cernitur simonia. Profert nonnulla Layman l. 4. 1. tract. 10. cap. 8. num. 27. v.g. qui promittit aut præbet Ecclesiæ fundum sub conditione certarum precum quot annis persoluendarum, quibus non persolutis reuocari possit donatio, non est simoniacus, nec agit illicitè, iuxta *c. verum* de condition. appositis. Nimirum quia onus illud obeundi preces, non datur per modum pretij, sed ad sustentationem duntaxat, & vt antidorum debitum. Et qui spondet dotem puellæ, vt Religionem profiteatur, non init cum ea contractum simoniacum, quia non grauat eam vlla obligatione iustitiæ; nec intendit pretio compensare piam eius voluntatem. Similiter ergo qui mutuum dat sub conditione mutui præsentis, non grauando mutuantem vllo iustitiæ onere, non est vsurarius. Ac etiam qui beneficium sub tali modo aut conditione confert, non est simoniacus.

CLASSIS

CLASSIS SECVNDA

Modorum simoniacè adipiscendi beneficium pressè dictum, spectata pactione de eo.

10. HACTENVS de prima Classe modorum quibus simonia admitti potest in beneficiis pressè acceptis, hoc est attento pretio quod pro eis præbeatur. Pergo ad secundum caput, penes quod exsurgunt item varij modi admittendi simoniam circa huiusmodi beneficia; neque ad pactionem siue contractum. Vbi non est rursus agendum de venditione beneficij. Satis quippe de eius simoniaca labe constat, ex dictis de pretio pressè accepto, quod extra venditionem non habet locum. Agendum item non est de pactionibus venditioni æquiualentibus, quibus non datur pecunia, sed aliquid ea æstimabile; qui contractus exprimuntur per *do vt facias*, vel *vt ad hoc illud ve obligeris*. Illi quippè contractus comprehenduntur nomine venditionis, vt habetur. l. *sicut*, ff. *quibus modis pignus*, vbi Glossa alia iura adducit, & plura Tiraq. de retract. l. 1. §. glossa 2. Agendum ergo est de aliis pactionibus circa beneficia propriè dicta, vt de permutatione, resignatione in fauorem tertij, quæ vix peragitur absque pactione cum Collatore quod acceptabit renunciationem, & conferet personæ designatæ. Item de resignatione simili reciproca, vel inter tres. Item etiam de resignatione cum pacto de pensione, absque relatione ad assensum Pontificis. Nec non de resignatione, sub pacto adhibendæ hypothecæ secularis, aut fideiussoris; deque resignatione, cum pacto vt postea alteri des idemmet beneficium; vel cum pacto vt resignatarius soluat expensas litis. Denique de transactione, locatione, & si quæ sunt huiusmodi aliæ pactiones, cadentes in propriè dicta beneficia.

11. De his omnibus pactionibus, illud generatim velut effatum est præmittendum; omnem planè pactionem de beneficio propriè dicto, priuata autoritate factam absque assensu legitimi superioris, esse simoniacam saltem iure humano. Ita enim clarè deciditur cap. *quæsitum* de rerum permut. & cap. *ex parte* 1. de offic. delegati. Et vniuersaliter ac sine limitatione vlla in cap. vlt. de pactis. Nimirum ex vna parte, reuerentia debita rei ad diuinum cultum pertinenti; ex altera verò parte, periculum ne homines cupiditatis æstu abrepti, captantes bona temporalia spirituali iuri annexa, irreligiosè se gerant, & cum dedecore & vilipensione iuris spiritualis eiúsque annexorum, tractent illud vt rem profanam; hæc inquam omnia, meritò induxerunt supremos Ecclesiæ Rectores, vt omnem de beneficio pactionem, absque Prælatorum idoneorum autoritate initam, vellent esse simoniacam; quippè vetitam intuitu religionis, & ex eodem motiuo, ex quo vetatur simonia, quæ sita est in profanatione & vilipensione per venditionem ac emptionem beneficij. Non dico, quod infe-

riores ex priuato arbitrio non possint quoad aliqua pacisci de beneficio sub beneplacito Prælati; ac etiam iniicere sibi obligationem exequendi conuenta, cum beneplacitum superioris idonej interuenerit (Ea enim obligationis anticipatio, vt rectè viderunt Less. l.2.de virtut.c.35.n.104.& Suar.l.de simon.c.32.n. 8.post Syluestrum v.*permutatio* 2.q.5.labe vacat. Quodadmitto, etiamsi apponatur pœna conuentionalis quæ hîc nullo iure improbatur; sicut videtur improbata circa sponsalia.) Hoc igitur non inficior. Sed tantùm assero quod omnis inter priuatos suopte nutu inita pactio referenda denique sit ad superioris arbitrium, tum demum futura rata, & habitura firmitatem, cum superioris assensus accesserit, & non priùs; vt omne quod superiori manifestabitur, lux sit, minúsque periculi ingruat ab officiis inter priuatos facilè enascibilibus, cum omnia palam fient. Hoc præmisso fundamento, percurrendæ sunt pactiones variæ quæ circa beneficia iniri possunt: & quatenus in eis, aut per eas obrepere possit labes simoniæ, expendendum est; initio facto à permutatione quæ ad venditionem maximè accedit, imo ægrè ab ea secernitur.

12. Primò ergo, Permutatio beneficiorum si fiat propria autoritate, est simoniaca, vt habetur ex cap. *quæsitum, cum olim*, de rerum permutat. & cap. *maioribus*, de præbendis, vbi agitur de sola permutatione dignitatum. Tamen alia iura id extendunt ad omnia beneficia, vt cap. vltimum de pactis, vbi omnis de spiritualibus pactio improbatur, si Prælati autoritas desit. At nemo non videt, in permutatione interuenire pactionem. Consentiunt communiter Doctores Canonum atque Theologi, veram simoniam, non quidem iuris diuini, (vt rectè contra Paludanum in 4. d. 25. q. 4. art. 2. tradit Vasques tract. de benef. c. 2. n. 160.) sed iuris humani in tali permutatione agnoscentes, vt videre est apud Suarem l. de simon. c. 31. n. 8. Quamuis enim si duntaxat beneficium daretur à priuato, nec Ecclesia permutationes vetuisset, esset elia species peccati contra religionem ac ius diuinum, ob intrusionem iniquam atque sacrilegam in beneficium, cuius titulus suapte natura & institutione, ab alio quàm à superiore accipi validè nequit. Tamen in hoc euentu admittitur sola simonia, quia supponimus hîc collationem fieri à superiore, sed præmisso à partibus, & non exposito superiori, pacto priuato permutationis; vbi nulla iniuria erga superiorem admittitur; nec ius vllum diuinum conforme naturæ beneficij violatur; sed tantùm infringitur prohibitio Ecclesiastica, interdicens permutatione absque assensu Prælati, ob reuerentiam rei sacræ: cui ob annexum temporale bonum, immineret profanationis periculum, apud mortales temporalium bonorum cupidissimos; & facile non modò accessoria hæc bona, sed eorum principale pro temporali permutaturos, cum insigni dedecore & conculcatione religionis. Esto, quoad alias res spirituales, permutatio priuatim facta, minimè specialiter prohibeatur iure positiuo; ideóque possit vacare labe simoniæ, vt rectè contra Richardum & Adrianum, tradit cum Diuo Thoma, Soto, Victoria, Durando, Lessius l. de Iust. c.35.dub.3. & Carbo. q. 60. de restitut. dicto 3. contra Conradum. Id tamen vetatur (in beneficiis quibuscunque, contra friuolam aliquorum distinctionem, de licita beneficiorum eiusdem Ecclesiæ permutatione facta priuatim. Verè enim talis permutatio, vetatur tanquam simoniaca quoad omnia beneficia: Tamen si adsit assensus Prælati, per-

mutatio

mutatio vera beneficiorum, quæ scilicet alia sit à translatione personarum, (inter quæ duo, nonnulla discrimina aperit Suares l. de simo. c. 32. n. 4.) exerceatúrque inter ipsos permutantes tantùm, & non in fauorem duorum aliorum, vt dicam n. 3. nec sit permutatio conficta, eo quod alter nullum reuera habeat beneficium; his inquam suppositis, beneficiorum permutatio licita est, & pura à labe simoniæ; vt habetur cap. *inter cætera*, de præbend. & cap. vnico, de rerum permut. & cap. *quærenti*, ac cap. *ad quæstionem*, eodem. Prælatus porrò, cuius approbatio ad vitandam simoniam in pura & vera beneficiorum permutatione est necessaria, is est, qui potest beneficia illa conferre, vt ait Tol. l. 5. c. 91. & Vasq. de benef. cap. 2. n. 188. saltem vbi præscripta ritè consuetudine id illi competit, vt addit Suares l. de simo. c. 32. n. 14. monstrans alioqui iure communi id pertinere ad Episcopum, cum assensu inferioris Collatoris, si quis sit.

13. Egi porrò de pura & vera permutatione, quia permutatio ficta non modò esset cum graui iniuria alterius partis, si fraudem nesciuit, vel si conscia fictionis fuit, cum Ecclesiæ iniuria; sed etiam esset prorsus irrita, vt benè contra Rebuffum Suares c. 35. n. 20. permutatio autem non pura beneficij, v. g. cum pensione non erecta in titulum beneficij, solius summi Pontificis autoritate fieri potest, alioqui est simoniaca. Nec refert quod fortassis beneficia sint inæqualia quoad redditus; & iustum videatur eorum inæqualitatem compensare, impositione pensionis super illud quod est pinguius. Nihilominus enim ea adiectio oneris super vnum beneficium quod permutatur, facit vt permutatio non sit pura, exigátque summi Pontificis autoritatem: quæ multo magis necessaria esset, si non pensio constitueretur, sed numeraretur pecunia; in quo euentu, non adhibita mutatione materiæ, & fructuum à spirituali titulo separatione per solum Pontificem factibili, admitteretur simonia: & quidem, vt Adrianus quodl. 9. art. 3. ad 5. & Couarr. 1. var cap. 5 num. 8. & 9. tradunt contra ius diuinum. Sed eam Pontifex facilè purgare potest iuxta ea quæ habet Less. c. 35. de Iust. à num. 101. Censebitur autem esse pura permutatio, & potestatem Episcopi non excedere, (vt Suares admittit esse probabile cap. 35. num. 18.) si permutatio fiat inter plures, sed diuisim: etiamsi interueniat colligatio in illis permutationibus. v. g. si Petrus permutet suum beneficium cum Paulo, vt Paulus commutet cum Ioanne: rursúsque Ioannes cum Petro, præmissa pactione cum vtroque sigillatim; ad finem duntaxat permutandi cum primo. Reuera enim intercedit ibi tantùm permutatio, quæ conceditur Episcopo.

14. Secundò, simoniacum est pactum priuatum de spirituali ministerio exercendo pro beneficio, quando illud spirituale obsequium iure non inest, id est, quando onus præstandi illud spirituale obsequium, non est adiunctum & consertum beneficio in sua institutione. Hæc enim est quasi permutatio iuris spiritualis quod beneficium constituit, cum ministerio spirituali, vel onere illius exercendi: quæ permutatio quamuis non sit contra ius naturæ, aut contra ius diuinum, est tamen contra ius Ecclesiasticum, quod vetat spiritualia iura conferri sub modo, id est obligatione non annexa beneficio per Ecclesiam. Et ita rectè Victor. relect. de simo. n. 36. & Suar. c. 39. de simon. n. 12. habetúrque

ex cap. *de hoc*, de simon. vbi statuitur, simoniacum esse pascisci de conferendo beneficio pro electione ad spirituale munus. Nec refert, quod & electio quæ captatur, & beneficium quod promittitur, sint spiritualia. Nihilominus enim Ecclesia, omnes illos modos seu onera, priuatis conuentionibus imposita, ablegari vultà beneficiorum traditione. Interdicit enim quauis priuata pactione circa beneficia, nisi de eo quod iure insit; hoc est de eo quod iure expressum est, fas esse cuique: aut de onere quod iam sit annexum beneficio authoritate Ecclesiæ. Itaque Simoniacum est, promittere beneficium Vicario dandum, quando per aliquod tempus ministrauerit in spiritualibus. Simoniacum item esset, dare beneficium cum nouo onere exercendi spirituale ministerium non pertinens ad beneficium. Æquè simonia est, sic pascisci cum ministro spirituali; habebis annuum stipendium centum aureorum pro tali spirituali ministerio, donec curauerim tibi beneficium, cuius prouentus eodem pertingant; vel nisi intra tale tempus, curauero tibi beneficium talibus prouentibus instructum. Hæc enim omnia, tametsi apud quosdam Episcopos non infrequentia, sordere labe simoniæ, habetur ex constituto fundamento, vt rectè præter citatos censuit Maior in 4.d.24. quæst.3. conclus. 6. Similiter simoniacum est, præsentare ab beneficium, sub onere ex pacto priuato, dicendi tot sacra pro præsentante, aut recitandi pro eo quotidie Litanias. Nec minùs simoniacum est, pactum de præsentatione facienda sub onere eligendi præsentantem, vel alium ab eo designatum. Omnes enim permutationes, etiamsi sint rerum spiritualium, tamen in re beneficiaria planè vetantur absque consensu legitimi Superioris: & aliter factæ, sunt simoniacæ iure humano. Aliud verò esset, de permutatione pensionis merè temporalis cum beneficio. Hæc enim permutatio esset simoniaca contra ius diuinum, nec posset vlla concessione Pontificia honestari. Sed hæc simonia ad classem simoniarum ex pretio referenda est.

15. Tertio. Simoniaca item est, renunciatio beneficij in fauorem tertij; si pactio præcedat, vt Collator inferior summo Pontifice sic renunciatum beneficium acceptet, & conferat personæ tantùm designatæ, & non alteri. Et ita fert communis sententia, & vsus perantiquus. Et quamuis Prælatus infra summum Pontificem, si tales renunciationes beneficij admitteret, negligendo conditionem adiectam, & disponendo de beneficio, vel in fauorem tertij designati, non ex vi designationis, sed ex mero suo arbitrio, vel in fauorem quarti cuiuspiam, non esset simoniacus; veriúsque etiam videatur, ipsum sic renunciantem absque vlla pactione, non esse simoniacum, vt Suares cap. 35. num. 8. & 9. & Binsf.4.p. Enchir. cap.5. propositione 10. Valerus V. *Simonia* differentia 13. asserunt: tamen sic renuncians, per se loquendo, & seclusa ignorantia, peccaret: attentans facere contra quàm habet perpetua Ecclesiæ consuetudo; ac si pactio præuia interueniret, esset simoniacus. Episcopus autem quomodocunque de beneficio sic renunciato disponens ex pacto præuio; & esset Simoniacus, & nihil faceret, quia non potest illud dare cuipiam quarto; id enim ne ipse quidem Papa potest in eo euentu, vt rectè Rebuffus in praxi tit. de resignat. condition. num.16. & Suar. l. de Simon. cap.35. num.15. Et nihil faceret, quia non potest deiicere aliquem innoxium, è beneficio quod ritè possidet; nec vacat, donec cum effectu conferatur tertio designato. Ita enim

ferebat

ferebat conditio adiecta per renunciationem. Vnde si conferat beneficium cuipiam quarto, facit iniustitiam renuncianti. Ait quidem Flamin. l. 1. de resign. quæst. 3. num. 65. decisum esse in Rota, id posse Episcopum in pœnam. Tamen ea pœna, nullibi in iure habetur imposita tali renunciationi. Si verò Episcopus conferat tertio designato ex præuio pacto, & erit simoniacus, quia ius humanum ita statuit de ea pactione, & erit iniustus, qui vsurpat iurisdictionem Papæ, cui ea collatio reseruatur per iura & antiquissimum vsum: ac proinde tunc Episcopus est in Pontificem iniurius. Deesset tamen, & simonia, & omnis iniuria, ac (si cætera concurrant) omnis culpa, si Episcopus resignationem simpliciter & absolutè factam admitteret; & beneficium sic vacans, conferret tertio, cui renuncians significasset, se valdè cupere conferri beneficium renunciatum in manibus Episcopi, & iam ad eius nutum conferibile quarto cuipiam, neglecto tertio designato.

16. Quartò. Simoniaca est resignatio reciproca in fauorem duorum, etiamsi obducta colore permutationis, nisi fiat coram Papa. Posset enim contingere, vt Titius beneficiarius, vellet suum beneficium Episcopo renunciare in fauorem nepotis Caij, dummodò iste vicissim coram eodem Præsule, renunciet beneficium in fauorem nepotis Titij. Id ergo non potest ab Episcopo fieri; quia quamuis ei concedatur pura permutatio beneficiorum inter ipsos beneficiarios permutantes: tamen hìc admiscetur renunciatio, & quidem duplex in fauorem tertij quæ Episcopis non conceditur, etiam dum est vnica. Imo vt addit Less. l. 2. cap. 35. numero 87. præter permutationem, additur pactio de præstando reciprocè tali fauore personis designatis: quæ pactio vetatur inconsulto Papa, efficitque beneficij translationem simoniacam; non quidem iure diuino, (vt benè monstrat Vasq. tract. de benef. c. 2. n. 193. quia ibi nihil dari supponitur temporale vt pretium spiritualis); sed tamen iure humano, vt benè Nauarr. in summa c. 23. n. 100. citans Raymundum, Angelum, & Syluestrum, quibus malè refragatur Vasques.

17. Quintò. Simoniaca est renunciatio reciproca inter tres, licet obducta colore permutationis: passim vocant renunciationem triangularem, qualis fieret si Petrus, Paulus, & Ioannes, colore permutationis renunciarent suis beneficiis: primus in fauorem secundi, & iste in fauorem tertij, ac tertius in fauorem primi, adiecta obligatione perficiendi tres illas permutationes. Non enim esset ibi verè permutatio pura inter duos, qualis duntaxat potest ab Episcopo admitti: sed esset pactio peculiaris, & quidem multiplex, supra permutationem.

18. Sextò. Simoniaca item est resignatio, siue in fauorem, siue absolutè, (regulariter loquendo,) sub onere pensionis, nisi Papa eam admittat. Est enim regulariter loquendo, in solius Papæ potestate, imponere pensionem. Quia ergo regulariter solus Papæ est pensione grauare beneficium, nemo præter eum, regulariter loquendo, potest absque simonia admittere talem renunciationem, & qui eam persoluet, simoniacè faciet contra ius diuinum. Numerabit enim ex obligatione nefariè suscepta, pecuniam pro beneficio. Ita Less. l. 2. cap. 35. num. 91. addens num. 96. & 97. hanc esse vnam è duabus confidentiis simoniacis externis, obnoxiis pœnis iuris: clarè quidem, si pensio ex

pacto priuato alteri reseruetur: minùs clarè autem, sed tamen valdè probabiliter, si reseruetur ipsi resignanti: Vtramque enim censet esse confidentiam simoniacam. Quod item habet Suares. c. 43. de Simo. n. 7. contra Nauarrum Vgolinum, qui si pensio reseruetur resignanti, negant esse confidentiam certis pœnis damnatam. Ferunt autem ita inualuisse consuetudinem. Absolutè verò fatendum est vtramque esse confidentiam; vtique minùs principaliter dictam. Nam propriè & simpliciter, confidentia simoniaca ea est de qua paulò post. Fateor tamen non esse simoniacum pacisci de pensione per ordinem ad Pontificem. Quod notant omnes Recentiores; & puto idem velle antiquiores permultos, quos adducit Gigas q. 4. de pensionibus num. 5. quatenus docent non esse simoniacum impetrare à Papa pensionem super beneficio quod resignatur; eo quod renunciatio maneat pura & libera, nulla in renunciationem inserta conuentione. Hæc inquam probè cohærent cum conuentione conditionali de pensione, si à Papa admittatur: alioqui enim impossibile erit constituere pensionem super beneficium quod resignatur, quæ sit & resignanti & resignatario accepta: nec resignatio fiet plerunque prudenter. Et disertè in hunc sensum se exponit Gigas. q. 5. num. 3. & q. 6. num. 8.

19. Septimò. Simoniam quoque continet, resignatio sub onere fideiussoris Laici, vel hypothecæ, quibus securitas præstetur, quod pensio legitimè constituta resignanti, soluetur fideliter. Quæ pactio continet onus pretio æstimabile, ac proinde est simoniaca, nisi fiat authoritate summi Pontificis, vt notant Suares cap. 35. n. 23. & Less. l. 2. c. 35. n. 93. qui rectè pronunciat pensionem sub eo onere constitutam ab Ordinario, posse non solui, & beneficium tanquam vacans posse impetrari.

20. Octauo. Simoniaca item est renunciatio in fauorem tertij, cum pacto tacito vt postea resignatarius beneficium eidem vel alteri refundat: quæ est absolutè dicta resignatio in confidentiam, estque planè illicita. Non quod beneficiarius vetetur confidere, seu sperare, & habere fiduciam, quod aliquando resignatarius beneficium sit refusurus sibi, vel alicui amicorum, vel cognatorum resignantis. Ea quippè fiducia (per se loquendo), non est illicita, vt rectè Nauarrus in summa cap. 23. num. 109. Sed quod resignans, ex pacto tacito obligationem iniiciat resignatario, vt sibi vel alteri restituatur beneficium quod dimittitur. Dixi *resignans* simpliciter, non permutans. Nam quoad permutantes, confidentia specialiter damnata non habet locum, quia id nullo *iure* est specialiter expressum, vt notat Suar. cap. 43. num. 11. Confidentia ergo de qua agimus, quoad resignantes, cernitur tantùm in simpliciter dictis renunciationibus, non in permutationibus. Cum ea fiducia fertur ex pacto in refusionem faciendam resignanti, denotari solet nomine *regressus* vel *ingressus*. Regressus, quidem, si pactum ferat reueniendum esse ad beneficium iam possessum. Ingressus verò, si quis cedat beneficio cuius possessionem pacto iure nondum adierat; pactum autem ferat, vt stato tempore ad beneficium venire, & possessionem eius inire possit. At si fiducia feratur ex pacto in refusionem faciendam alteri, v. g. nepoti resignantis nondum per ætatem habili ad beneficium; tunc aditus in beneficium, per nepotem ex pacto tacito donatum beneficio, dicitur *accessus*. Ex hac ratione, Tryphon Monachus

chus anno Christi 933. primus (quod liqueat), fiduciarius Antistes, electus est Patriarcha Constantinopolitanus, post mortem Stephani, vsque dum Theophilactus filius Romani Imperatoris, fieret ætatis idoneæ ad eam sedem: vt scribit Zonaras Tomo 3. Annalium. In Occidente autem Clitellarios hosce beneficiarios ex commandationibus perpetuis beneficiorum in Clericos seculi esse deriuatos, obseruauit Choppinus in Monastico l. 1. tit. 1. num. 14. Labes simoniaca omnium huiusmodi renunciationum, cum confidentia certa siue pacto præuio peractarum, perspicua est ex generalibus principiis de interdicta cuiuslibet pacti iure non concessi appositione circa beneficia: Esséque in his renunciationibus imaginem hæreditariæ successionis in Dei Sanctuario, ideóque multum nocere Ecclesiæ Dei, dicitur in Concilio Trid. sess. 25. c. 7. de reform. Decretis item Pij quarti, Pij Quinti, & Sixti Quinti, exagitata iampridem est hæc simonia, cuius notio proposita diligenter attendenda est, quia variæ peculiares pœnæ ei sunt constitutæ, quæ aliis simoniis, etiam circa beneficia, non sunt positæ.

21. Nonò. Simoniaca est resignatio, cum pacto vt resignatarius soluat expensas litis quæ faciendæ à resignante fuerunt, vt beneficium haberetur pacificum. Id enim esse simoniacum, quamuis aliqui recentiores secus senserint, statuunt Flamin. l. 14. de resign. q. 7. num. 1. Suar. cap. 35. de Simo. num. 24. Layman. l. 4 tract. 10. cap. 8. num. 53. Less. l. de Iust. c. 35. num. 34. & Binsfeld. in Enchir. 4. p. c. 5. qui id extendunt ad quascunque expensas factas in acquisitione beneficij, puta ad obtinendas bullas, ad solutionem iurium Ecclesiæ, vel Capituli, ac similes quascunque ob beneficij acquisitiones factas. Ratio est, quia iura reprobant omnes pactiones circa beneficia, quarum concessio non est expressa in Canonibus vel rescriptis Pontificum. Item simonia est, renunciare liti super beneficio, refusis expensis ex cap. *cum pridem* de pactis; multo ergo clarius est, renunciationem cum onere refundendi expensas, vt simoniacam improbari iure Canonico. Imo iure diuino improbari videtur, refusio expensarum. Dantur enim pro ipsomet beneficio: quia expensæ factæ, non sunt aliquid adiunctum renunciationi quæ nunc fit, sed antecesserunt in renunciantis bonum, resignatario futuro nullam eis occasionem vel causam tunc præbente. Igitur tantùm refunduntur, quia beneficium datur: ac proinde est simonia iuris quam ne summus quidem Pontifex, vt Suares ibid. num. 26. ostendit, purgare potest, nisi alio titulo has expensas refundi curet renuncianti. Præsentatio tamen ad beneficium, sub conditione vt præsentatus intra tale tempus iure statutum, suis sumptibus litigans, euincat se ritè fuisse præsentatum caret, labe simoniæ, vt docet Suares. cap. 28. num. 14. Et hoc est quod Layman supra ait, licitam esse refusionem expensarum, quæ ab aliquo de iure faciendæ sunt.

22. Decimò. Simoniaca est quæuis transactio circa beneficium, si fiat propria & priuata authoritate, vel ad arbitrium priuatum viri prudentis. Vocatur transactio, pactio non gratuita in dubio, quodque sub incerta lite, intentata vel intentabili, sit constitutum. Si enim litigantes absque vllo onere alterutri imposito, conuenirent, & litem dimitterent, non diceretur transactio, sed compositi amicabilis, quæ non potest non adito Præsule fieri, vt tradit Vale-

rus V. *pensio* differentia 4. adducens Hieronymum Paulum, atque Rebuffum. Item si ius vnius esset liquidum, & alter per potentiam & fraudem cum illo litigaret, & negotium ei facesseret; compositio quæ fieri inter eos posset, non esset transactio de qua agimus; sed redemptio vexationis ex parte læsi. Propriè ergo dicta transactio qualem descripsi, in re beneficiaria planè vetatur vt simoniaca, cap. *constitutus* de relig. dom. & cap. *super eo* de Transact. vbi Innoc. & Panorm. Suar. l. de Simon. c. 51. num. 11. & passim cœteri. Et ratio est, quia omnis pactio quæ in iure non conceditur circa beneficia, eo ipso improbatur. Atqui iura non modò non concedunt huiusmodi transactiones onerosas, sed etiam eas reprobant, nisi fiant interueniente Episcopi authoritate. Quid quod quodcunque onus adiungatur per transactionem, necessaria semper est Prælati authoritas. Nam cum beneficium de quo litigatur non possit diuidi; vel vni qui beneficio cedit datur pensio, vel alterum beneficium, vel aliud aliquod ius spirituale, vt Vicariatus vel Coadiutoria: quæ omnia constat non posse fieri priuata voluntate: Et in ea iuris spiritualis translatione pro beneficio, non est modica species simoniæ, siue temporalis boni annexi iuribus spiritualibus, repensi pro spirituali seu pro beneficio de quo transigitur. Denique ius dubium vnius, non potest fieri certum per solam voluntatem alterius partis transigentis. Igitur necesse est accedat authoritas Superioris: quem dixi quoad transactionem veram super beneficium, esse Episcopum. Ita enim habetur cap. 2. de Transact. & cap. *nisi* de præbend. vbi permittitur Episcopo, in eo euentu, cum iudicauerit expedire, vt pensionem imponat super beneficio, ex mero suo officio & prouidentia, non ad requisitionem partium & ex præuia earum conuentione, si agatur de pensione merè temporali: Agendo enim de pensione titulo spirituali, & data Clerico qua tali, posset ea præuia conuentio adhiberi. Cœterum si transactio non esset ineunda super beneficio, sed super litibus vtrinque motis circa duo beneficia, quorum vnum esset vnius litigantium, alterum verò alterius; inducerêntque in animum à litibus illis vtrinque desistere ex pacto; tunc transactio & obligatio mutua non litigandi, non esset illicita, etiamsi deesset Prælati authoritas, vt Suares notauit c. 51. de Simon. n. 15. addens n. 42. neque prohiberi arbitrium Clericorum in quos fit compromissum tanquã in iudices arbitros, etiamsi neque partium Prælatos, neque ordinarios aut delegatos iudices causæ, per modum transactionis rem componentes, etiam imposito temporali aliquo onere (non tamen pensione) ad bonum pacis; neque enim hoc iudicium, cum sit iudicium, est arbitrium illud priuatum virorum prudentum, quod absque Prælati interuentu, quoad transactiones de beneficiis, improbari diximus.

23. Vndecimò, Simoniaca consequenter est resignatio, sub sponsione de pendendá certa summa per modum mulctæ si fiat resultus, à cessione beneficij quasi simpliciter & gratis promissa. Inuentum est subtile, eorum qui vt possent frui lucro, cuius vndecunque illis est bonus odor, sponsione interposita illaqueant se mutuò; beneficiarius quidem ad resignandum, resignatarius verò ad acceptationem & gratitudinem pro ea: impositis certis nec leuibus mulctis, ei per quẽ cessio beneficij non fuerit effectum sortita, aut cuius gratitudo defuerit. Hæc est pura puta simonia. Nam & omnis pactio de beneficio quæ iure non sit expressa, est simoniaca:

simoniaca:& ista nominatim, qua tam apertè eripitur vtrique parti sua libertas. Nominatim quod beneficiarius obliget resignatarium ad gratitudinem sub certa mulcta pecuniaria exhibendam, æquè vitiosum est, ac si obligatio iustitiæ directè suscipiatur absque interposita mulcta, ad pendendam certam summam ex gratitudine, quod esse simoniacum vidimus.

24. Duodecimò, Simoniaca est propria authoritate facta elisio litis inter certantes de beneficio Ecclesiastico, interuentu sortium. Huius dicti probatio ducenda non est ex eo quod in quibusuis electionibus Ecclesiasticis faciendis interdicatur vsus sortium. *c. finali* de sortilegiis. Nihilominus enim quia cum litigantes litem sortibus componunt, non fit electio, nec beneficium recipitur ex vi sortis, sed ex vi iuris prætensi, sortibus duntaxat remouentibus obicem; Glossa ad C. *licet causam* de probat. & ibi Hostiens. n. 20. & Abbas n. 37. in eo euentu, licitum esse vsum sortium admittunt. Inde ergo probandum est pronunciatum propositum, quia omne pactum propria authoritate factum circa beneficiaria, est simoniacum ex c. *finali* de pactis & c. *quam pio*. 1. q. 1. Et ita rectè docent Sanches l. 2. in Decalo. c. 38. n. 79. & Suares l. de superst. c. 12. à n. 12. Quid si verò is cui sors fauebit, reuera careat titulo? Neque enim alter litigans, potuit ei cum quo composuit, authoritate sua conferre titulum legitimum. Itaque vt lis super beneficio terminetur sortibus, necesse est interuenire authoritatem illius Superioris, qui potest titulum beneficij de quo certatur conferre.

25. Decimo tertiò. Simoniacum est, locare beneficij fructus tota sua vita, aut aliquo tempore futuros, cum animo relinquendi locatario beneficium; quam esse simoniam iuris diuini, benè censuit Suar. l. de simo. c. 24. num. 41. apertè enim venditur titulus beneficij, quandoquidem vendantur fructus vt postea percipiendi titulo spirituali, à quo non possunt locantis voluntate separari: ac proinde venditur quoque ipsemet titulus, quæ est simonia contra ius diuinum. Nec refert, quod beneficiarius cedens beneficio, posset retinere beneficium, ad tempus vsque collectorum fructuum, ideóque patiatur incommodum compensatione dignum: Hoc inquam non refert: quia volens subit incommodum, resignando beneficium. Sibi igitur imputet incommodum adiunctum cessioni beneficij, nec velit illud compensare per simoniacam venditionem fructuum, tunc tunc, colligendorum cum beneficium iam cesserit resignatario. Locatio autem fructuum alteri facta quàm resignatario, vltra tempus iure nouo constitutum, quod est triennij, (quanquam non est ius illud vsu receptum plerisque in locis, notat, Tol. l. 5. c. 91. n. 4.) etsi est illicita, & apertè iniusta, aut emptori si decipiatur à resignante, aut successori si per vim eum cogat carere fructibus de quibus anticipata locatione disposuit; tamen non est simoniaca quia non venditur ius spirituale sed tantum temporale absque iure. Quod si loca certæ duntaxat portion is fructuum, accepto illius pretio anticipatè, iam esset facta alteri quàm resignatario, absque animo beneficium resignandi ante omnes fructus collectos; postea autem fieret resignatio, cum onere vt resignatarius esset contentus portione illa redditium quæ supererat resignanti; pactio esset simoniaca; & quidem iure diuino, vt Suares supra n. 39. & 40. rectè statuit, quia venderet ius ad fructus, mediante titulo spirituali, etiamsi iam non suppetente.

quam simoniacum improbat Athalaricus apud Cassiodorum.l. 9.epist. 15.Constat tamen id esse frequens in familiaribus & amicis Collatorum, vel nominantium, solet pecunia emi, vt inducant collatorem vel nominatorem ad beneficium concedendum. Sic limito hanc simoniam, quia si hi familiares tantùm aperirent ianuam, vel faciles aditus ad Collatorem curarent, non esset simonia: vt neque si duntaxat Collatorem instruerent de meritis candidati. At simonia est, si ex pacto cum candidato, eiúsve causam agente, se habeant vt causæ morales, inducẽtes pro viribus Collatorem, (& idem est de Nominatore), ad concedendum beneficium. An hoc est, quod Episcopi Remensis & Rothomagensis prouinciæ, ad Ludouicum Regem num. 12.dicunt? [Munus est à lingua, fauor.]

Æquè erit simonia, si preces & intercessiones ab aliquo sint emptæ, ad consequendum bonum quippiam; emptæ inquam, præmisso pacto de collatione aut resignatione beneficij, si fierent. Tales enim preces, sunt verum munus à lingua, vt iura loquuntur; quo tanquam pretio, emitur bonum de quo agitur v. g. pinguius beneficium, aut bonum aliquod temporale, ab eo obtinendum apud quem tandem precum interpositio terminaretur. Exemplum luculentum est in Antistite, qui nolit conferre beneficium nisi rogetur à Caio Principis cubiculario, quem velit habere obnoxium: spondens sibi ab eo rogante, & audito, non exiguum fauorem apud Principem. Si ergo Antistes paciscatur cum Titio amico Caij, de conferendo beneficio ipsi Titio, si curet se ad id rogari à Caio, simonia admittitur per preces illas ex præuio pacto fusas, quibus Antistes emercatur bonum, ad quod per Caium aspirat. Admittitur inquam tunc simonia, tum ab Antistite spiritualibus temporalia soluente; tum à Titio emente beneficium per illud munus à lingua, quod impendit pro Episcopo. Et huc referri potest ea simonia in beneficio, de qua Sanctus Chrysostomus hom. 3. in Acta, *sub finem*, ita habet. [Perierunt omnia, corruptáque sunt. Hæc loquor, non vt vobis terrorem incutiam, sed vt vestram cohibeam cupiditatem. Quem enim conscium adibis, si procuraris, vel per te ipsum, vel per alium? Quibus oculis obtueberis illum, qui tibi fuit auxilio? Quid habebis, quod excuses? Etenim qui nolens & inuitus compulsus est, habiturus est aliquam excusationem. Quanquam maximè & hic priuatus est venia, nisi quòd ad hoc collatus, habet aliquid excusationis. Cogita quid acciderit Simonj. Quod enim refert, si non das pecuniam, sed pecuniæ loco adularis, subornas, multáque machinaris? *Pecunia tua sit tecum in perditionem*, ad illum dictum est. Et his dicetur; Ambitio, tua, sit tecum in perditionem, quoniam putasti ambitu humano parari donum Dei.]

29. Secundò. Simoniacum eodem modo est, ex pacto curare laudes, vel exigere honoris & beneuolentiæ signa, ad faciendum sibi nomen, vel parandam aliorum beneuolentiam; & ad hoc officij vtilis genus eiúsque obligationem comparandam, promittere beneficium. Nam & qui ex hac conuentione laudat, donatúrque beneficio, & qui illud donat ob illud pretium, simoniæ labe se fœdant. Sic enim S. Gregorius hom. 4. in Euang. tractans varia munera, quibus fieri posse docet vt labes simoniaca contrahatur; nempe munus à manu, à lingua, & ab obsequio; ait munus à lingua, esse nummum fauoris,

ex cuius captatione qualem descripsimus æquè ac per captationem pecuniæ, contrahatur simonia. Pulchrè in hanc rem disserit Chrysostomus hom. 3. in Acta, & fusè Pet.Dam.lib.2. Episto. 3.

30. Tertiò, simoniacum est, vendere operam qua quis pro altero laborat, vt beneficium adipiscatur; si ea opera vendatur quatenus specialem habitudinem habet ad beneficium: aut si pro beneficij opimitate, cariùs vendatur. Non nego, quin fas sit procuratori accipere mercedem sui laboris, quantam acciperet ex eodem labore in rem profanam impenso. Si enim scribendum sit, si iter suscipiendum, si aliæ expensæ conferendæ; imo si duntaxat temporis in alia vtiliter conferendi dispendium fiat, non est dubium, quin fas sit refusas velle operas illas & expensas, ac etiam dispendium temporis fartum velle, vt docet Caiet. in summa V. *simonia* regula 4. Nauarrus in summa cap. 23. num. 106. Binsfeld. in Enchir. 4. p. cap. 5. concl. 5. Illud ergo tantùm inficior, fas esse æstimare pecunia, atque adeò siue emere, siue vendere, laborem in procurando beneficio obeundum: prout ad beneficium ordinem habet: hoc est ita vt pluris æstimetur quàm per se valeat; id est, quàm si in quacunque materia profana impenderetur v. g. in curando officio, aut munere seculari: aut ita vt pro beneficij opimitate plus exigas. Nam si labor in procurando beneficio subeundus, vendatur quatenus habet suam æstimationem à beneficio, vendi quoque censebitur ipsum beneficium, atque adeò admittetur simonia. Si enim medium prout conducit ad finem æstimetur pretio, ipse quoque finis pretio æstimabitur. Atque ita passim Doctores damnant simoniæ, dare alteri aliquid pretio æstimabile, vt tibi procuret beneficium. Sic Angelus V. *Simonia* 1. num. 7. Syluester ibid. q. 6. Fumus n. 7. & 9. Nauarr. in summa c. 23. n. 106. *Soto* n. 9. de Iust. q. 7. art. 3. Lessius c. 35. de Iust. n. 46. Bonac. q. 1. de simo. §. 1. num. 14 Mediatores simoniæ iure à Gregorio septimo Simoniacis annumeratos esse, monstratur latè in Apologetico pro Gregorio septimo cap. 20. & scitè quoque in eam rem Cardinalis Polus decreto 9. reformationis Angliæ. Habetur ad calcem Operis eius de Concilio.

31. Quartò, Simoniacum est vendere aut emere actiones ex se ordinatas ad beneficij adeptionem, vel per quas beneficium habetur à proximis causis, ab vtroque beneficiario distinctis v. g. electionem, collationem, nominationem, confirmationem, ac similes. Ita Nauarrus in summa cap. 23. num. 101. Lessius l. 2. cap. 35. num. 47. Et ratio est perspicua, quia omnes illi actus desumunt naturam suam ex ordine ad beneficium; atque adeò sunt spirituales. Aiunt quidem aliqui, dari posse pecuniam, ne electio nimis perniciosa Ecclesiæ, fiat: vt si homo impius qui Ecclesiam esset euersurus, eligendus esset in summum Pontificem; posset dari pecunia ne electio fieret. Ita Nauarr. c. 24. n. 102. Val. 2. 2. d. 10. q. 2. p. 3. §. 4. Less. l. de Iust. c. 35. dub. 19. Toletus l. 5. Instruct. c. 90. Basil. l. 5. de Matr. c. 18. §. 6. n. 42. & 43. Imo Sotus l. 9. q. 6. ad. 1. annuente ibidem Toleto, ac Suare c. 58. num. 39. in euentu Metaphysico in quo vnus duntaxat esset dignus summo Pontificatu, & ab aliis quibuslibet eligendis timeretur pernicies & vastitas Ecclesiæ, ait fas esse dare pecuniam, pro ipsamet summi Pontificis electione. Verùm hæc sunt infrequentissima & moraliter impossibilia, vixque vnquam admittenda quoad electiones ad beneficia

ficia summo Pontificatu inferiora; tametsi ad ea quoque, doctrinam ex Soto datam extendunt Lessius. l. 2. de virt. c. 35. dub. 19. & Valent. 2.2. disp. 6. q. 16. p. 3. 55. *quintò sequitur*. Itaque moraliter & regulariter loquendo, omnis influxus ad actus prædictos, pecunia, vel aliquo æquiualente comparatus, infert simoniam; quod est extra dubium, & ab ipso Rege Athalarico, quantumuis hæretico, agnoscitur apud Cassiodorum l. 9. episto. 15. Optime Synodus in villa Sparnaco sub Carolo Caluo cap. 43. [Cauendum & summopere præcauendum, ac per virtutem Christi Sanguinis interdicendum, & Episcopis, & Regibus, & omnibus sublimioribus potestatibus, atque cunctis fautoribus, & electoribus quorumcumque, atque consensoribus, seu ordinatoribus in gradu Ecclesiastico, vt nemo per simoniacam hæresim regiminis locum obtineat quacunque factione, calliditate, promissione, seu commoditate, aut donatione, per se, aut per emissam personam. Cùm Spiritus inter cætera documenta Ecclesiastica, per os sancti dicat Gregorij; Cur nō perpēditur, quia benedictio illi in maledictionem conuertitur, qui ad hoc vt fiat hæreticus, promouetur?] Itaque Simoniaci aperte fuerunt Imperatores Orientis, poscentes aurum pro cōfirmatione: vnde contentiones inter Flauianum & Chrysaphium; & Iustini Imperatoris iræ in Anastasium Sinaitam id renuentem, vt narrat Euagr. l. 5. c. 6.

32. Quintò, Non tantum emptio huiusmodi actionum simoniaca est, sed etiam permutatio. Vt si duo Electores ita paciscantur. Tu elige Petrum, quem opto eligi ad tale beneficium; & ego eligam Paulum, quem tu cupis promoueri ad illud aliud beneficium. Idem pactum mutuum, cogitari potest inter electorem & confirmatorem: aut inter Electorem & Collatorem; vel inter patronum offerentem præsentationem, & beneficiarium offerentem resignationem alterius beneficij. Omnes inquam tales commutationes in actionibus pertinentibus ad prouisiones beneficiorum, procedentibus à potestate, vel iure aliquo spirituali; simoniacæ sunt, si fiant priuata autoritate: quia quamuis sint functiones spirituales, quarum commutatione in aliis negotiis non interdicitur, (quanquam hoc quoque negat Victor. relect. de simo. parte 1. n. 6. postea id corigens num. 17.) tamen sunt via & medium ad bona temporalia beneficio annexa: & ideò iure prohibita est earum commutatio, & simoniacis actibus annumerata, vt ex nonnullis iuribus eruit Suares l. de Simon. c. 31. n. 14.

33. Sextò simoniaca apertè est adeptio beneficiorum ab his causis proximis, per temporalia obsequia, quibus influxus in beneficij adeptionem rependatur, vt pretium. V. G. familiares Episcopi inseruiunt ei gratis. Episcopus autem post aliquod tempus persoluit eorum labores dato beneficio, cuius conferendi ius habet. Similiter Principes habentes ius nominandi, compensant obsequia nobilium, dato vni è liberis eorum quem allegerunt in Clerum, Episcopatu, aut Abbatia tanquam pretio ac stipendio militiæ, aliorumve obsequiorum temporalium. Hæc omnia iudice Petro Damiani Opusculo 22. quod est contra Clericos Aulicos, cap. 2. *sub finem*, simoniaca sunt, si verè pretium adeptionis beneficij sit illud obsequium. Et ita iudicatum esse in Concilio Meldensi celebrato iussu Gregorij VII. Præside Hugone Diensi, ad excutiendam causam Vrsionis Suessionensis electi in compensationem seruitij Palatini patris eius, Geruasij, produnt Acta S. Arnulphi Suessionensis c. 26. Omnes quippè Docto-

V

res conſentiunt , obſequium temporale poſſe eſſe ſufficiens pretium ſimoniæ, cum ſit aliquid pretio æſtimabile. Igitur intuitu eius tanquam pretij, dare vel accipere beneficium, eſt apertè ſimoniacum.

24. Dixi *tanquam pretij*, quia interdum obſequia non habent rationem pretij, ſed tantùm adhibita ſunt ad conciliandam beneuolentiam, ex qua merè gratis rependitur beneficium. Et tunc certum eſt deeſſe ſimoniam, qualecunque fuerit obſequium. Id eſt, ſiue iuſtum & ſanctum, ſiue turpe & inhoneſtum, contra inutilem nonnullorum diſtinctionem de qualitate obſequiorum. Nam quamuis qualitas obſequij, & intuitus ad illud, poſſit reddere re penſionem beneficij aliunde illicitam, non tamen ſimoniacam, quamdiu beneficium non rependitur in pretium ex pacto expreſſo aut tacito, ſed præcisè ac purè datur gratis, vigente ad ſummum obligatione gratitudinis: præſumitúrque rem ita ſe habuiſſe, quando famuli aut exhibitores obſequiorum, habent aliunde iuſtum operæ ſuæ ſtipendium, ſaltem minimum intra latitudinem iuſti ſtipendij. At ſi nullum planè habeant ſalarium, quamuis deſit explicitum pactum de rependendo pro laboribus beneficio, tamen interueniret ſimonia, ſi labores illi acceptati pariant in eo pro quo fiunt, obligationem iuſtitiæ ad mercedem debitam reponendam: cui debito ſatisfactum velit repenſione beneficij, quod tunc apertè datur ac fortè etiam ſumitur tanquam pretium. Videtur id agnoſcere Gregorius VII. l. 6. Epiſto. 34. declarans munus ab obſequio. Vnde meritò Suares l. de ſimon. cap. 39. n. 7. fatetur ſe non videre, quomodò poſſint excuſari à ſimonia, qui acceptant huiuſmodi famulos, cum ſola, vel ferè ſola ſpe remunerationis per beneficia à talibus dominis conferenda; quæ ſanè tunc habent rationem ſalarij, & obſequia rationem pretij; vnde pura puta ſimonia ibi interuenit, vt agnoſcit quoque Victor. relect. de ſimo. parte 1. num. 36. & Armacanus l. 10. de qq. Armen. c. 19. & latè etiam Gutierres l. 2. qq. Canon. c. 23. à num. 66. Et æquè etiam in ſimoniam incidunt, qui pro beneficio ſic famulantur, cum expreſſo aut tacito pacto talis remunerationis ad quam Antiſtes ſit pluſquàm ex gratitudine obſtrictus.

25. Quod æquè extendendum eſt, ad obſequium ſimili modo præſtitum cognatis, vel amicis Collatoris, cum Victoria 1. p. relectionis de ſimonia num. 37. & Caietano 2. 2. q. 100. art. 5. Non me latet, quoſdam Iuriſperitos quibus ſubſcribit Gigas q. 25. de penſ. n. 4. admittere pactum Epiſcopi cum ſuo familiari de dando ei Salario, donec ipſi eiuſdem valoris beneficium prouiderit: Negant enim interuenire ibi pretium obſequij; ſed tantùm dari aiunt temporale ſub conditione, qua poſita euaneſcat obligatio pendendi ſalarij illius temporalis. Verùm quomodò beneficium non habeat tunc rationem ſalarij cui ſubſtituitur, atque adeò quomodò non ſit pretium, & ſimoniæ labem non inferat, haud preſpicio. Aliud tamen eſſet, ſi hi famuli ſperarent duntaxat beneficium ex beneuolentia Antiſtitis, conciliata per huiuſmodi obſequium. Hic enim ſe habentes, non eſſent ſimoniaci, etiamſi nullo aut impari laboribus pretio ſeruirent, vt rectè Leſſius l. 2. c. 35. n. 117. & Bonac. q. 1. de ſimo. §. 1. n. 12. & in ſimili Regin. l. 23. n. 195. Imo vt pateat aditus ad ſic conciliandam beneuolentiam Antiſtitis, ex qua poſtea conferatur beneficium, fas eſſe dare pecuniam, rectè ſtatuit Leſſ. l. de Iuſt. c. 35. n. 109. Exemplum profertur,

tur, eius qui dat pecuniam Oeconomo Præsulis, vt admittatur in eius familiam id intendens, vt Præsuli per obsequia & officia charus factus, obtineat tandem ab eo beneficium. Hoc enim non est dare pecuniam pro beneficio, sed pro oportunitate demerendi Antistitem, & accipiendi gratis ab eo beneficium ex mera beneuolentia. Verum est, ea ratione sterni viam ad beneficium; sed non nisi valdè remotè & indirectè. Qua ferè ratione, sternitur via ad beneficium, cum is qui precibus aut muneribus obstat, ne adipiscar beneficium, auertitur ab ea iniquitate, numeratione pecuniæ; In qua numeratione, non esse simoniam quicquid Soto dicat l. 9. de Iust. q. 6. articulo 1. ad 5. rectè affirmat Lessius c. illo 35. n. 109.

36. Septimò, Simoniacum etiam est, pretio tollere vexationem eius qui potest prodesse in acquirendo beneficio; eligendo, confirmando, aliudue ad beneficium pertinens obeundo. Dixi *in acquirendo beneficio*, quia post obtentum iam beneficium, non est simonia, redimere vexationem iniustam, siue actu inferatur, siue probabiliter timeatur, quæ est doctrina Diui Thomæ 2. 2. q. 100. art. 2. ad 5. & multorum quos adducit & sequitur Layman l. 4. tract. 10. c. 8. n. 22. Imo est communis Theologorum in 4. d. 25. & Iurisperitorum quos citatè refert Suar. c. 50. n. 2. addens n. 6. & 13. etiamsi vexationis iniustæ redemptio, non sit ita necessaria moraliter, vt aliud remedium adhiberi nequeat, saltem absque magno dispendio; tamen dummodò redemptio sit via expeditior & facilior, fas esse secluso scandalo redimere vexationem, circa beneficij iam acquisiti indubitatum ac plenum, id est, vndecunque firmum ius, saltémque peritorum iudicio præcipuum. At si beneficium nondum sit obtentum, & agatur de tollenda vexatione iniusta in eius acquisitione, per eum qui potest prodesse, quatenus potest prodesse; id est quatenus abutens autoritate, non vult iustè suffragari quærenti beneficium, v. g. nolendo eligere, si agatur de electore; aut nolendo instituere, si agatur de eo ad quem pertinet institutio; (alia enim vexatio quam idem sub alia ratione posset facere, v. g. infamando, aut alios Electores auertendo, extranea est huic negotio; & pro ea tollenda posse dari pecuniam tradit Less. l. 2. c. 35. n. 107.) tunc ea redemptio vexationis, promisso vel numerato pretio, simoniaca est, quicquid dicat Gerso tract. de simonia ad 6. quanquam satis implexè loquitur. Censetur porrò posse prodesse, is ad quem spectat dare beneficium quod acquirendum est. Vnde si is ad quem spectat eligere, velit alterum indignum eligere, me prætermisso; non possum eam vexationem redimere; & vt ipse eligat, numerata pecunia efficere absque simonia. Et idem est de redemptione iniustæ vexationis, qua Prælatus per apertam iniuriam renuit me instituere. Hæc omnia esse simoniaca, constat ex cap. *Matthæus* de Simon. vbi quidam legitimè electus à multis, paucos qui in electionem non consenserant, pecunia donauit, ne ab eis vexaretur: quod ibi damnatur vt simoniacum. Eadem doctrina eruitur ex cap. *sicut tuis*, & ex cap. *de hoc* de simon. Et ita habet vsus receptissimus, & sensus vniuersalis Ecclesiæ, quoad omnes actus ad beneficij consecutionem interuenientes ante possessionem initam; putà electionem, præsentationem, nominationem, collationem, & confirmationem. Optimè circa patroni præsentationem, id tradit Sarisber. l. 7. Polycr. cap. 17. *sub finem*. Reiicit distinctionem propositam

CLASSIS QVARTA

Modorum Luis simoniacæ contrahendæ pro iuribus beneficio Ecclesiastico affinibus.

Hæc iura, sunt, ius ad rem circa beneficium, ius patronatus, & ius ad pensionem è beneficio. Circa quæ iura, labes simoniaca sæpè contrahitur; nec hîc omittenda fuerunt, quia hæc iura sunt quasi beneficia; & habitudinem ad verè & pressè dictum beneficium inuoluunt, cùm semper ad verum beneficium terminentur.

38. PRIMÒ ergo ex hoc capite, simonia admittitur, vendendo, aut emendo ius ad beneficium, vel quomodolibet paciscendo de eo, absque legitimi superioris facultate. v. g. habet quis ius ad rem circa beneficium aliquod, sed quo potiri non poterit & deuenire ad ius in re, absque lite quam tædet illum suscipere; Itaque alicui alteri quem litigare non pigeat, vendit ius suum, ea venditio & emptio simoniaca est, vt benè statuit Molanus in Theolog. pract. tract. 2. c. 37. concl. 1. n. 3. & Tol. l. 5. c. 90. n. 2. qui idem addit de duobus litigantibus circa vnum beneficium, quorum alter cedat iure suo, ob pecuniam ex pacto priuatim inito ab alio datam. Id enim simoniacum esse, perspicuum est. Tamen sicut permutatio beneficiorum coram Episcopo facta, vacat simonia; ita hæc permutatio iurium inchoatorum, siue inter duo talia iura, siue inter vnum eorum & beneficium aliquod, potest authoritate Episcopi honestari. Nam iura concedunt talem permutationem inter beneficia permutantium propria, quæ iam facta sint ipsorum: nec interdicunt permutatione annexorum beneficiis, qualia sunt hæc iura quæ aliunde habent, vt sint inuicem permutabilia absque simonia, cum sint spiritualia; dummodò sint transferibilia, nec sint tantùm personalia: quia in eis electa est conditio, seu qualitas, vel industria personæ. Sed si permutabilitas sit concessa ab eo qui potuit eam concedere, permutatio fieri poterit in manibus Episcopi. Itaque qui habet ius ad vnum beneficium per nominationem vel præsentationem, non potest ius illud tradere alteri, vt ab eo vicissim accipiat aliam nominationem, vel certè vnum beneficium, nisi accedat Episcopi authoritas. Ea verò accedente, & permutabilitate concessa, id poterit, vt post longam discussionem concludit Suares c. 31. num. 19.

39. Secundò, simoniacum est, vendere aut emere ius patronatus, vt benè Gigas q. 99. de pensi. n. num. 16. & Rocchus tract. de iure patron. parte vlt. q. 45. Est enim ius spirituale: vnde eius venditionem tanquam sacris Canonibus aduersantem damnat Conc. Trid. sess. 25. cap. 9. Immo iure diuino, ius patrona-

tus est inuendibile, latè probat Suar.cap.28.à num.7. nec repugnat S. Thomas cum 2.2. q.100. artic. 4. ait iuspatronatus posse vendi. Intelligendus enim est, non de iure ipso patronatus, quod spirituale est, sed de fundo temporali cui annectitur. v.g.de villa,aut castro, quæ constat vendi posse, & consequenter ius patronatus posse ad emptorem transmigrare, dummodò nihil plus accipiatur ratione illius; sicut fieret si venderetur calix consecratus. Cum huiusmodi ergo fundamento cui veluti adhæret, potest ius patronatus, absque Episcopi authoritate, transire ad emptorem fundamenti prædicti: non tamen ita vt in venditione fundamenti, habeatur ratio iuris patronatus ei affixi; & propter illud augeatur pretium. Quod non modò de venditione dicendum est,sed etiam de quocunque contractu humano in solutionem aut compensationem debiti temporalis,aut oneris cuiuscunque: vt notat Tabiena V. *Ius patronatus* à n.7. & Suar.c. illo 28.num.14.Si tamen ipsum ius patronatus per se transferretur in alium, quia scilicet non adhæret vlli fundo temporali, sed immediatè inest personæ; tunc non modò non posset vendi, vt certum est, cum sit spirituale, sed ne donari quidem liberaliter, nisi religioso loco. Donatio quippè eius, facta cuilibet alteri, exigit Episcopi consensum, alioqui est inualida. Non exigitur autem consensus ille, cum ius patronatus transit cum fundo quopiam, siue vendito, siue liberaliter donato: vel cum quis fit hæres patroni, etiamsi sit hæres voluntarius, & testatori planè extraneus. In eo tamen defectu consensus Episcopalis, eiúsve neglectu, nulla admittetur simonia, vt patere potest ex notione simoniæ.

40. Tertiò, Simoniacum est, vendere pensionem Clerico propriam, vt Clericus est: cuiusmodi est illa, ad quam Clericatus conditio deposcitur, vel quæ propter munus spirituale confertur. Quamuis enim iure diuino non esset simoniacum eas pensiones Clericorum proprias vendere, quæ absolutè & simpliciter dantur Clerico in ordine ad eius sustentationem, absque vllo respectu ad spirituale quodcunque ministerium; quam esse communem sententiam rectè contra Nauarrum consilio 59.& seqq. de simonia, statuit Suar.cap.26.n.7. Tamen iure Ecclesiastico nouo, illæ quoque pensiones Clericorum, spirituales factæ sunt;quippè grauatæ ministerio spirituali recitationis horarum Beatæ Virginis;atque adeò sunt factæ inuendibiles iure diuino,supponente quidem institutionem Ecclesiæ annectentis pensionem & ius ad eam tali ministerio spirituali: Ea tamen institutione supposita, illicò enascitur inuendibilitas ex natura rei; ac proinde eam vendere, est simoniacum. Id quod etiam dicendum est de huiusmodi pensione quæ non sit extinguenda, sed licitè & ex consensu Papæ transferenda in alium. Pro tali siquidem translatione, non licet accipere pretium: alioqui pensio quæ iam facta est spiritualis, venderetur; & translatio esset simoniaca. Rursus id æquè valet, si non accepta pecunia fiat translatio totius tituli pensionis reseruatis sibi fructibus, vel eorum parte. Aliud tamen erit si data facultate transferendi in alium pensionem & eius titulum spiritualem; is pene quem est translationem facere, nolit transferre totum titulum, sed eius partem duntaxat: (quod in pensionibus fieri posse, cum non sint indiuisibiles, sicut sunt beneficia, notat Suar. c. 28. num. 9.) Sic enim translato dimidia ex parte titulo, cum obligatione muneris spiritualis, hoc est recitationis

tionis officij Deiparæ; posset is qui transtulit, seruare sibi dimidia ex parte fructus, cum medietate tituli, absque simonia: quæ item apertè deesset, si retento toto titulo & obligatione illi annexa, placeat transferre in alium omnes fructus pensionis, pro tota vita pensionarij: qui in eo euentu, esset is duntaxat, qui retineret pensionis titulum: Vnde ipso moriente, pensio euanesceret. Solus igitur pensionis, id est, tituli, translatio pro pretio, simoniaca est æquè ac venditio.

41. Quartò, Simoniaca ex iuxta Suarem c. 28. n. 12. Garsiam p. 1. c. 5. n. 20. Binsfeldium in cap. de simonia q. 2. Flaminium l. 6. q. 2. n. 124. Sopranis tract. 42. c. 9. q. 7. Layman. l. 4. tract. 10. c. 8. n. 47. & 48. redemptio harum pensionum, sine consensu Pontificis. Sed contrarium tradit Tol. l. 5. c. 92. & Lessius l. de Iust. c. 35. n. 124. & Valent. 2. 2. d. 6. q. 16. p. 3. Valerus V. *Simonia* differentia 16. qui docent, absque alia facultate, redemptionem pensionis impositæ fieri posse, per solutis simul quinque annatis; quorum opinio nisi stylus curiæ obstaret, defendi posset, ex præsumpta licentia Pontificis, eam redemptionem partibus concedentis; cum non sit collatio vllius noui iuris pro temporali quod accipitur, sed tantùm sit extinctio iuris spiritualis præiacentis, quod dissolui sinitur, in qua dissolutione, & permissione pretio extorta, nulla cernitur simonia, si Papa annuat expressè, siue tacitè; ad quod sufficit vsus redimendi passim receptus, & sciente nec contradicente Pontifice vsurpatus, etiam in curia Romana, vt scribit Lessius. Quia tamen alij reclamant, & contrarium curiæ stylum allegant, præsertim Garcias supra, & Nauar. consil. 61. de Simon. ac Victorellus ad Toletum l. 5. c. 82. dicendum est, pensionem absque facultate Papæ redimi non posse, non modò sine inobedientia, vt Carbo admittit q 60. de restitutio. dicto 19. sed etiam quod ille negat, sine simonia: quæ in eo sita est, quod accipiatur pretium pro iuris spiritualis venditione ad illud extinguendum: cuiusmodi venditio, fieret ab eo qui pretium acciperet ad alicuius chartæ combustionem. Cum verò interuenit facultas Pontificis, anticipatæ illæ fructuum solutiones, quibus fit redemptio accipiuntur alio titulo quàm pretij, venditionis tituli ad eum destruendum. Si tamen pensio non redimeretur per extinctionem tituli, sed tantùm per anticipatam solutionem pensionum ad totam vitam pensionarij, titulum semper retinentis, & eius ministerio deinceps quoque grauandi: tunc in ea redemptione similitudinaria, (non enim esset vera redemptio pensionis, de qua proximè egimus, sed oneris soluendi annuatim fructus eius ob anticipatam conductionem omnium fructuum tota pensionarij vita colligendorum:) in tali inquam redemptione, non esset simonia, vel inhonestas per se loquendo, vt Suares quoque concedit c. 28. num. 19.

42. Egi porrò duntaxat hoc loco de pensionibus Clericalibus, quæ solæ spirituales sunt, atque adeò solæ sunt materia simoniæ. Pensiones autem laicas, quia sunt merè temporales, constat aliò pertinere, nec in eas cadere simoniam, quamuis aliis peccatis materiam præbere valeant; de quo l. 1. sect. 2. cap. 1. Antiquiores tamen, eodem modo de vtrisque pensionibus philosophantur: quia vtrasque habebant pro merè temporalibus, vnde etiam pensiones Clericales redimi posse sine simonia, concedebant: vt videre est apud Gigantem q. 87. de pension. vbi tamen num. 7. obseruat, hanc suo tempore apud plerosque fuisse

tus est inuendibile, latè probat Suar. cap. 28. à num. 7. nec repugnat S. Thomas cum 2. 2. q. 100. artic. 4. ait iuspatronatus posse vendi. Intelligendus enim est, non de iure ipso patronatus, quod spirituale est, sed de fundo temporali cui annectitur. v. g. de villa, aut castro, quæ constat vendi posse, & consequenter ius patronatus posse ad emptorem transmigrare, dummodò nihil plus accipiatur ratione illius; sicut fieret si venderetur calix consecratus. Cum huiusmodi ergo fundamento cui veluti adhæret, potest ius patronatus, absque Episcopi authoritate, transire ad emptorem fundamenti prædicti: non tamen ita vt in venditione fundamenti, habeatur ratio iuris patronatus ei affixi; & propter illud augeatur pretium. Quod non modò de venditione dicendum est, sed etiam de quocunque contractu humano in solutionem aut compensationem debiti temporalis, aut oneris cuiuscunque: vt notat Tabiena V. *Ius patronatus* à n. 7. & Suar. c. illo 28. num. 13. Si tamen ipsum ius patronatus per se transferretur in alium, quia scilicet non adhæret vlli fundo temporali, sed immediatè inest personæ; tunc non modò non posset vendi, vt certum est, cum sit spirituale, sed ne donari quidem liberaliter, nisi religioso loco. Donatio quippè eius, facta cuilibet alteri, exigit Episcopi consensum, alioqui est inualida. Non exigitur autem consensus ille, cum ius patronatus transit cum fundo quopiam, siue vendito, siue liberaliter donato: vel cum quis fit hæres patroni, etiamsi sit hæres voluntarius, & testatori planè extraneus. In eo tamen defectu consensus Episcopalis, eiúsve neglectu, nulla admittetur simonia, vt patere potest ex notione simoniæ.

40. Tertiò, Simoniacum est, vendere pensionem Clerico propriam, vt Clericus est: cuiusmodi est illa, ad quam Clericatus conditio deposcitur, vel quæ propter munus spirituale confertur. Quamuis enim iure diuino non esset simoniacum eas pensiones Clericorum proprias vendere, quæ absolutè & simpliciter dantur Clerico in ordine ad eius sustentationem, absque vllo respectu ad spirituale quodcunque ministerium; quam esse communem sententiam rectè contra Nauarrum consilio 59. & seqq. de simonia, statuit Suar. cap. 26. n. 7. Tamen iure Ecclesiastico nouo, illæ quoque pensiones Clericorum, spirituales factæ sunt; quippè grauatæ ministerio spirituali recitationis horarum Beatæ Virginis; atque adeò sunt factæ inuendibiles iure diuino, supponente quidem institutionem Ecclesiæ annectentis pensionem & ius ad eam tali ministerio spirituali: Ea tamen institutione supposita, illicò enascitur inuendibilitas ex natura rei; ac proinde eam vendere, est simoniacum. Id quod etiam dicendum est de huiusmodi pensione quæ non sit extinguenda, sed licitè & ex consensu Papæ transferenda in alium. Pro tali siquidem translatione, non licet accipere pretium: alioqui pensio quæ iam facta est spiritualis, venderetur; & translatio esset simoniaca. Rursus id æquè valet, si non accepta pecunia fiat translatio totius tituli pensionis reseruatis sibi fructibus, vel eorum parte. Aliud tamen erit si data facultate transferendi in alium pensionem & eius titulum spiritualem; is penes quem est translationem facere, nolit transferre totum titulum, sed eius partem duntaxat: (quod in pensionibus fieri posse, cum non sint indiuisibiles, sicut sunt beneficia, notat Suar. c. 28. num. 9.) Sic enim translato dimidia ex parte titulo, cum obligatione muneris spiritualis, hoc est recitationis

tionis officij Deiparæ; posset is qui transtulit, seruare sibi dimidia ex parte fructus, cum medietate tituli, absque simonia: quæ item apertè deesset, si retento toto titulo & obligatione illi annexa, placeat transferre in alium omnes fructus pensionis, pro tota vita pensionarij: qui in eo euentu, esset is duntaxat, qui retineret pensionis titulum: Vnde ipso moriente, pensio euanesceret. Solus igitur pensionis, id est, tituli, translatio pro pretio, simoniaca est æquè ac venditio.

41. Quartò, Simoniaca est iuxta Suarem c. 28. n. 12. Garsiam p. 1. c. 5. n. 20. Binsfeldium in cap. de simonia q. 2. Flaminium l. 6. q. 2. n. 124. Sopranis tract. 42. c. 9. q. 7. Layman. l. 4. tract. 10. c. 8. n. 47. & 48. redemptio harum pensionum, sine consensu Pontificis. Sed contrarium tradit Tol. l. 5. c. 92. & Lessius l. de Iust. c. 35. n. 124. & Valent. 2. 2. d. 6. q. 16. p. 3. Valerus V. *Simonia* differentia 16. qui docent, absque alia facultate, redemptionem pensionis impositæ fieri posse, per solutis simul quinque annatis; quorum opinio nisi stylus curiæ obstaret, defendi posset, ex præsumpta licentia Pontificis, eam redemptionem partibus concedentis; cum non sit collatio vllius noui iuris pro temporali quod accipitur, sed tantùm sit extinctio iuris spiritualis præiacentis, quod dissolui sinitur, in qua dissolutione & permissione pretio extorta, nulla cernitur simonia, si Papa annuat expresè, siue tacitè; ad quod sufficit vsus redimendi passim receptus, & sciente nec contradicente Pontifice vsurpatus, etiam in curia Romana, vt scribit Lessius. Quia tamen alij reclamant, & contrarium curiæ stylum allegant, præsertim Garcias supra, & Nauar. consil. 61. de Simon. ac Victorellus ad Toletum l. 5. c. 82. dicendum est, pensionem absque facultate Papæ redimi non posse, non modò sine inobedientia, vt Carbo admittit q 60. de restitutio. dicto 19. sed etiam quod ille negat, sine simonia: quæ in eo sita est, quod accipiatur pretium pro iuris spiritualis venditione ad illud extinguendum: cuiusmodi venditio, fieret ab eo qui pretium acciperet ad alicuius chartæ combustionem. Cum verò interuenit facultas Pontificis, anticipatæ illæ fructuum solutiones, quibus fit redemptio accipiuntur alio titulo quàm pretij, venditionis tituli ad eum destruendum. Si tamen pensio non redimeretur per extinctionem tituli, sed tantùm per anticipatam solutionem pensionum ad totam vitam pensionarij, titulum semper retinentis, & eius ministerio deinceps quoque grauandi: tunc in ea redemptione similitudinaria, (non enim esset vera redemptio pensionis, de qua proximè egimus, sed oneris soluendi annuatim fructus eius ob anticipatam conductionem omnium fructuum tota pensionarij vita colligendorum:) in tali inquam redemptione, non esset simonia, vel inhonestas per se loquendo, vt Suares quoque concedit c. 28. num. 19.

42. Egi porrò duntaxat hoc loco de pensionibus Clericalibus, quæ solæ spirituales sunt, atque adeò solæ sunt materia simoniæ. Pensiones autem laicas, quia sunt merè temporales, constat aliò pertinere, nec in eas cadere simoniam, ... aliis peccatis materiam præbere valeant; de quo l. 1. sect. 2. cap. 1. Antiquiores tamen, eodem modo de vtrisque pensionibus philosophantur: quia vtrasque habebant pro merè temporalibus, vnde etiam pensiones Clericales redimi posse sine simonia, concedebant: vt videre est apud Gigantem q. 87. de pension. vbi tamen num. 7. obseruat, hanc suo tempore apud plerosque fuisse

commodam viam vendendi beneficia, propter fraudem qua inter resignandum paciscebantur de pensione, & eius redemptione, eo numero pensionum à redimente simul exhibendum constituto, qui æquaret beneficij valorem si venderetur.

CAPVT TERTIVM.

Luis simoniacæ in beneficiis hactenus in Classes varias digestæ, virulentia atque malignitas, penes internas ac externas eius causas.

1\. LVEM ac pestem meritò appellaui hanc simoniam, post Lucium Papam cap. *sicut*. de simonia, quia nihil faciliùs serpit & perdit Ecclesiam, quàm hæc iniquitas. Quam etiam ob causam 1. q. 1. ex Ambrosio vel potiùs ex Concilio Toletano 8. cap. 3. vocari poterit *vulnus cancrosum*: quod dictum est ob illam ipsam rationem, ob quam Apostolus, hæresim, quia perdit animas & facillimè serpit, nomine cancri donauit. Et quanquam hæc de simonia vniuersè sint dicta, tamen nemo non experitur in dies quàm hæc vera præsertim sint de simonia circa beneficia, & iura eis affinia, quæ præ cæteris simoniæ modis frequentissima est, & latissimè diffusa, in tanta beneficiorum & iurium eis affinium multiplicitate, & tam flagranti eorumdem captatione per mortales.

Qui hactenus malignitatem simoniæ in beneficio, exagitarint.

2\. OPeræ pretium ergo est, malignitatem eius demonstrare, iis ad hanc simoniam accommodatis, quæ vniuersè de simoniæ absolutè dictæ detestabilitate & nequitia, à variis sunt tradita. Patres varij in eam rem à Gratiano. 1. q. 1. annotantur. Et qui præterea in suo Indice vniuersali. V. *Simoniaci*, alleget eam in rem, tractatum Gennadij Constantinopolitani. Sed quanquam Gennadius ille in Concilio Constantinopolitano, celebrato anno Christi 459. (cuius vix vnus Canon contra Simoniacos reliquis planè deperditis apud Balsamonem post Photij Nomocanonem superest); contra Simoniacos egerit; tractatus tamen illius de eo argumento, extra illum Indicem nusquam comparet. Sæpè in Simoniacos agit Sanctus Gregorius, vt hom. 17. in Euang. variisque locis infra signandis, agendo de huius peccati genere, an sit hæresis. Multus item in hoc scelere exagitando est Pet. Dam. Opusc. 6. cuius titulus est *gratissimus* & l. 1. epistola 13. & Autor sermonis 37. ad Eremitas. Et quamquam hi Patres videntur tantùm agere de simonia in collatione & receptione ordinum: tamen ea simonia, cum hi Patres scribebant, nexa arctissimè erat cum simonia erga beneficium Ecclesiasticum, vt intelligitur ex hoc

Petri

Petri Damiani discursu l. 1. epistola 13. [Cum aliquid sub venalitate suscipitur, & illud procul dubio comparatur, quod ex necessitate subsequitur. Ad hoc enim pastoralis Ecclesia cuique committitur, vt ad eius regimen obtinendum, consecratione firmetur; & ad hoc sine dubio collatæ pecuniæ commercium spectat, ad quod is qui est promouendus, aspirat. Hinc est planè, quod non solùm qui maioribus præferuntur Ecclesiis, sed & illis quoque qui vel plebes agrorum, vel canonicales præbendas per interuentum pecuniæ pestilenter, accipiunt, simoniacæ hæreseos tendiculas non euadunt. Per id enim quod venaliter assequuntur, ad sacrorum graduum ordines tendunt; & tunc iam destinantur ad ordines, cum illa suscipiunt; per quæ scilicet ad obtinenda sacrorum graduum incrementa pertingunt. Initiatur enim ad dignitatis ordinem, qui ad obtinendam ordinis constituitur dignitatem.] Latè idipsum confirmat Duarenus l. 1. de sacris minist. c. 16. ex Conciliis Chalcedonensi & Placentino, vetantibus ordinationes absque titulo, vt refert Gratianus dist. 70. Quin etiam apud priscos Latinitatis authores, vt Suetonium in Vespasiano & Domitiano, *ordinari* idem est quod prouehi ad Magistratum vel gradū aliquem; sicut verè prouehuntur beneficiarij. Vt proinde meritò, & olim apud Patres, & aliquando in iure, vt Gratianus post cap. *a liicimus* 16. q. 1. admonuit, Ordinatio idem sonet quod promotio ad beneficium Ecclesiasticum. Proferemus plura in hanc rem infra c. 9.

3. E recentioris æui scriptoribus tractauit simoniæ huius virulentiam, Aluarus Pelagius lib. 2. de planctu Eccles. artic. 9. & Carthusianus l. 1. de Simonia artic. 3. tomo 1. Opusc. minorum deflorato Guilielmo Peraldo, qui diffusiùs prosecutus est idem argumentum, Tomo posteriore suæ summæ, qui est de vitiis tract. 4. parte 2. capite 7. laudatus eam in rem à Binsfeldio in Enchirid. tract 4. cap. 4. Sed per errorem satis vulgarem, dictus ab eo Lugdunensis Episcopus, quem Ioannes Gerson eius ferè æqualis, nunquam fuisse Episcopum, & priuatam vitam egisse, disertè prodidit, collaudato magnificè eius opere prædicto, t. 1. lib. de examinat. doctrinarum parte 1. principali consideratione. 4. Quanquam vt hoc obiter addam, multipliciùs quoque hallucinatus est Trithemius, qui Gulielmum Peraldum, secernit à Gulielmo Episcopo Lugdunensi; & vtrisque adscribit eadem ferè opera. Sed hæc obiter, occasione operis quod loco allegato à Carthusiano defloratum dixi, iis in pauca contractis quæ Peraldus diffuderat. Ex nostri æui scriptoribus Simoniæ fuliginem rectè expressit Stapletonius orat. 9. Academ. & Petrus le Vieil, iusto Opere de hoc argumento, ac Hugo Burlatus l. de astutiis vulpeculæ demolientis vineam, necnon Ioannes le Lieure, libro cui titulus est, *Infernus simoniacorum*. Ego malignitatem huius simoniæ, ad quam me restringit Scopus & argumentum huius operis, persequar primùm ex eius natura, & causis extrinsecis: alia deinde in eandem rem, ex eius effectibus moralibus subiuncturus.

Simoniæ virus, ex violatione Religionis.

4. HVius ergo nequitiæ naturam, necesse est ex obiecto petere; aut quod eodem recidit, ex virtute cui aduersatur. Hæc autem non

alia est, quàm Religio, moralium virtutum suprema. Ad Religionem quippe pertinet, vt Deum colere, sic quæ ad diuinum cultum pertinent, reuerenter tractare: Peccatum ergo quo res sacræ diuino cultui addictæ irreuerenter habentur, & perinde ac profanæ tractantur, Religioni aduersatur. At peccato simoniæ rem sacram indignè tractari & profanari, perspicuum est; quandoquidem in eo sita est simonia, quod res sacra & supernaturalis, detur aut accipiatur pro temporali, in qua commutatione magna rei sacræ depreciatio cernitur. Æquiparatur enim ei res temporalis, quæ subtus spiritualem, immenso iacet interuallo. Siquidem pretium æquare debet valore rem pro qua datur: acproinde in æstimatione vendentis aut commutantis rem spiritualem pro temporali, non pluris est res spiritualis, quàm temporalis, quæ est indignissima rei sacræ tractatio,& sacrilega eius vilipensio ac dehonestatio. Vel si pretium quandoque non consistit in arithmetica æqualitate cum mercibus; tamen semper debet habere cum eis proportionem;quandoquidem compensatur per pretium. At æstimare res temporales proportionabiles spiritualibus, indignissima est rei spiritualis & sacræ ac suo modo supernaturalis vilipensio. Quis enim non vile putat esse quod venditur, vt dixit Hormisdas Papa epistola ad Episcopos Hispaniæ, contra simoniacos. Et optimè idem attigit S. Hieronymus Matth. 10. ad illud, *Gratis accepistis, gratis date:* Eodem recidit illud S. Gregorij l. 7. epistola 110. fit seculare per simoniam, quod sacrum est. Et epist. 113. Quis non vile putet esse quod emitur?

5. Hæc generalis simoniæ labes, in Simone Mago à Sancto Augustino notata tract. 10. in Ioan. *sub initium*, locum manifestè habet in simonia circa beneficia. Per eam quippè, res spirituales & sacræ distrahuntur temporali pretio, de quo nulla erit ambiguitas, si constet beneficia esse rem sacram & spiritualem. Hoc de eorum titulo est manifestum. Est enim ius, cum ministrandi in sacris functionibus, tum percipiendi emolumenta eam ob causam debita. Quod ius, cum ad rem spiritualem, hoc est ad sacras functiones terminetur, non potest non esse spirituale. Res autem temporales quæ beneficio sunt annexæ, meritò item censentur spirituales; quia licet entitatiuè sint materiales & corporeæ, tamen connectuntur cum sacro ministerio; quod satis est; vt sacræ sint & habeantur. Sic enim aliæ res materiales & naturales ob connexionem cum re sacra, habentur sacræ & supernaturales. V. G. in calice consecrato, materia quæ apertè est naturalis, connectitur cum consecratione vt cum forma, & induit supernaturalitatem aliquam: ita vt nefas habeatur, eam profanè & irreuerenter tractare. Nec aliter comparatur materialis ablutio ad rationem sacramenti in baptismo, vel species panis & vini, ad verba sacra, & Christum quem continent. Ius item patronatus, idcircò tantùm habetur sacrum, quia comparatur ad beneficium tanquam principium attingendi, ad terminum attingendum. Ob eandem igitur causam, quia beneficium datur propter officium siue ministerium spirituale meritò existimatur, beneficium siue censum materialem ac corporeum, ministerio sacro constitutum, esse aliquid spirituale; quandoquidem comparatur ad ius & ministerium spirituale, tanquam effectus ad causam suam. Ex hoc igitur huius simoniæ obiecto spirituali & religioso; nequiter per eam violato & indignè habito, perspicuum fit, hanc simoniam

niam esse sacrilegium & vitium contra Religionem, vt affirmabam; agnoscitque apertè Tertull. cap. 39. Apologetici, cum de præfectura Ecclesiastica ait. [Præsident probati quique Seniores; honorem istum non pretio, sed testimonio adepti. Neque enim pretio, vlla res Dei constat. [

Qui Simoniam hæresim esse & fidem violare insinuent.

6. Videri poterunt repugnasse plerique Patres & Doctores, nominatimque Iacobatius l.4. de conc. artic. 4. tit. de Simoniaco, Textus & Glossa ad c. quicunque 1. q. 1. Felinus & Lambertinus adducti à Ioanne Gutierres l. 2. cano. qq. c. 23. n. 3. qui de simonia loquuntur, tanquam de hæresi quadam: & simoniacam hæresim inter detestabilissimas hæreses recensent; non eo tantùm sensu quo cloaca hæreseon variarum Simonis Magi, appellatur quandoque nomine *hæreseos Simonianæ*, vt videre est apud Epiphanium hær. 21. & apud Nazianzenum orat. 44. *initio*, vbi Nicetas; necnon apud Augustinum l. ad quod vult Deum hær. 1. & ante hos omnes apud Irenæum l. 1. cap. 20. Tertullianum de præscript., c. 33. & 46. ac Iustinum apol. 2. & alios. Non inquam eo tantùm sensu, simonia est hæresibus annumerata; sed eo etiam sensu qui est huius negotij proprius, hoc est agendo de emptione & venditione rerum sacrarum, qualem exercere voluit cum Beato Petro Simon Magus Actorum 8. Vnde factum est, vt omnes eodem mercimonij genere fœdati, denominati sint Simoniaci, sicut venditores, à venditione per Giezi, dicti sunt *Giezitæ*, ex Diuo Thoma 2. 2. q. 100. art. 1. ad 4. Hoc igitur sensu, hæreseos Simoniacæ meminit sæpè Gregorius, nominatim l. 4. registri Epistola 51. & optimè l. 7. Epistola 110. vbi nequitiam simoniacam qua per pecuniam irrepitur ad sacrum ministerium, vocat hæresim, ante omnes radice pestifera exortam, atque in ipsa sua origine, Apostolica detestatione damnatam. Retulit eum locum Gratianus cap. *cum liqueat* 1. q. 1. quod item habetur ibid. c. *presbyter* & cap. *statuimus*, & cap. *eos* nec semel alibi, eadem q. Sed grauissimè cap. *patet*, 1. q. 7. quod est è Paschali Papa depromptum. Eius epistolam de hoc argumento, ad Mediolanenses, descripsit magna ex parte Luitprandus de vitis Rom. Pont. *in Paschali*; & in ea, disertè simonia incusatur hæreseos.

Eodem modo, Simoniam hæreseos labe maculat Gaufridus Vindoc. opusc. 3. qui hanc dicti sui rationem profert. [Nihil aliud propriè hæresis dicitur, nisi quod à Patris vnitate Filium, siue Spiritum sanctum conatur separare; vel personarum alteram altera minorem, vel maiorem asserere. Igitur Simon Magus, non tantùm hæreticus, sed hæreticorum primus & pessimus extitit; qui non solùm à patris æqualitate separari posse Spiritum sanctum existimauit, sed etiam ipso Spiritu sancto major esse, præsumptuosè tentando cupiuit. Nam cum se posse pecunia possidere Spiritum sanctum putauit, quid appetiit aliud, nisi vt Spiritu sancto maior ipse haberetur; cùm maior sit qui possidet, quàm quod possidetur? Cum itaque Patris, & Filij, & Spiritus Sancti personas, inæquales quilibet nititur adstruere, ratione pariter & autoritate, hæreticus habeatur; multò magis Simon Magus, qui Spiritum sanctum Deo Patri & Filio æqualem per omnia, sibi pecunia subiicere tentauit, hæreticus; & simonia

quæ ab ipso inuenta est, & ab eo dicitur, hæresis comprobatur.] Non dissimiliter Philosophatur Opusc. 10.

Annuit Petrus Damiani variis locis, sed nominatim l. 1. epistola 13. Optimè verò Opusc. 30. cap. 1. verbis illis. [Anathematizamus itaque, & irrecupabiliter condemnamus Simoniacam hæresim, primam omnium hæreseon eximis Diaboli visceribus erumpentem, seséque aduersùs nascentis Ecclesiæ regulam exitialiter extollentem. Quæ nimirum ad huc ex ipso Diaboli felle progreditur, & in perditionis filios pestilentissimè deriuatur. Cuius scilicet authori, per Petrum dicitur. *In felle amaritudinis, & in obligatione peccati, video te esse.* Quia verò fel columba non habet; Spiritus autem sanctus in columbæ specie super Dominum venit, isque amaritudine fellis intumuit, columbini spiritus Capax esse non potuit. Quapropter omnes huius nefandæ hæreseos peste correptos, hæreticos esse indubitanter asserimus.] Idem Opusc. 6. cap. 30. [A Simoniacis, hæreseos notam propulsare non possumus.] Apud eundem Vido Mediolanensis Antistes, Simoniacam rerum sacrarum venalitatem, appellat hæresim, nec non Arialdus Diaconus ibidem adductus, & apud eundem S. Romualdus in eius vita cap. 35. Apertissimè idem tradit Ioan. Sarisber. lib. 7. polycrat. c. 19.

Nec dici potest, hos Autores sumere latiùs nomen *hæreseos*; quod sonare videntur verba Petri Damiani Opusc. illo 6. cap. 30. vbi hæreticorum aliquos, ait esse rectæ fidei, & idcirco in suis gradibus esse recipiendos, cuiusmodi ait fuisse Nouatianos, nec diffitetur quin simoniaci inter hos hæreticos possint numerari. Hæc inquam euasio non est solida. Nam Nouatianos fuisse verè ac propriè hæreticos, est extra dubium: nec potest vel in cogitationem cadere, quod quis sit hæreticus rectæ fidei. Igitur si Simoniaci hæretici sunt, nequeunt esse rectæ fidei; & eorum culpa impetet immediatè Deum, quippè aduersans fidei Theologicæ tendenti immediatè in Deum; Non ergo est tantùm culpa contra religionem, vt asfirmabam.

Exponuntur; & quatenus Simonia posset fidem impetere, aperitur, exemplo hæreseos Neophytorum.

7. NOn est tamen difficile ista repellere. Neque enim mens Autorum prædictorum est, quamcunque simoniam ex propriè dicta hæresi perpetrari; quod esset falsum, vt rectè statuit Gerso tract. de Simo. ad 7. Ac ne illud quidem verum est, quod ibi addit Gerso, nempe omnem simoniacum, præsumptione iuris vel operis, haberi posse in fide suspectum, & eatenus simoniam appellari posse hæresim. Neque hoc inquam puto verum: Constat enim plerosque per simoniam cadentes, habere apertos oculos, nec vlla ratione præsumi de eis rationabiliter posse, quod circa fidem erroneum iudicium eliciant. Igitur eorum commercium Simoniacum non initur ex iudicio hæretico. Sed tantùm cum nefariæ voluntati emendi spiritualia, adiungitur pertinax, & obfirmatum iudicium liberum, quod ea venditio, quicquid Ecclesia in contrarium edicat, honesta sit. Quod optimè expressit Petrus Dami. Opusc. 5. *sub initium*, cum ait, Nicolaitas Clericos quatenus contra Ecclesiæ edicta fœminis

nis miscebantur, fuisse fornicatores tantùm; ac prout eam turpitudinem velut authoritate defendebant; id est prout obfirmatè patrocinabantur sceleri,& malum dicebant bonum, fuisse hæreticos. Vitium quippè in hæresim vertitur, cum peruersi dogmatis assertione firmatur. Quod ipsum disertè tradit de Simonia l. 1. epistola 13. impugnans dogmatizantes licitum esse emere beneficia, prout habent redditus temporales. [Qui si hoc simpliciter, prout sibi videretur, exprimerent, stulti, vel hebetes meritò dicerentur: Sed quoniam nonnulli talium, id procaciter astruunt, & quibusdam cauillationum, argumentorúmque versutiis peruicaciter allegare contendunt, non immeritò, (quod inuiti dicimus), hæreticorum nomen incurrunt. Non enim error hæreticum, sed peruicax obstinatio facit. Nec omnes hæretici dicendi sunt; qui opinantur errorem; sed qui pertinaciter & audacter prædicant falsitatem..] Addit hos esse prædicatores Satanæ, & Apostolos Antichristi. Vides ergo, quo sensu Patres prædicti, simoniam insimulent hæreseos.

8. Simile est quod S. Gregorius, Neophytos damnat hæreseos: nimirum quia peccatum ambitionis quod absque hæresi possent admittere, per hæresim propugnabant. Labuntur autem qui putant, apud S. Gregorium hæresim. Neophytorum eandem fuisse cum Simoniaca, quod censuit Suar. l. de Simon c. 1. num. 5. allegans Glossam c. *quisquis* 2. q. 1. affirmantem, Simoniacam eandem esse cum Gregoriana hæresi Neophytorum, quia à Simone recens baptizato, atque adeò Neophyto primùm vsurpata est in Christiana Ecclesia. Et idem habet Martinus in Margarita Decreti V. *Neophitus*. Verùm mens S. Gregorij, est apertissimè alia. Nam l. 7. epistola 5. postquàm grauissimè admonuit Brunichildem de Simoniaca hæresi exterminanda, addit de Neophytis. [Sed & hoc curæ vobis sit, vt quia sicut nostris, Neophytum egregius prædicator ad Sacerdotij regimen omnino vetat accedere, nullum ex laico patiamini Episcopum consecrari. Nam qualis magister erit, qui discipulus non fuerit? Aut quemadmodùm ducatum gregi dominico præbeat, qui disciplinæ pastoris subditus ante non fuerit? Si cuius ergo vita talis constiterit, vt ad hunc dignus sit ordinem promoueri, priùs ministerio debet Ecclesiæ deseruire: quatenus longæ exercitationis vsu, videat quod imitetur, & discat quod doceat: ne fortè onus regiminis conuersionis nouitas non ferat, & ruinæ occasio de prouectis in immaturitate consurgat.] Expressiùs etiam ibidem epistola 110. [Hoc quoque ad nos peruenit, non dissimili dignum detestatione complectimur: quòd quidam desiderio honoris inflati, defunctis Episcopis tonsurantur, & fiunt repentè ex laicis Sacerdotes: atque inuerecundè religiosi præpositi ducatum arripiunt, qui nec adhuc esse milites didicerunt. Quid putamus quod isti subiectis præstituri sunt, qui antequàm discipulatus lumen attingant, tenere locum magisterij non formidant? Qua de re necesse est, vt quamuis inculpati quisque sit meriti, antè tamen per distinctos ordines Ecclesiasticis exerceatur officiis. Videat quod imitetur; discat quod doceat; informetur quod teneat, vt postea non debeat errare, qui eligitur viam erranti demonstrare. Diu ergo religiosa meditatione poliatur, vt placeat, & sic lucerna super candelabrum posita luceat, vt aduersa ventorum vis irruens, conceptam eruditionis flammam non extinguat, sed augeat. Nam cùm scriptum sit, vt priùs quis probetur, & sic mi-

niſtret: multo ampliùs antè probandus eſt, qui populi interceſſor aſſumitur, ne fiant cauſa ruinæ populi; ſacerdotes mali: Nulla igitur contra hoc excuſatio, nulla poteſt eſſe defenſio, quia cunctis liquidò notum eſt, quæ ſit in huius rei negligentia egregij ſollicitudo Doctoris, qui Neophytum ad ordines vetat ſacros accedere. Sicut autem tunc Neophytus dicebatur, qui de nouo in ſancta fidei erat conuerſatione plantatus; ſic modò Neophytus habendus eſt, qui repente in religionis habitu plantatus, ad ambiendos honores ſacros irrepſerit. Ordinatè ergo ad ordines accedendum eſt. Nam caſum appetit, qui ad ſumma loci faſtigia, poſtpoſitis gradibus per abrupta quærit aſcenſum. Et cùm idem Apoſtolus doceat, inter alia ſacri ordinis inſtituta diſcipulum; manum non eſſe cuiquam citiùs imponendam, quid hoc celerius, quidue præcipitatius, quàm vt exoriatur à ſummitate principium, & ante eſſe incipiat Epiſcopus, quàm miniſter.] Addit alia præclarè in eam præproperam admotionem laicorum ad Eccleſiæ gubernacula. Horum ergo ambitio, ex ſe & ſimpliciter ſpectata, non erat hæreſis. Adiunctum tamen eſt ei peccato crimen hæreſis, cum contigit pertinaciter aliquos contra Apoſtoli edictum & iudicium Eccleſiæ velle eam Neophytorum promotionem iudicare innoxiam. Idem ergo eſt de Simonia, vt notauit Gerſo tract. de Simonia *in fine* Extat t. 2. Reciditque eodem, quod ait Nicol. de Clamengis Opuſc. contra Præſules Simoniacos, dicens ſimoniam vocari hæreſim, quia ſubditi videntes Epiſcopos impudẽter exercere ſimoniam, cenſent eam licitam, quod eſt hæreticum. Illuſtare idipſum poſſumus, per ea quæ de inueſtituris ait Ioannes Lugdunenſis epiſtola apud Iuonem 237. negans eſſe propriè hæreſim velle inueſtiri a laico: admittens tamen fore hæreſim, ſi dicatur ſic fieri debere. Adde etiam, ſi dicatur licere ita facere. Idem ergo eſt de Simonia.

Grauitas Simoniæ ex profanatione religionis, & venalitate Spiritus Sancti.

9. EST igitur Simoniæ nequitia, non fidei, ſed religioni contraria: quippè quæ in rei religioſæ ac ſacræ profanationem fertur, eiuſque vilipenſionem magnam & depreciationem continet: quæ eſt iniquitas maxima, & atrox; vt inde facile eſt æſtimare, quod per religionem, & cultum ab ea delatum, Deo tributum per nos debitum rependimus; eumque honoramus; quo honore nihil nobis ſalubrius poteſt obtingere. Tanti itaque cuſtodi virtutem impetit ſimonia: quæ in Deum quoque iniuriam refundit, vendibile faciens quod Deus diſpenſatum voluit gratuitò, vt S. Ambroſius l. de dignit. ſacerd. c. 5. latè proſequitur, agens de ſimonia in ordine. Speciale verò eſt ſimoniæ circa beneficia, quod malis miniſtris contaminat Eccleſiam; & vt Rupertus l. in Ioſue c. 21. ratiocinatur, turbat eam turbatione magna, eique conſimili, qua Achan auri cupidus turbauit Iſraëlem, accipiens de anathemate, cui eſt perſimile aurum mundi, quod in baptiſmo anathematizauimus. [Ecce autem (exclamat Rupertus), de nobis exierunt quàm plurimi imitatores Achan de tribu Iuda: qui videlicet fidem profitentes Catholicam, quod eſt eſſe, vel dici de tribu Iuda (Iuda quippè *confeſſio* interpretatur,) tulerunt de iſto anathemate, & furati ſunt, atque mentiti, & abſconderunt, atque inter vaſa ſua repoſuerunt. Dum enim

enim sub specie pietatis, pulchri incedentes atque religiosi, auaritiæ student, quæ est simulachrorum seruitus, & cuncta militiæ spiritualis faciunt venalia, quid aliud quàm anathema furantur, & mentiuntur & abscondunt inter vasa sua, imò inter conscientias suas? Hanc malitiæ radicem, & huius fellis amaritudinem, primùm in Simone Mago per os Beati Petri Apostoli, vniuersa Christi Ecclesia terribiliter anathematizat, & hæreticam esse hydriam iudicat. *Non ergo*(inquit dominus) *poterit Israel stare ante hostes suos, eosque fugiet, quia pollutus est anathemate.* Vbi enim in sacerdotibus, vel eis qui præsunt auaritia regnat, & principatum obtinet pecunia: hi qui sunt Israel, arma virtutum contra vitia tenentes, & prout oportet arguere, obsecrare volentes, stare non possunt contra hostes liberè repugnant quippè, quos pecunia tuetur, vt de vitiis suis aliquando non saltem impunè arguantnr. Vnde & apud Euangelistam Matthæum. Pulchro mysterio dictum tenemus, quia cum dominus noster facto de funibus flagello, vendentes & ementes de templo eiecisset, tunc demum *accesserunt cæci & claudi ad eum in templo, & curauit eos.* Non priùs cæcos & claudos curauit, quàm illos latrocinantes de spelunca eiecit, quia videlicet, non vitia curari, nec virtutes possunt illustrari, nisi priùs Mammon de cordibus sacerdotum, aut ipsi sacerdotes cum illo Deo suo de templo Dei fuerint eiecti. Hoc (inquam) futurum erat, & idcircò vtiliter præmonstrandum erat in illo vno Achan, qualis quanta secundùm nomen eius, quod interpretetur *tumultus*, vel *turbator*, cunctis imitatoribus eius turbatio vel pœna sit reposita. Accedit quod causa sunt ruinæ populi sacerdotes mali, vt in hác ipsam rem dixit S. Gregorius 5. epistola 63. Quis enim pro populi se peccatis intercessor obiiciat, si Sacerdos qui exorare debuerat, grauiora committat? Alludit ad illud Sacerdotis Heli ad filios degeneres & irreligiosos. *Si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus. Si autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo?* At non minor est irreligiositas, & sacrilega nundinatio sacrorum hominum simonia inquinatorum. Quomodo ergo orabunt pro populo, eique placabunt Deum?

10. Itaque meritò Sanctus Gregorius, cladem vniuersæ Prouinciæ ac regno ab hac nequitia timebat. Nam quid aliud manet prouinciam ac regnum, cui Deus pro quotidianis culpis non placatur, præter exitium præsentissimum, certámque ruinam? Non placatur autem, vbi tales erunt sacri homines, qui ius ad sacra ministeria Dei placatiua comparent pecuniis, vendituri mox quod emerint, vt S. Gregorius benè aduertit, & de Simone Mago dixit S. Augustinus. Tract. 10. in Ioan. Tanti est, per sacrilegiam & irreligiosam profanitatem, pessum dedisse, & in vtilitatem ac nihilum deiecisse cultum Dei, eique addictam religiones, transmutando sacros hominem, & plebis ac Dei destinatos mediatores, in fœdos nundinatores ac turpis lucri cupiditati res sacras miserè postponentes mercatores, qui semper sunt ex indignioribus ac deterioribus eligendi, cum ferè abundent pecuniis, qui minùs sunt à virtute & condignitate sacrorum munerum constituti. Ita planè fit per simoniam circa beneficia. Et hac ratione Simoniaci dicuntur peccare in Deum, nempè mediatè tantùm, & eo proportionaliter modo, quo religio dicitur in Deum tendere, quamuis immediatè & proximè tendat in cultum Dei.

11. Nec qualiscunque contra Religionem culpa visa est Patribus quæ per

simoniam in beneficio admittitur, sed longè supra cætera sacrilegia eminere hanc profanitatem censetunt. Concilium sanè viginti duorum Episcoporum præside S. Chrysostomo ita censuit vt scribit in dialogo de eius vita Palladius, cum Eusebius Valentinopolitanus Episcopus libellum obtulisset contra Antoninum Ephesinum Episcopum septem atrocibus culpis grauantem, prædictum Antoninum; Nam & fusis sacris vasis, argentum in nomine filij deposuisse dicebatur: & sumptum de ingressu Baptisterij marmor, in suo balneo posuisse: & columnas Ecclesiæ subductas intra suum erexisse triclinium; & cædem à ministro suo patratam dissimulasse: & prædia à Basilina Iuliani Augusti matre Ecclesiæ relicta vendidisse accepto sibi pretio: & liberos ex vxore quam inauguratus abiecerat, denuo procreasse; & pro modo redditunm vendidisse beneficia. Hæc cum Eusebius in Antonium intorsisset & causa discutienda seriatim esset, Episcopi seniores reliquo suffragante cœtu dixerunt S. Chrysostomo; [Etsi vnumquodque capitulum per se impium est, & vndique sacris legibus interdictum, ne tamen videamur in his quæ suggesta sunt nobis omne studium ponere, ab eo quod est horribilius dictu, fiat inquisitionis initium. Si enim illud inuentum fuerit verum, nulla de capitulis reliquis erit controuersia, cum capituli illius radix, omnem præ se iniquitatis speciem ferat, iuxta illum qui ait, *Radix omnium malorum est cupiditas.* Qui enim super innocentem accipit munera, & sancti spiritus largitionem, pecunia se vendere putat, quo pacto iam parcet ornamentis, aut lapidibus, aut fundis Ecclesiæ;] En quo pacto hi Patres simoniam quam insectamur, in vertice sacrilegiorum collocant, & ausurum omnia infanda sacrilegia non dubitant, qui munus Spiritus sancti rei sacræ consertum, pecunia æstimarit.

12. Quia verò ex religioso cultu Numinis, & vsurpatione Sacramentorum per sacra ministeria beneficiariis concredita dispensatorum gratia Spiritus Sancti confertur mortalibus, non rarò Patres dicunt, Simoniacos emendo aut vendendo id cui alligatur gratiæ comparatio, atque adeò etiam Simoniacos in beneficio, cui annexum est sacrum ministerium, venalem facere Spiritum sanctum. Ita Pet. Dam. Opusc. 6. c. 37. Imo cap. *eos qui* 1. q. 1. quod depromptum est ex Tharasij Constantinopolitani Epistola ad Adrianum Romanum Pontificem, Simoniaci superare dicuntur scelere Macedonianos: quòd hi Spiritum Sanctum inæqualem Patri ac Filio statuerent; Simoniaci autem sibimetipsis eum subiiciant iure emptionis; quæ non sunt vrgenda in omni proprietate & rigore, sed accipienda sunt ex quodam capite tantùm. Qua ratione, multa simpliciter inferiora, dicuntur secundùm quid præcellere aliis absolutè præstantioribus. Similiter ergo simonia, ratione conculcationis & vilipensionis gratiæ Dei, impetit mediate Spiritum Sanctum gratiæ fontem, & eum sibi quasi subiicit; & eatenus terrior est hæresi Macedoniana, quæ Spiritum Sanctum subiicit soli Deo. In quo etiam sensu accipiendum est, quod habet Petrus Dam. Opusc. illo 6. c. 37. contestans, Simoniacos captatis ex rerum sacrarum profanatione opibus, malè inflatos, verbis illis. [Affluite nunc diuitiis, constipamini tumescentes obsequentium cuneis: propè est, vt videatis omnes Angelorum exercitus aduersùm vos vehementer iratos, Apostolos, Martyres, omniúmque Sanctorum agmina contra vos terribiliter insurgere, & in

in damnationis vestræ sententiam concordi simul, ac parili iudicio conuenire. Illum quippè habetis offensum, atque ideò consequenter infestum, cuius offensio neque hic remittitur, neque in futuro. Immanitate porrò cruenti, ac sceleratissimi criminis vestri, adulteros vincitis, homicidas exceditis, raptores, sacrilegos, incestos, parricidas, atque omnium penè reorum flagitia superatis. Adhuc parum est: Nam si res digna, vt est, existimatione perpenditur, ipsa Iudaica perfidia, omnísque prorsus hæretica prauitas, vestris excessibus non æquatur. Orta est nobis nox in meridie, tempestas in serenitate; fit vobis cœlum ferreum, & terra ænea; quia & ad superna mole nequitiæ non assurgitis, & inter homines, quod conscientia teste commissum, est, non celatis.] Hæc inquam, secundùm quid accipienda sunt. Nam quamuis ex genere suo, simonia sit terrior incestu, & parricidio, & illis aliis sceleribus quæ Petrus Damiani enumerauit; tamen non est dubitandum, quin dentur sacrilegia absolutè & simpliciter terriora: quamuis secundùm quid verum sit, hoc sacrilegium esse immane, & plerisque omnibus truculentius, ob eam quam dixi gratiæ profanationem, & mediatam impetitionem Spiritus Sancti; in omni quidem simonia, sed in hac nominatim beneficiorum Ecclesiasticorum nundinatione, ob concreditam beneficiariis dispensationem mysteriorum, siue Sacramentorum, quæ fontes sunt gratiæ Dei, & fistulæ deriuando ad nos Spiritui sancto. Huc spectans Petrus Dam. l. 8. epist. 11. idcircò ait, dictum Simoni quod esset in felle amaritudinis, quia erat contrarius Spiritui sancto. Nam columba quæ est typus Spiritus sancti, caret felle.

Nulla Simonia venialis, ob materiæ exiguitatem.

13. HInc rectè eruunt graues Doctores, non dari in hoc peccato leuitatem, materiæ penes quam peccatum istud quod constat ex genere suo esse mortale, possit fieri veniale; sed quantum est ex parte materiæ, siue merx, siue pretium spectetur, semper hoc peccatum esse mortale, nec nisi penes conditiones operantis (quod cuicunque plane peccato, etiam blasphemiæ, & periurio potest accidere), fieri queat veniale. Ita Suar. l. de Simon. c. 3. n. 5. Hugol. tract. de Simo. tab. 1. c. 17. Bonac. q. 3. de Simonia. n. 13. Laym. l. 4. tract. 10. c. 8. num. 4. Sanches l. 1. in Decal. c. 4. n. 1. Et quidem si merx spectetur, certum est quodcunque beneficiolum esse materiam grauis simoniæ, quod docuit Petrus Damiani l. 1. epist. 12. agnoscens graue scelus, in cuiuscunque Ecclesiastici beneficij, quantumuis modici, simoniaca acquisitione. Et ratio est perspicua. Nam in beneficio quantumuis tenui per temporale pretium taxato, cernitur grauissima irreuerentia erga rem sacram, eiúsque depreciatio planè auersanda. Refunditúrque is contemptus in Deum, à cuius largitate expectanda sunt bona supernaturalia; ita vt non nisi per grauem Dei iniuriam existimare contingat ea posse pecunia possideri. Quemadmodùm ergo graue peccatum esset, & citra controuersiam mortale, arrogare sibi vel minimum motum actualis gratiæ præuenientis; aut constituere se autorem minimi operis supernaturalis; ita non debet dubitari, quin mortale sit, vendere aut emere vel minimum donum supernaturale, aut spirituale tanquam pretio tem-

porali adæquabile. Ac proinde quantumuis exiguum sit beneficium, acquisitio eius per temporale pretium non potest esse venialis ob exiguitatem materiæ; sicut periurium & blasphemia semper sunt mortalia, quia in quantumlibet parua materia inuenitur integra ratio irreuerentiæ & offensionis, vnde nequeunt esse venialia peccata ob materiæ paruitatem. Esto in materiis omnibus quorundam sacrilegiorum, non sit tanta deformitas, quin possit inter eas esse aliqua adeò parua, vt ad mortale peccatum non sufficiat. Sic enim mendacium leue in sacramentali confessione aliis peccatis verè expositis, non est nisi veniale sacrilegium, ob materiæ tenuitatem. Et parua infractio voti paupertatis, non est nisi venialis culpa. At quæuis commutatio rei spiritualis cum temporali tanquam adæquabilium, tam tetra est, vt grauiter sordeat, nec possit liberari à graui culpa. Similiter quantumuis exiguum sit pretium quod datur pro beneficio, ac vel si duntaxat obolus detur; tamen id quoque esse grauissimum, agnoscit Leo Imperator in rescripto quod descripsit Ioannes Satisb. l. 7. Polycr. cap. 20. Nimirum interuenit ibi irreuerentia magna & mortalis, quia res sacra addicitur pretio, & statuitur venalis. Imo quo pretium est exilius, eo vilior res habetur, quæ tantillo pretio æquiparatur, & pro eo distrahitur. Vnde cap. *ex tua* de Simon. & cap. *placuit* 1. q. 1. & ibid. cap. *Iudices*, perexigua pretia ad detestandam & mortalem simoniam suffecisse supponuntur. Tametsi cap. *quæstiones* de simonia, dicitur, ex paruitate rei temporalis datæ, præsumi non esse datam vt pretium, sed alia mente: quod verum esse potest, tametsi commutatio rei spiritualis pro quolibet pretio etiamsi minutissimo, verè sit mortalis, vt rectè statuit Dur. in 4. d. 25. quæst. 4. num. 6. & ibid. Maior. quæst. 3. conclus. 7.

14. Iuxta hæc ergo nulla est simonia circa beneficia, quæ non sit habenda grauis, & sordens mortali peccato. Quod liquet de venditione, siue beneficium sit pingue aut tenue, & siue pretium datum sit exile aut magnum. Aliæ item pleræque actiones simoniacæ circa beneficia, tametsi iure tantùm Ecclesiastico vetitæ, mortales sunt, quamuis in aliis quibusdam negotiis non essent nisi veniales. Nam vt Suares rectè aduertit l. de Simon. c. 7. *in fine*, Simonia contra legem humanam, est eiusdem speciei cum simonia contra legem naturalem aut diuinam: quia varietas materialis præceptorum aduersùs eandem honestatem virtutis, non variat speciem peccati, vt notum est ex 1. 2. fusèque prosequitur Sanches l. 9. de matr. d. 15. & l. 1. in dec. c. 14. Vasquez 1. 2. d. 98. num. 3. Sayrus 2. Clauis c. 5. num. 11. & Salas 1. 2. tract. 13. d. 3. n. 14. Ob eam itaque causam, eiusdem speciei est, atque adeò etiam eiusdem grauitatis substantialis, actio Simoniaca solo Ecclesiastico iure vetita, & ea quæ naturali aut diuino iure vetatur; quamuis quæ solo iure positiuo prohibetur, non sit adeò intrinsecè mala, quin liberari à malignitate possit: quod non valet de ea, quæ iure naturali est illicita.

15. Potest haud abs re, in rem præsentem adduci, quod S. Hieronymus significauit in Tradit. Hebraicis ad c. 23. Genes. de Ephran, qui cum priùs diceretur *Ephron*, postea vendito simoniacè vt volunt aliqui iure sepulchri, dictus est *Ephran* litera *Vau*, qua Hebraicè o legitur, decussa ex eius nomine. Nec abs re, quia designat Spiritum sanctum, vt Galatinus notauit l. 2. de arcanis cap. 10.

Amittitur

Amittitur ergo Spiritus sanctus, quod non fit nisi per peccatum mortale,) cum admittitur actio simoniaca, etiamsi non sit simonia nisi iuris humani; cuiusmodi est prohibitio, ne terra deputata sepulturæ vendatur: non tantùm vt benedicta est, & iam religiosa (id enim est iuris naturalis ac diuini), sed etiam vt terra est, vt monent Redoanus in Opere de Simonia parte.1.c.30.& Victoria relect. de Simonia vt statuitur in c.*abolendæ* de sepult. & cap. *audiuimus* de Simon. & cap. *quæsita est*, iunctis tribus seqq. 13. quæst. 2. quicquid dicat Layman l.4. tract. 10. cap.8.num. 36. Sed iura proposita, ferunt quod dixi. Videtúrque ita fuisse, in vsu, etiam tempore Abrahami, alioqui Ephran non damnaretur Simoniæ, quod pretium accepisset pro sepulturæ loco. Quæ simonia quomodò Abrahamo, ob necessitatem, & ne genti auarissimæ grauis fieret, potuerit esse innoxia, vel an iuxta Hieronymum sorduerit ipse quoque labe simoniæ, qui coëgit pecuniam accipere pro terra, nunc mitto quærere. Discutitur autem à S. Thoma 2.2. quæst. 100. artic. 4. ad 3. & ab Henrico Spondano l. 1. de sacris Cœmeter. parte 2. c. 9. num. 4.

Quantumuis igitur actio aliqua simoniaca circa beneficia, non sit vetita nisi iure humano: tamen eius malitia est mortalis ex obiecto, siue abstrahendo à conditionibus operantis; quantum exigua sit materia, quia talis irreuerentia erga rem sacram, nunquam est minima, aut exigua, sed semper magna.

Extrinsecæ causæ Simoniæ, virulentissimæ; Ac primum superbia.

16. IN tanta monstrositate intrinseca huius nequitiæ, vix attinet causas eiusdem extrinsecas expendere; & per earum malignitatem de effectus virulentia pronunciare. Sunt tamen planè terræ, & ex quibus vitium prolis æstimare perspicuè liceat. Et ne riuulos minutè consecter, duo sunt primarij fontes huius sceleris; superbia & auaritia; siue ipsorum beneficiariorum aut beneficia captantium, siue cognatorum, ac præcipuè parentum pro filiis sollicitorum; siue etiam vtrorumque; quæ duo vitia cum aliàs semper nexa & iugata, ita vt vnum esse videantur, quod Prosper latè prosequitur l. 3. de vita contemp. cap. 4. tum hic nominatim, colligata visuntur. Superbiam esse plerunque simoniæ matrem, dum quaqua via contenditur ad sacras opes, quibus splendor pariatur; & quotidiana experientia docet, & intelligitur ex iis quæ S. Bernardus in declamat. ad Clericos egregie disputat, de causis ambiendi Ecclesiastica beneficia: inter quas monstrat eminere, quod honorati incedere volunt, placere student hominibus, delectari & superbire: quod ait eo Domini oraculo redargui apud Oseam cap. 8. *Ipsi regnauerunt, & non ex me principes extiterunt, & ego non vocaui eos.* Qui enim honorem quærunt proprium in bonis ad Sanctuarium pertinentibus, manifestè prorsus & indubitanter, iuxta Bernardum, non ex Deo principantur aut regnant, sed irreuerenter irruunt acti spiritu superbiæ. Quos superbia ad sic irruendum propulerit; nihil facilius si ostium sit occlusum, quàm vt ad beneficia Ecclesiastica adrepant, imo irrùmpant, etiam per simoniam. Habet hîc locum illa Petri Blesensis exclamatio epistola 120. aduersus Nepotem Decani Turonensis, præ superbia infamem

simoniacum. [O negotiatio detestanda; pro honore transitorio animam perdere, tantúmque pecuniæ numerare pro reddita, quantum de obuentionibus eius non possit per quinquennium obuenire. De animæ perditione, aut salute taceo: Nam de anima, vltima quæstio est apud eum. Non attendit miserrimus, quid super eum cogitet terribilis in consiliis super filios hominum Deus. Quis scit, si hodiè, vel cras, subitatio mortis eum rapiat, & non sit qui eripiat? sicne illum dementauit ambitio, vt per fas & nefas, Ecclesiarum personatus acquirat; nec proponat Deum ante conspectum suum, nec vereatur iudicia Dei, nec illud saltem tonitruum diuinæ indignationis attendat. *Stulte hac nocte repetent animam tuam, & quæ parasti, cuius erunt?* Infelix, ob inanis gloriæ ventum suam animam ingulat.] Videsis insuper Ioannem Sarisberiensem l. 7. Polycr. cap. 19.

17. Flebiliter admodum S. Bernardus serm. 33. in Cant. *sub finem*, quam latè pateat hæc superbiæ radix, in captatione beneficiorum Ecclesiasticorum se prodens, & quanta sit eius virulentia, ac quomodò non rarò ad simoniacam negotiationem terminetur, his præter cætera verbis describit. [Serpit hodiè putida tabes per omne corpus Ecclesiæ, & quò latiùs, eò desperatius: eóque periculosiùs, quò interiùs. Nam, si insurgeret apertus inimicus hæreticus, mitteretur foras & aresceret: si violentus inimicus, absconderet se forsitam ab eo. Nunc verò quem eiiciet, aut à quo abscondet se? Omnes amici, & omnes inimici; omnes necessarij, & omnes aduersarij; omnes domestici & nulli pacifici; omnes proximi, & omnes quæ sua sunt quærunt; Ministri Christi sunt, & seruiunt Antichristo. Honorati procedunt de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt. Inde is, quem quotidie vides, meretricius nitor, histrionicus habitus, regius apparatus. Inde aurum in frenis, in sellis & calcaribus, & plus calcaria quàm altaria fulgent. Inde splendidæ mensæ, & cibis & scyphis; inde comessationes, & ebrietates, inde cithara & lyra, & tibia, inde redundantia torcularia, & promptuaria plena, eructantia ex hoc in illud. Inde dolia pigmentaria, inde referta marsupia. Pro huiusmodi volunt esse, & sunt Ecclesiarum Præpositi, Decani, Archidiaconi, Episcopi, Archiepiscopi. Nec enim hæc merito cedunt, sed negotio illi quod perambulat in tenebris.] An alludit ad illud crediti Cypriani serm. de Ieiunio & Tentationibus *sub finem*? [Etiam in sinu sacerdotum ambitio dormit, ibi sub vmbra recubat, in secreto thalami & fraudulenter occultat. Simon Apostolorum temporibus venalem putans Spiritum sanctum, Petrum donis aggreditur, & tentat emere potestatem per quam plura lucretur. Hæc sacrilegij forma per omnia officia gradusque discurrit, & nihil intentatum ambitio prætermittit. Nec dubitet quisquam Diaboli hæc esse negotia; & nundinatores eius, quicunque hæc exercent commercia; nec quicquam huiusmodi ab eo, nisi præmissa apostasia donari.] Perspicuè simoniam in beneficiis negotium Satanæ nominat, atque addò habet eam pro negotio tenebrarum vt facit S. Bernardus.

18. Vt autem liqueat, S. Bernardum hoc negotium perambulans in tenebris accipere de simoniaca irruptione in beneficia Ecclesiastica, subiicio quæ ibidem addit. [Olim prædictum est; & nunc tempus impletionis aduenit: *Ecce in pace, amaritudo mea amarissima.* Amara priùs in nece martyrum, amarior

post

post in conflictu hæreticorum, amarissima nunc in moribus domesticorum. Non fugare, nec fugere eos potest, ita inualuerunt, & multiplicati sunt super numerum. Intestina, & insanabilis est plaga Ecclesiæ, & ideò in pace amaritudo eius amarissima. Sed in qua pace? Et pax est, & non est pax. Pax à Paganis, & pax ab Hæreticis, sed non profectò à filiis. Vox plangentis in tempore isto: Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. Spreuerunt & maculauerunt me, à turpi vita, à turpi quæstu, à turpi commercio, à negotio denique perambulante in tenebris.] En turpe commercium, nundinationem scilicet beneficiorum, clam & in tenebris peractam, ex superbia Clericorum beneficia captantium: & tamen corona (vt dicitur Prouerb.27.) datur à generatione in generationem, id est, vt exponit ad hanc rem Autor Bernardo posterior serm. in Concilio generali *ferè initio*, ab vno ad alium transit. Sed tanti est ambitioni seruire, quamuis non esse reuera beneficia quantumuis eminentia materiam ambitionis, monstrant hæc verba S. Bernardi epistola 42. [Genus, ætas, scientia, cathedra, & quod maius est, primatus prærogatiua, cui non essent insolentiæ fomes, elationis occasio? Quanquam esse possint, & humilitatis. Meditantibus quidem, honores blandiuntur, sed onera pensantibus, tædio sunt atque formidini. Non autem omnes capiunt hoc verbum. Multi enim non ta[nt]a fiducia & alacritate currerent ab honores, si esse sentirent & onera. Grauati profectò metuerent, nec cum tanto labore & periculo quarumlibet affectarent infulas dignitatum. Nunc verò quia sola attenditur gloria & non pœna, purum esse Clericum erubescitur in Ecclesia, séque viles æstimant, & inglorios, qui quocunque eminentiori in loco non fuerint sublimati.] Passim tamen censetur materia superbiendi, vt ibidem dicitur, quæ verè est humilitatis materia: vnde ille ardor assequendi beneficia quacunque via. Liquet de superbia captantium sibi beneficia, simoniam plerunque procreante.

19. Nec minor sæpè parentum superbia, in simili negotio proditur. cùm beneficia Ecclesiastica vni filiorum mercantur, vt nihil de familiæ splendore decedat, accisa in plures liberos hæreditate. Vigebat iam [t]uo Beati Bernardi hæc corruptela, in quam propterea conclamat in Declamatione ad Clericos verbis illis. [Si quis vocauerit nos in honorem cleri, conuenire velim conscientias singulorum vt secundùm præceptum Domini ad cor Hierusalem loquar. Huic enim paruulo adhuc, aut forsitan necdum nato Ecclesiastica iam beneficia, prouida sanè parentum sollicitudo parabat. Hunc nos, inquiens, illi, vel illi tradamus Episcopo, apud quem habemus gratiam; vt cui fortè seruiuimus, vt ditetur de bonis domini, nec in tot liberos nostra diuidatur hæreditas. Illum Præpositus, aút Decanus, vt sibi succederet, plusquàm materno educauit affectu, in delicijs enutriens, & delictis. Ille dignus Archidiaconatu, vt potè filius Principis: magis autem si sit Episcopi consobrinus, in quo nimirum tota est Episcopata progenies. Alius vndique circuit sedulus explorator, blanditur, obsequitur, simulat, & dissimulat, miseràque sibi suffragia mendicare non erubscit; manibus & pedibus repens, si quo modo tandem aliquando se se ingerere queat in patrimonium Crucifixi, & bona domini, quæ sola ex omnibus hodiè inueniuntur exposita.]

20. [Non sistit in seruili captatione beneficiorum ad simoniæ abruptum

non semper prouectam, superbia carnis in ipsum nequitiæ hypobrichium non rarò præceps desilit, & in beneficia per teterrimos quosque aditus tentat inuolare miserorum parentum studium, ac tuendi & retinendi splendorem familiæ flagrans desiderium. Quæ etiam plerunque est culpa item aliorum qui beneficia curant aliis simoniacè. Audi Pseudo Augustinum serm. 37. ad fratres in Eremo. Diuites rarò vel nunquam pauperibus Sacerdotibus præbendas procurant: & si procurant, non Dei amore procurant, sed vt cum vxore & familia de bonis Ecclesiæ gaudere valeant. Et ideò sciat sacerdos, qui timore, vel amore defraudari à diuite se permittit, quòd impunitus non remanebit: & si non in præsenti, saltem in futuro, igne æterno non carebit.]

Auaritia, alter Virulentissimus fons Simoniæ.

21 IAm auaritiam captantium beneficia, parere non infrequenter Simoniam; & experimentum quotidianum monstrat, & testatur Bernardus serm. 7. in psal. 98. vbi negotium illud perambulans in tenebris, quod ex ipsomet supra vidimus esse simoniam, ait in captationem beneficiorum se in genere præ auaritia, & turpis lucri cupiditate in Clericis sacrisque personis. [Nunc quidem (inquit) pax à Paganis, pax ab Hæreticis: sed non est pax à falsis filiis. Multiplicasti gentem Domine Iesu, sed non magnificasti lætitiam: quoniam multi sunt vocati, pauci vero electi. Omnes Christiani, & omne ferè quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi. Ipsa quoque Ecclesiasticæ dignitatis officia, in turpem quæstum, & tenebrarum negotium transierun: nec in his salus animarum, sed luxus quæritur diuitiarum. Propter hoc tondentur, propter hoc frequentant Ecclesias, Missas celebrant, psalmos decantant. Pro Episcopatibus, & Archidiaconatibus, Abatiis, aliisque dignitatibus, impudenter hodie decertatur, vt Ecclesiarum redditus, in superfluitatis, & vanitatis vsus dissipentur.]

22. Hoc item est mercimonium illud ordinum, quod ex auaritia Clericorum profectum, detestatur Basilius epistola 76. quam sic concludit. [Propter auaritiam ista fiunt. Auaritia verò, malorum omnium radix est, & Idololatria vocatur. Ne velitis igitur, modicæ pecuniæ gratia, Idola Christo præferre; neque Iudam sectantes, quæstus gratia secundò illum prodere, qui semel pro nobis cruci est affixus. Alioqui & ipsi agri, & manus eorum qui hosce fructus metunt, *Akeldania* vocabuntur.] Idem insectatur Philippus Abbas l. de Dignitate Clericorum c. 13. Simoniam quippè in ordinibus, apud veteres Scriptores, confundi sæpè cum simonia circa beneficia, eo quod per ea tempora perpauci ordinarentur, nisi ad beneficij titulum, monstratum superiùs est ex Petro Damiani. Ait ergo de illo ordinum, atque adeò etiam beneficiorum per auaros Clericos mercimonio, Philippus. Quia multi auaritiæ facibus inardescunt, & vel ditari, vel honorari plus iusto concupiscunt; cum non possint ad libitum prosperari, impudenter se ingerunt, & appetunt ordinari; vt quod eis ex suo patrimonio non confertur, ordinum mercimonio conferatur. Eapropter cùm celebrandorum ordinum dies præoptata declaratur instare, tam multos ad ordines videmus festinare, vt audisse credendi sunt edictum illud poëticum. *Occupet*

rupet extremum scabies. Videntes enim ordinandi, eos qui ordinati sunt efflorere, & non tam probitatis, vel scientiæ, vel generis, quàm ordinum beneficio ad honores, & diuitias peruenisse: turpe est eis, si in loco infimo relinquantur, & non etiam ipsi qualicunque modo diuites habeantur. Nullam igitur sanctitatem habentes, sanctitatis assumunt officium, non vt Deo per hoc intendant deseruire, sed ad sua desideria efficaciùs peruenire. Et quia Deus illis causa non extitit ordinandi, cum eis non sit cura Deo, sed seculo ministrandi; ipsum officium quod iustis est refectio, spiritualisque sagina, illis efficitur laqueus, & ruina.]

23. Hunc laqueum, hancque ruinam, iuxta Philippum, non aliam esse quàm simoniam discimus ex eodem capite *ad finem*, vbi quò deducat auaritia sacras personas monstrat ex cap. 3. Micheæ quo damnantur Sacerdotes antiquæ legis, mercede exequentes sacra munera; & Prophetæ in pecunia diuinantes, quod probrum in captatores ordinum & beneficiorum Christianorum cadere, ostendit expostulans vilipendi ab eis res sacras quas vendunt pro terrenis, ipsúmque iis commissum Christi sanguinem, qui pretium superabundans fuit orbis vniuersi, pro re vilissima distrahi, & vænum exponi. Demonstrat alio loco idem Philippus, quàm dedeceat sacram personam auaritia, quámque Deus hoc peccatum quod verè est Idolorum seruitus, in illis detestetur: id quod etiam præclarè tradit S. Gregorius l. 9. epistola 49. addens quàm dolendum sit, ex auaritia ruere in simonia & rerum sacrarum nundinationem quam exagitamus. Non nouis profectò summæ huius impietatis natalibus. Nam quos iam olim simoniaca labe infames nouimus Balaam & Giezi, ac si multos Patres audiuimus, Iudas Iscarioth, (quo ad Theologicam libellam id exegimus in Tractatione de Iuda cap. 8. num. 20.) omnes ab auaritia in præceps acti sunt atque subuersi.

Amphora Zachariæ, ad propositos Simoniæ fontes aptata.

24. HAbemus igitur, etiam in hoc negotio deprehendi illius sacri visi veritatem quod obiectum est Zachariæ cap. 5. iuxta S. Gregorij interpretationem l. 14. mor. cap. 27. & 28. cuius perelegantem de eo viso disputationem quod prælonga sit, & ad omnes communiter ex auaritia impios superbósque pertineat, facilè erit his perpaucis annotatis, ad præsens negotium & beneficiorum captatores per impietatem simoniacam ex auaritia & superbia progenitam accommodare. Viderat ergo Propheta amphoram egredientem, quam dixit esse oculum eorum in vniuersa terra, talento plumbi occlusam, & leuans oculos suos vidit duas mulieres egredientes, & spiritum in alis quas habebant tanquam milui, & leuauerunt amphoram inter cœlum & terram, eámque asportarunt vt ædificaretur ei domus in terra Sennaar. Nihil potuit in hanc rem proferri opportunius, iuxta Glossam S. Gregorij, qui amphoram interpretatur auaritiam, quæ oculus mortalium est in vniuersa terra; & pondere peccati ex eadem auaritia opprimitur. Hanc impietas siue sacrilega irreligiositas affectatur, & superbiæ ac inanis gloriæ velut alis, per desiderium sacrarum dignitatum, & sacra munera, quasi in honoris alti-

tudinem euehunt; Sed inter cœlum & terram. Nam dum per auaritiam & superbiam impietati sacra nundinanti se subiiciunt, nec hominibus tantas sordes despuentibus placent, nec Deo probantur; sed deuehuntur in terram Sennaar, vbi est Babylon, & turris confusione mortalium. Deuoluuntur enim in confusionem omnimodam; Et nunc in mortali vita, despectui habentur à consciis iniquitatis: In futura autem, fœtebit memoria eorum apud homines, omniique confusione complebuntur coram Deo, habituri partem suam cum Simone Mago, & Iuda proditore, ac Christi Domini venditore, quem hi beneficiorum mercatores referunt, vt disertè habet creditus Anselmus, reuera Guilielmus Couentriensis in Elucidario *pag. 209. col. 2.* & Gildas sapiens initio Correptionis in Ecclesiasticum ordinem, cuius verbis quæ mox subiicit, aptè hoc caput concludam. [Quid tam impium, tamque scelestum est, quàm ad similitudinem Simonis Magi, interuenientibus licet inter ea promiscuis criminibus Episcopatus officium vel presbyterij, terreno pretio quod sanctitate, rectisque moribus decentiùs acquiritur, quempiam velle mercari? sed in eo isti propensiùs vel desperatiùs sunt, quo non ab Apostolis, vel Apostolorum successoribus, sed à Tyrannis, & à patre eorum Diabolo fucata, & nunquam pro futura emunt sacerdotia; quin potiùs velut culmen tectúmque malorum omnium quoddam, quo non facilè eis improperentur à quoquam admissa prisca vel noua, & cupiditatis gulæque desideria, scelestæ vitæ structuram supponunt, vt præpositi malorum faciliùs rapiant. Nam si talis profectò coëmptionis conditio ab impudentibus istis, non dicam Apostolo Petro sed cuilibet sancto sacerdoti, pióque Aegi ingessa fuisset, eadem responsa accepissent, quæ ab Apostolo auctor eorundem Magus Simon accepit, dicente; *Pecunia tua tecum sit in perditionem.*]

CAPVT QVARTVM.

Simoniæ circa beneficia malignitas, ex teterrimis eius effectibus.

1. HINC quoque liquidò deprehendi poterit, huius simoniæ malignitas: Nam effectus virulenti, causæ malignitatem redolent. Possunt autem secerni duo ordines huiusmodi effectuum. Quidam nimirum qui in simoniacum, quidam in Ecclesiam redundat.

Quàm male, Simonia afficiat Simoniacum.

PRiores repræsentauit Petrus Damiani l. 1. epistola 20. tractans locum ex Hieremiæ 23. in adulteros, quem aptat ad inuasores Ecclesiarum, Christi sponsarum, quas fœdant hoc turpi commercio. [Adulteriis (inquit,) plena est terra, quia à facie maledictionis luxit terra, arefacta sunt arua deserti. Quod autem

autem genus hominum hoc perpetret adulterium, vnde & terra lugeat, & corda hominum, velut arua deserti ab inundatione prædicationis arescant, aperit illicò, cùm consequenter adiungit: *Propheta namque & sacerdos polluti sunt, & in domo mea inueni malum eorum, dicit Dominus.* Sed quid eisdem adulteris Sacerdotibus, & Prophetis immineat, mox subsequendo declarat: *Idcircò via eorum erit quasi lubricum in tenebris, impellentur enim, & corruent in ea; afferam enim super eos mala, annum visitationis eorum. Prophetabant in Baal, & decipiebant populum meum Israel, & in Prophetis Hierusalem, vidi similitudinem adulterantium, & iter mendacij.* Audis *similitudinem adulterantium*, audis, *iter mendacij?* Alterum scilicet pendet ex altero. A tramite quippè veritatis aberrat, qui per luxuriantis concupiscentiæ ambitum, castitatis Ecclesiasticæ munditiam fœdat. Nunc Ecclesiam, proh dolor!) vsque ad verticem constupratam dolemus, quod Hierusalem dudum Hieremias contigisse conqueritur: *Filij*, inquit, *Mempheos, & Taphnes, constuprauerunt te vsque ad verticem.* Hierusalem namque vsque ad verticem constupratur, quandò à minimis quibusque Ecclesiis, vsque ad Apostolicam sedem, quæ omnium caput est Ecclesiarum, luxuria venalitatis extenditur. Sed huius adulterij dulcedo, in quantam vertatur amaritudinem, illicò vox diuina subiungit: *Ecce,* inquit, *ego cibabo eos absinthio, & potabo eos felle.* Fac itaque frater, iuxta vocem Prophetæ dicentis: *Redite praeuaricatores ad cor.* Discute obsecro conscientiam tuam, & prudenter examina, qua quiete, quo refrigerio potitus es, postquàm te huic periculoso negotio, tanquam Scyllææ voraginis fluctibus immersisti. Dilapidantur æra cupidinis, exhauriuntur folles diuersi generis metallo turgentes, profligantur in cuneos militum, erogandæ pauperibus Ecclesiæ facultates: Cunctisque subiectum obtemperas, vt cunctis in dignitate præcellas & ambitio dominationis iuri te mancipat seruitutis. Vnum te non lateat, quia quisquis Ecclesiæ per venalitalitatem semel irrepserit, donec illi præfuerit, redimere non cessabit. Iusto quippe Dei Iudicio agitur, vt quisquis regimen Ecclesiæ nundinatus, aggreditur, quietis, vel opulentiæ commodum, quod sperauerat, de suo commercio non lucretur, sed sedens in cathedra pestilentiæ fabriles semper malleos versat, vt immundæ prælationis riuus per sordida connexa decurrens, vnde funestus oboritur, suo semper fonti respondeat.] Hoc infra confirmabo ex Blesensi, Epistola 129. *in fine.*

Simoniæ abominatio desolationis in Ecclesia.

2. IAm effectus mali, in Ecclesiam, ex simoniaca beneficij comparatione redundantes, vix egent explicatione, cum à beneficiariis ea via inductis aliud sparari nec possit nec debeat, quam Ecclesiæ vastitas. Glaber certè l. 2. cap. 6. talem fuisse agnoscit statum Gallicanæ Ecclesiæ suo tempore ob grassantem tunc temporis simoniam in beneficiis. [Iamdudum (inquit), muneribus excæcatis ineptis penè vniuersis Principibus, deseuit hæc pestis, longè latéque, in Ecclesiarum quibuscunque Prælatis, toto terrarum orbe diffusis; Denique omnipotentis Christi Domini gratuitum ac venerabile donum; ad propriæ damnationis cumulum, conuerterunt in auaritiæ lucrum ideóque hu-

Z

iusmodi videlicet Prælati tanto minùs ad diuinum peragendum opus idonei, quantò constat quia non ad illud accesserunt per aditum principalis ostij. Et licet aduersùs talium personarum procacitatem, multipliciter clamet sacrarum scripturarum canon; nunc tamen solito multipliciùs comperitur fieri in diuersis Ecclesiarum ordinibus. Nam ipsi Reges qui sacræ religionis idonearum decretores personarum esse debuerunt, munerum largitione corrupti, potiorem quempiam ad regimen Ecclesiarum, vel animarum diiudicant illum, à quo amplio a munera suscipere sperant. Atque idcirco permaxime, quique procaces ac turgore superbiæ inflati, se se vltro cuique Prælationi ingerunt; minùs formidantes incurrere lapsum neglectæ pastoralis curæ, quoniam tota solummodò pendet fiducia ex loculis collectæ pecuniæ, non ex perceptæ donis sapientiæ: tantóque ampliùs adepto regimine student auaritiæ, quantò constat propriam ex illa ambitionem implesse: ac velut idolo sibi pro Deo constituto, illi seruiunt; per quam scilicet informati ad tale nomen absque merito, vel opere proruperunt; fitque minùs cautij deceptoria imitandi forma: ac perinde vicissim contumax inuidentia.] Et paulò post. [Hinc etiam procedunt litigiorum tumultus assidui, oriuntúrque frequentia scandala, ac diuersorum transgrediendo conuellitur tenor ordinum.]

3. Hoc quid sit, intelligi potest ex verbis illis Gregorij VII. ad Archiepiscopos & Episcopos Galliæ l. 2. Epistola 5. Longa iam temporum curricula transacta sunt, ex quo Regnum Franciæ; olim famosum, ac potentissimum, à statu gloriæ suæ cœpit inflecti, & succrescentibus malis moribus, plerisque virtutum insignibus denudari. Verùm his temporibus, & culmen honoris; & tota facies decoris eius, collapsa videtur: cum neglectis legibus, omnique conculcata iustitia, quicquid fœdum, crudele, miserandum, intolerandúmque est, ibi & impunè agitur, & adepta licentia iam in consuetudine habetur. Ante aliquot annos, postquàm repentè inter vos regia potestate, nullis legibus, multóque imperio iniuriæ prohibitæ sunt, vel puniti inimici, interse quasi quodam communi iure gentium, quisque pro viribus conflixerunt; ad vindicandas iniurias suas, arma copiásque parauerunt. Quibus permotionibus etsi plerunque in patria cædes, incendia & alia quæ bellum fert exorta sint, dolendum quidem id fuit, sed non tantoperè admirandum. Nunc autem omnes malitia, quasi quodam pestilentiæ morbo repleti, horrenda & multùm execranda facinora, multoties nomine impellente committunt; nihil humani, nihilque diuini attendunt: periuria, sacrilegia, incestum perpetrare, sese inuicem tradere, pro nihilo ducunt, & quod nusquam terrarum est, ciues, propinqui, fratres etiam, alij alios propter cupiditatem capiunt, & omnia bona eorum ab illis extorquentes, vitam in extrema miseria finire faciunt. Peregrinos ad Apostolorum limina euntes, & redeuntes, vt cuique opportunum fit, capientes, in carceres trudunt & acrioribus quàm Paganus aliquis eos tormentis afficientes, sæpè ab illis plusquàm habeant, pro redemptione exigunt.] Alia addit quibus conuulsus tenor ordinum (vt Glaber affirmabat) liquidò deprehenditur, ita vt tanta eluuio malorum, præ qua omnis vastitas à potente veniens ludicra videri possit, malignitati & virulentiæ causæ à qua dimanat, satis supérque attestetur. Manasse autem à Simoniaco circa beneficia commercio,

mercio, Glaber hæc homnia præ oculis habens, rectè coniecit.

4. Status Germaniæ quàm tristis & luctuosus fuerit, propter simoniam, eique conterminas inuestituras laicas, ex historia Henrici tertij Imperatoris infra attingenda perspici potest. Quinetiam sub Henrici quarti initiis tametsi minùs horrere videretur facies Ecclesiæ, tamen eo statu res omnes sacræ erant vt luctu complerent attendentes. Referendum est ad hæc tempora quod Theodoricus Abbas S. Trudonis in calce vitæ S. Bauonis adducit. Excusans enim suam in rebus sancti viri describendis impolitionem ac breuitatem hæc præter cœtera habet.] Præterea ad silentium nostrum, vel maxima causa accedit, torcular graue quo præter solitum Ecclesia sancta, non modò grauiter premitur, sed importabiliter confringitur, vt necesse fuerit IESVM pro peccatis nostris dormientem excitare & dicere; *Præceptor salua nos, perimus.* Quis enim siccis oculis pertranseat regna (signum desolationis) inter se diuisa, populorum quasi maris commotiones, lapidum sanctuarij in capite omnium platearum! dispersionem. Dispersi sunt heu lapides sanctuarij, quia qui dicebantur Episcopi, confractis & venundatis ouilibus Christi, commissas oues apposuerunt lupis, & in fugam versi sunt, non pastores sed mercenarij. In exemplum sunt Ecclesiæ, manu eorum combustæ, altaria sanguine humano cruentata, Monachorum examina pars captiuata, pars proturbata, ius & lex omnia confusa. Et quia quorundam hominum peccata manifesta sunt præcedentia ad iudicium, cum inebriati fuerint sanguine aliorum, laqueos alterutrum tendunt; Inuicem quod dictu nefas est, Episcopi supplantant & supplantantur, captiuant & captiuantur, vt liquidò pateat, quia suorummet manibus ira Dei desæuiens in eos vlciscitur. Ipsa Romanæ dignitatis Virgo, præuaricata abiit retrò, & in diebus nostris fractæ sunt mammæ pubertatis eius. Non est Dux, neque sacerdos, neque locus sacrificij. Hierusalem calcatur à gentibus, quia qui faciat bonum est nullus. Miseri Israëlitas in quorum comparatione, Nabuchodonosor seruus Dei scribitur.] Satio malorum in Ecclesiam à simonia, eiusque germana inuestiturarum laicarum tenacissima cupiditate? Quod autem de præuaricatione Romanæ Virginis ait Theodoricus, referendum est ad lapsum Paschalis 2. quem Baronius anno 1112. non vult excusatum. Eo autem tempore scribebat Theodoricus Abbas quem exscripsimus.

CAPVT QVINTVM.

De eadem simoniæ circa beneficia malignitate, penes morales eius effectus simoniaco immanentes seu pœnas quibus mulctatur ab Ecclesia.

1. POST internas & externas simoniæ causas, ad malignitatem eius introspiciendam consideratas, accedo ad alios eius effectus morales; hoc est pœnas quibus hoc circa beneficia mercimonium iure mulctatur. Sunt autem hæ pœnæ, nec paucæ numero, nec grauitate exiles. Perstringam eas quàm breuissimè, vt ea quoque ratio detegendi beneficiorum nundinationis indignitatem, tanquam ex morali effectu causam virulentam, non prætereatur.

Simonia non vtrinque completa, immunis à pœnis Ecclesiasticis Simoniacorum in beneficio, ideoque hic dimittenda.

AD huius autem rei intelligentiam, præmittendum primò est, agendum duntaxat hoc loco esse, de Simonia vera, non autem de ficta, siue vtrinque, siue ex altera duntaxat parte sit ficta. Talis quippè simonia, reuera non est simonia nisi apparens; ac proinde non debet subiacere iisdem pœnis quibus vera simonia. De hoc nullum videtur posse esse dubium quoad simoniam vtrinque fictam: Si nimirum & venditor beneficij fictè ageret, non conscio emptore, quem interim emungeret acceptione pretij; & emptor item non conscio venditore fictè ageret, tradens pretium adulterinum, vel fingens dare in pretium quod daret in compensationem damni aliqua ex parte antea illati. Et multo clarius esset, si vtrinque conscio vtroque, negotiatio ficta esset, tantùm ad delusionem alicuius tertij. Cum verò ex altera tantùm parte simonia est ficta, constat non reperiri in ea negotiatione verum contractum, qui ex vtriusque partis vera voluntate debet exurgere: atque adeò non est ea simonia quam iura plectunt modis proximè adducendis, vt rectè censuit Caiet. t. 2. Opusc. tract. 9. q. 2. Tol. l. 5. c. 9. num. 4. Suar. l. de Simo. cap. 42. num. 3. & 4. Less. c. 35. de Iust. num. 11. Petrus à Nauar. l. 2. de rest. cap. 2. num. 411. Nec dissentit quoad hanc pœnarum Ecclesiasticarum in hanc simoniam, irrogationem Nauarrus: (tametsi arbitratur hanc simoniam alterutra tantùm ex parte fictam, esse veram simoniam conuentionalem): quia pœnas illas, soli Simoniæ reali vtrinque perfectæ ac completæ, constitutas existimat. Sed eius sententia de veritate simoniæ ex altera fictæ, superiùs est improbata.

Itaque cum huiusmodi ex altera saltem parte, ficta simonia, non sit nisi apparens, seponenda est ab hac disputatione; admittendúmque in eam non cadere, pœnas iure Ecclesiastico constitutas simoniæ veræ circa beneficia. Nec

refert

refert quod hac ratione, fraus & iniustitia tali nequitiæ sæpè coniuncta, itémque perniciosum & sacrilegum mendacium quod in ea fictione admittitur; sit profuturum infideli captatori beneficij: qui videlicet pretium spoponderit beneficiario, quod nunquam in animo habeat persoluere, interimque fruatur beneficio, & fructus eius percipiat, absque obligatione dimittendi sic partum beneficium, fructúsque restituendi; Hoc inquam non refert. Leges enim humanæ,non possunt omnibus incommodis prospicere. Itaque iste neque pretium debet, quod iniquè solueret; neque inutiliter, siue inualidè consequitur beneficium; neque pretium desponsum tenetur dare pauperibus, cum id nullo iure sit constitutum, vt Suares rectè notauit cap. 57. num. 55. sed solus beneficij traditor ante pecuniam vlla ex parte contactam, subit dispendium; quod suæ iniquitati & simplicitati imputet. Viceuersa tamen, si fraus esset ex parte venditoris, emptor non subiret, idem damnum sui pretij; quia restituendum illi esset iure naturæ,vt infra dicetur, vnde venditor non seruaret prædam malè partam, vt contingeret emptori ficto deludenti venditorem, & accipienti beneficium creditò.

Item Simonia vtrinque vera, sed tantùm conuentionalis, libera à pœnis iuris in Simoniacos circa beneficium.

2. Sic dimissa in hoc negotio simonia ficta, & agendo, de simonia vera vtrinque, præmittendum insuper est, quamuis iure antiquo nullæ essent pœnæ Ecclesiasticæ in quácumque simoniam ipso facto decretæ, vt fusè prosequitur Suares l. de Simo. cap. 55. tamen iure non adèo nouo Martini Quinti & Pauli Secundi, omnes qui simoniaci sunt circa beneficia, mulctantur ipso facto variis pœnis; quas posteriores Pontifices non abrogarunt, sed pot ijs variè firmarunt aut etiam amplificauerunt. Non cadunt porrò hæ pœnæ in quamcunque simoniam circa beneficia. Non enim in mentalem, ac ne in eam quidem quæ externo aliquo opere foras prodierit,sed absque tacito vel expresso pacto; tantúmque ex datione, vel acceptione, cum animo Simoniaco, quæ dicitur simonia mentalis aliquatenùs externa. Simoniam autem mentalem purè internam, constat non esse obnoxiam Iurisdictioni humanæ,ac proinde ab Ecclesia non potuisse secundùm se & directè puniri. Id quod latissimè prosequitur Gutierres l. 2. qq. Cano. cap. 23. à num. 35. Nauarrus ad cap. fin. de simonia à num. 12. Petrus Tolet. l. 2. de restit. cap. 2. à num. 392. Inter externas quoque simonias circa beneficia, quibus adiunctum fuit pactum externum, illæ quæ purè conuentionales fuerunt, & ex neutra parte ad executionem donationis & receptionis peruenerunt, nec mulctantur pœnis ipso iure latis contra Simoniacos in beneficiis, vt habet communissima sententia Theologorum & Iurisperitorum, nominatim Suares c. 55. de Simo. n. 12. Nauarri in summa cap. 23. n. 104. Lessij cap. 35. de Iust. n. 149. Binsfeldij in rubricam de simonia notabili 15. qui multos Doctores adducunt, & ita apertè colligitur ex iuribus quibus hæ pœnæ decernuntur: Nam ibi semper fit mentio actionis simoniacæ quæ est obiectum conuentionis, puta dationis vel receptionis; ac proinde ipsa sola est quæ mulctatur pœnis prædictis. Cum autem

leges pœnales sint stricti iuris & odiosæ, ideóque restringendæ, non debent extendi vltra materiam quam formalia earum verba feriunt: ac proinde in hoc negotio non conuentio, sed datio tantùm, aut receptio, attendenda est, vt pronuncietur de vero incursu pœnarum ipso facto constitutarum simoniacis circa beneficia, quod rectè cum Nauarro, Suare, Lessio, notat Layman l. 4. tract. 10. cap. 8. num. 68. Et quamuis ipsa quoque conuentio, cum graue delictum sit, si probetur, possit pœna arbitraria per Iudicem mulctari, iuxta cap. 1. de offic. ordin. non tamen ordinaria pœna constituta simoniacis in beneficio.

Sordentes simonia semireali, vel circa pensionem, aut officia pura, ab iisdem pœnis iuris immunes.

3. AD hos semper restringo sermonem in hoc negotio, quia quamuis vendentes pensionem spiritualem etiamsi in titulum beneficij non erectam, sint reuera simoniaci, vt supra monstratum est; tamen quia pensio non est strictè beneficium, & leges hæ pœnales ipso facto vim habentes, solos Simoniacos in beneficio exprimunt, non sunt extendendæ ad Simoniacos circa pensionem, vt Lessius cap. 35. num. 168. & Suares cap. 57. num. 45. & c. 55. num. 22. notauit: idem addens de iure patronatus ob eandem rationem eo n. 22. & c. illo 57. num. 13. ac de quibusuis Ecclesiasticis officiis quæ non sunt beneficia num. 45. vt vicaria temporalis, & ad nutum vel Parochi vel Episcopi amouibilis. Non tamen eiusmodi censenda sunt officia Prioris & Prouincialis, & quæcunque in monasteriis ordinaria officia, per electionem vel collectionem canonicè conferri solita: (hæc enim nomine *beneficij* veniunt); sed alia quæcunque officia Ecclesiastica quæ simul non sint beneficia. Horum enim Simoniaca adeptio, non subiacet pœnis Ecclesiasticis, in Simoniacos in beneficio latis. Quinetiam cum Simonia circa beneficium quæ ad actionis Simoniacæ executionem, dationem inquam vel receptionem erupit, possit non esse vtrinque completa, sed tantùm ex parte dantis pretium ante acceptum beneficium; vel ex parte dantis beneficium, ante acceptũ pretium, receptissima doctrina fert: simoniam circa beneficium ex sola ementis parte completam; quoad hoc pœnale negotium, non censeri nisi conuentionalem, vt tradit Nauarus in summa cap. 23. num. 104. & Suar. cap. 55. de Simo. num. 16. qui cap. 57. n. 51. & 53. cum Nauarro & Lessio cap. 35. n. 249. idem statuit de simonia consummata ex parte solius vendentis; qui scilicet tradidit quidem beneficium, pretium tamen non accepit, ac ne ex parte quidem. Nam si inchoatio numerationis pretij interuenisset, consentiunt omnes incurri pœnas Ecclesiasticas contra Simoniacos in beneficio; quod prædicti Doctores diffitentur de hac simonia, cum nullum planè pretium est numeratum, sed duntaxat beneficium est traditum pro pretio promisso. Hanc enim simoniam Semirealem (dempta ea pœna quod sic ingressus non gaudet fauore legis de triennali possessione, quia id expresè cautum est, vt notat Suar. c. 57. num. 39. ex Gomesio & Vgolino) quoad cæteras pœnas Ecclesiasticas, Doctores prædicti habent pro exempta, & immuni. Idémque tradunt Petrus à Nauarra l. 2. de restit. c. 2. n. 428. Couarr. reg. *peccatum* p. 2. §. 8. n. 7. Binsfeld. in rubr. de Simonia notabili 15. obseruatione

tione 3. Vgoliuus. tab. 3. de Simo: cap. 5. & securum pronunciat Layman l. 4. tract. 10. cap. 8. num. 68. Affirmant ergo hi Doctores, talem simoniam esse à censuris quas excutimus immunem; ita vt quamdiu pretium illud, etiamsi ex malitia & ad securam in beneficio perseuerantiam non persoluitur, beneficium sic datum retineri tuta conscientia possit, & fructus eius à beneficij emptore percipi queant; quamuis si postea soluat saltem partem aliquam pretij dati, retrotrahenda sit hæc pœna ad tempus accepti beneficij sine pretij numeratione, & omnes ex beneficio fructus ab eo tempore percepti debeant necessariò restitui & beneficium eo intermedio tempore ritè obtentum, sit tunc dimittendum, vt habet Stylus Curiæ, qui habet vim legis, in foro externo. Quanquam quoad forum conscientiæ, hanc simoniæ retrotractionem post solutum pretium, non valere quoad fructus ante perceptos restituendos, & quoad beneficium ritè obtentum dimittendum, nisi accedat condemnatio, censet Lessius l. de Iust. c. 35. dub. 27. *in fine*, fauétque Suares c. 57. num. 56.

Omnis Simonia in beneficio, vtrinque vera & realis, & obnoxia pœnis iuris.

4. FVerunt qui eodem modo, á pœnis contra Simoniacos circa beneficia latis eximerent eos qui non nisi iure humano inductam simoniam contraxerunt. Vnde permutantes beneficia absque legitima facultate, & reseruantes sibi pensionem absque licentia Pontificis, quos putant aduersus solum ius humanum peccare (decepti tamen quoad hos posteriores), negant innodari pœnis simoniacorum: cum simonia aduersus ius humanum, non sit simonia in omni rigore & proprietate, sed tantùm per reductionem quandam. Leges autem pœnales, cuiusmodi istæ sunt, debeant restringi, nec vrgeri aduersùs aliquem nisi quantum fert præcisa proprietas & rigo verborum. Ita Aragon. 2. 2. q. 100. art. 6. dub. penult. & Petrus á Nauar. l. 2. de restit. c. 2. num. 436. quibus vel planè adhæret, vel valdè fauet Lessius. l. de Iust. c. 35. n. 141. Verùm hæc sententia nullomodo est admitenda, estque reuera singularis. Nec autores qui á prædictis Recentioribus pro ea proferuntur, Cassadorus Nauarrus & Couarruuias, ita senserunt, præsertim Nauarrus qui in. c. *si quando* de rescrip. except. 4. & sæpè alibi, contrarium desertè tradit. Sibscribunt passim, Iurisperiti quos adducit & sequitur Suar. c. 55. à n. 19. & c. 57. num. 42. & 43. Imo Dur. qui vnus ferè inter Theologos, simoniam solo iure humano prohibitam, non agnoscit esse veram simoniam in ratione peccati; tamen concedit eam idcirco vocari simoniam, quia obnoxia est iisdem pœnis Ecclesiasticis, quibus propriè dicta simonia, iure naturali & diuino damnata, punitur ab Ecclesia. Itaque nemo Doctorum, siue Theologorum siue Iurisperitorum, sententiæ quam excutimus est suffragatus; nec ratio astipulatur. Nam simonia solo iure humano vetita, est vera simonia: & propriè ac seuerè rem spectando, est in eadem morali specie culpæ, in qua est simonia ex natura rei, cum vtraque ex eodem motiuo, & intuitu eiusdem honestatis, ex diuersis licet iuribus, vetetur. Et accedit confirmatio optima ex vsu, qui eodem modo ferit quamcunque simoniam circa beneficia; siue admittatur contra ius Ecclesiasticum, siue contra diuinum. Quare extra dubium sit, simoniacos circa be-

[illegible]ia, quamuis solo iure humano sint noxij, tamen multari ijsdem pœnis Ecclesiasticis, quibus mulctantur cæteri. Imo quandoque Simoniaci aduersus solum ius humanum in hac materia quia verba legis pœnalis ad eos solos pertinent, subiiciuntur alicui pœnæ Ecclesiasticæ cui non sunt obnoxij, qui aduersus solum ius diuinum deliquerunt in hoc negotio, quia ita interfuit ob frequentiorem & damnosiorem Reipublicæ, lapsum in quasdam actiones huius materiæ solo iure humano illicitas, vt patebit ex dicendis de simonia confidentiali, quam solum ius humanum facit illicitam, & multis pœnis iure præcipue mulctat.

Cuiusmodi est excommunicatio Pontifici reseruata.

4. HIs itaque præmissis, vt malignitatem simoniæ circa beneficia, per hunc eius moralem effectum, hoc est per pœnas ei ab Ecclesia meritissimò repensas, patefaciamus: dicendum est imprimis omnem huiusmodi simoniacum, sordentem reali & vtrinque completa simonia circa beneficium, operatumque ex scientia ad censuram incurrendam sufficiente: percelli maiori excommunicatione summo Pontifici reseruata, vt constat ex Extrau. 2. de simo. & ex 5. Constit. Pij Quinti, variis posteriorum Pontificum decretis firmata. Extenditur autem ad quoscunque influentes in hanc simoniam, etiam ad mediatores: non quidem ita vt eam incurrant, cum primum actus eorum perficitur, sed cum beneficij & pretij receptio cum effectu interuenerit. Nec potest euitari hæc censura, ob paruitatem pretij dati; quod in controuersiam vocauit Nauar Consil. 42. de simon. Sed immeritò; cum talis quoque simonia sit mortalis, ac proinde capax feriri censura. Excutiunt minutius hanc pœnam Suar. t. 5. 3. p. d. 22. s. 5. à n. 22. & l. de Simo. c. 56. & 24. ac 33. Layman l. 4. tract. 10. c. 8. §. 9. Auila p. 3. disp. 5. dub. 9. concl. 5. 6. 7. ac Sayrus l. 3. de censu. c. 30. & l. 7. c. 12. Agnouisse videtur hanc excommunicationis simoniaco intortæ pœnam, Petrus Damiani l. 2. Epistola 2. docens, Giezi Simoniacum, esse ab Elisæo ob simoniam lepra mulctatum; quia vt leprosus olim arcebatur à castris, ita Simoniacus à sacramentis & cœtu Ecclesiæ.

Alia censura, qua hanc simoniam percelli censuerunt aliqui, nempe suspensio, caret sufficienti fundamento, etiam in iure nouo: quicquid aliqui Recentiores sint arbitrati, quos improbabiliter locutus monstrat Suares c. 56. n. 19. addens n. 20. nec Irregularitatem immediatè & perse incurri per hanc simoniam, si desit infamia: qua item aliqui hanc simoniam mulctarunt. Verùm infamia ex simonia in beneficio, prout est pœna iuris inducens irregularitatem, non incurritur ante Iudicis sententiam, præuia accusatione Girogatam, vt habetur c. *fine* 15. q. 3. Ipsam verò Irregularitatem, per hoc peccatum non incurri immediatè, fusè confirmat Suar t. 5. 3. p. d. 43. s. 4. contra Maiolum l. 4. de irregul. c. 23. & l. 5. c. 45. Itaque agendo de Censuris & Canonicis impedimentis huius simoniæ, (extra rem beneficiariam,) sistendum est in excommunicatione.

Item

Item planè cassa adeptio beneficij, sic parti, eiusque necessaria dimissio, ac fructuum perceptorum restitutio.

6. AT quoad pœnas Ecclesiasticas spectantes ad rem beneficiariam, siue sit sermo de beneficio simoniacè parto, & iis quæ pro eo sunt data, vel ex eo percepta, siue de aliis beneficiis ante comparatis, aut postea parabilibus; dicendum est, quod ad beneficij adeptionem simoniacam attinet, (dempto solo summo Pontificatu, de quo ob periculum schismatis est peculiaris ratio, vt Suar. cap. 57. num. 57. animaduertit); quamuis ex natura rei valida esse posset, quia posset interuenire sufficiens voluntas inter partes, requisita ad natura sua validam translationem beneficij; quamuis item ius diuinum positiuum validitati illius adeptionis non obstet, vt fusè confirmat Suar. c. 57. num. 16. Tamen iure Ecclesiastico, planè irritari, & ipso facto siue occulta, siue publica fuerit, nullam reddi; ita vt sic adeptus beneficium prorsus careat vero titulo & iure, vt disertissimè statuitur Extrau. 2. de Simo. & in quinta Constitutione Pij Quinti: indica úrque cap. *Matthæus*, de Simon. Agnoscunt hanc simoniaci beneficiarij pœnam, omnes Iurisperiti ad titulum de simonia, & latè Felinus c. *in nostra* de rescrip. Couar. reg. *peccatum* 2. p. §. 5. num. 8. Guttierres l. 2. qq. Cano. cap. 25. num. 12. aliique permulti apud Valerium V. *Simonia*, differentia 2. Theologi item in 4. d. 25. & cum Sancto Thoma 2. 2. q. 100. art. 3. Summistæ denique V. *Simonia*. Addendáque est inhabilitas perpetua ad hoc beneficium ritè postea obtinendum, nisi interueniat specialis dispensatio summi Pontificis, si prouisus simoniacè non ignorauit vitium prouisionis, & ad illud quoquomodò cooperatus est, aut consensum exhibuit. Nam de eo qui simoniam ignorauit, alia est ratio pro illa vice, quoad omnia beneficia præterquàm simplicia, vt ex iure eruit Suar. c. 61. n. 1. Laym. l. 4. tract. 10. cap. 8. num. 73.

7. Ex quo sequitur, beneficium sic acquisitum, non posse in conscientia, (etiam ante condemnationem) retineri, cum desit ius omne circa beneficium. Ac proinde neque fructus vlli ex eo ratione tituli percipi possunt: quia percipere fructus rei non suæ, est contra iustitiam; ac proinde etiamsi ius Ecclesiasticum hic siluisset, (quod non fecit,) iure tamen naturali iniiceretur obligatio dimittendi beneficium sic comparatum, & nullos ex eo fructus percipiendi, vi tituli, distributionibus non exclusis, vt Suar. c. 57. num. 27. contendit. Adde etiam iam fortè perceptos fructus, & sua culpa non perceptos, restituendos esse, sponte & ante omnem sententiam, deductis duntaxat expensis in eorum collectione factis, aut iis quæ in vtilitatem beneficij cesserint, siue in bonum ipsius Ecclesiæ beneficij. Huic enim restitutio iure communi facienda est, non autem successori à legitimo, contra Nauarrum tract. de spoliis §. 12. num. 4. Quanquam potest eius sententia valere; vbi consuetudo ius acquisiuit successori in fructus illos; quod alioqui clare est penes Ecclesiam prædictam, vt notat Sylu. V. *restitutio* 4. q. 1. & Suar. supra num. 20.

Extenditur resolutio ad Simoniam ob influxum tertij.

8. PORrò irritatio illa & omnimoda nullitas adeptionis beneficij, ac obligatio illud sic obtentum dimittendi, fructúsque ex eo perceptos restituendi ante quamcunque sententiam, non modò cadit in Simoniacam beneficij adeptionem ob culpam beneficiarij adipiscentis, sed etiam ob Simoniacum influxum tertij in eam adeptionem. Hoc est indubitatum, si tertius iste, conscio illo cui beneficium captatur & approbante, vel conscio tantùm, nec tamen improbante, sed tacente & negatiuè se habente, simoniacum opus admisit. Tunc enim is cui beneficium quæritur ob approbationem captationis Simoniacæ ab alio adhibitæ, censetur in eam influere. Nec aliter pronunciatur, cum conscius est & tacet, nam consentire videtur. Ita statuitur c. *nobis fuit* & c. *Sicut tuis* de Simo. Videndus Couarr. reg. *peccatum* p. 2. §. 8. num. 7. Haud item secus esset, si sciuisset Simoniacum tertij interuentum, & pro viribus contradixisset. Nihilominus enim collatio ex eo interuentu ritè cognito facta, esset Simoniaca; atque adeò etiam receptio, ac proinde beneficij assecutio nulla esset, vt rectè statuit Suar. cap. 57. num. 29. Less. l. 2. cap. 35. n. 243. Petrus à Nauar. 2. de restit. cap. 2. à num. 414. Si tamen in eodem cui beneficium Simoniacè quæritur, præcessisset tantùm suspicio aliqua alieni delicti, & ad primum illius suspicionis afflatum, fortem contestationem ac contradictionem adhibuisset; postmodùm verò deposita ea suspicione, bona fide, ignarus Simoniaci interuentus beneficium reciperet, receptio nō esset Simoniaca aut inualida, vt sancitur cap. *sicut tuis* de Simon. Nec quod postea solueretur eiusdem bona fides, & simoniam interpositam aduerteret, cui ante obtentum beneficium non adhæsisset, noceret ea Simoniaca interuentio postea comperta, adeptioni beneficij. Imo quamuis post semel ritè ad eum modum positam beneficij adeptionem, non consentiret Simoniæ se inscio adhibitæ, & tamen pecuniam refunderet mediatori nefario, ne largitate in sui gratiam facta grauaretur; non idcircò excideret beneficio sic parto, vt rectè Lessius l. de Iust. cap. 35. num. 144. Nauarrus l. 5. consilio 10. de Simon. Adria. quodl. 9. artic. 3. & Suar. cap. 57. num. 32. qui omnes præter Nauarrum, idem statuunt de consentiente in simoniam post factum; qui tamen esset dignus qui per sententiam deiiceretur; quod vnum voluit Diuus Thomas 2. 2. quæst. 100. art. 6. ad 3. Sic igitur res se haberet in euentibus propositis, de eo qui beneficium consequeretur quoquomodo, ante vel post pactum, conscius adhibitæ per alio in sui gratiam Simoniæ.

9. Si verò is cui beneficium quæritur, nullo modo esset conscius alienæ mangoniæ circa beneficium ei curandum Simoniacè, non ab inimicis hostili animo ad beneficij acquisitionem inualidandam adhibitæ, (hoc enim non nociturum validæ assecutioni beneficij, constat ex cap. *sicut tuis* de Simo. & cap. *nobis* eodem:) sed adhibitæ animo beneuolo, aut cum Collatore, aut cum mediatore apud Collatorem, aliásque acquirendi beneficij causas & concausas, vt faciunt patres in fauorem liberorum quibus quacunque ratione captant beneficia; & reliqui cognati in gratiam suorum quos Ecclesiæ addicunt. Tunc Nauarrus-

uarrus & Vgolinus, tantùm censent eam prouisionem esse caducam, & infirmandam per sententiam. Sed S. Thomas 2.2. quæst. 100. art.6. omninò affirmat assecutionem talem beneficij per ignorantem, esse ipso facto inualidam; ita vt cum primùm resciuerit iniquitatem, à patre. V.G. in sui gratiam malè admissam, teneatur & beneficium dimittere, & restituere fructus perceptos, (nisi quos bona fide consumpserit), aut tanquam condignum stipendium sui ministerij obtinuerit, vt distributiones, subscribunt Suar. cap. 57. num. 35. Ioannes Valerus V. *Simonia* differentia 3. Henriq. l. de excommu. cap. 37. num. 5. Gutierres l. 2. qq. Canon. cap. 23. à num. 24. Couarr. reg. *peccatum.* p. 2. §.8. num. 8. & plerique Iurisperiti, Inter quos tamen Couarr. non putat id haberi ex iure positiuo humano, sed ex iure diuino, quo irritari putat huiusmodi adeptionem beneficij. At plerique omnes, meritò eam irritationem iure diuino factam non agnoscentes recurrunt, ad ius Ecclesiasticum, quo statuitur, beneficiarium sic prouisum teneri illicò dimittere beneficium, cum primùm rescit iniquitatem paternam, quod habetur c. *sicut tuis*, de Simon. & cap. *quicunque.* 1. quæst. 5. Quanquam ob bonam fidem, si interuenerit triennalis possessio, non admittitur contra illum actio in foro externo; sicut semper admittitur contra simoniacè prouisum cum mala ipsius fide, vt cum aliis notat Suar. cap. 57. num. 39. & Less. cap. 35. num. 140. Ex vi porrò eorundem Ecclesiasticorum iurium, quibus irrita ipso facto statuitur prouisio, de qua agimus, consequitur obligatio restituendi fructus perceptos, extantes nec consumptos ante solutam bonam fidem, aut debitos ratione ministerij: quam obligationem omnes planè agnoscunt, & habent tanquam certam, vt Suares supra num. 36. ostendit. Euanesceret autem ea obligatio, nec vllo modo posset subsistere, saltem quoad fructus residuos bona fide perceptos ante scientiam paternæ iniquitatis per filium; si adeptio beneficij fuisset tunc valida. Collecti enim fuissent è re sua, ac proinde non possent esse obnoxij restitutioni.

Obligatio reddendi pretium acceptum, non incurritur semper ex natura rei.

10. EST præterea ad Simoniacam beneficij translationem, obligatio reddendi pretium ante sententiam quacunque. Quæ obligatio non est semper ex natura rei, siue ex iure diuino; sed duntaxat cum violata est iustitia commutatiua. Eius quippè solius violatio, ad restitutionem obligat. Quamuis autem Soto 9. de Iust. q. 5. art. 2. significet, simoniam semper sordere tali iniustitia, non modò contra Deum; cuius res irreuerenter contra eius voluntatem contrectatur ac tractatur; (de hac enim iniustitia hic propriè non quæritur;) sed etiam contra ementem, cui res inuendibilis, quippe non æstimabilis pretio, datur pro pretio: Tamen vera sententia quam Suar. l. de Simon. c. 4. fusè confirmat, tenétque etiam Bonac. q. 5. de Simo. num. 24. adductis Valentia, Filiucio, & Azorio, itémque Layman l. 4. tract. 10. cap. 8. à num. 5. negat simoniam semper continere iniustitiam, de qua agimus. Hoc est perspicuum, si agatur de iniustitia contra vendentem. Ei quippè non fit iniuria, si prò re quam poterat & debebat gratis dare, pretium accipiat: ac proinde recipiens, pro pretio à se dato, nunquam ad vllam restitutionem ex natura rei te-

netur, vt Suares benè aduertit cap. 59. num. 47. Abest quoque iniustitia contra ementem, qui lubens dat quod venditor possit pro incommodo temporali, cui futurus est obnoxius, tradita re spirituali, cui annectitur temporalis vtilitas atque commoditas. Nimirum tradito spirituali titulo beneficij, cui annectuntur prouentus.

Cum ergo simonia circa beneficium, non semper contineat iniustitiam damnosam, contra iustitiam commutatiuam, vnde petenda est restituendi necessitas ex natura rei & iure diuino; meritò diximus, obligationem restituendi quod datum est pro simonia consummata circa beneficium, non esse semper ex natura rei, sed tantùm cum is qui accepit, admisit iniustitiam quam diximus. V. G. Prælatus vendens beneficia, quorum duntaxat est distributor, peccat non modò contra religionem; sed etiam contra Iustitiam, quia vendit id in quod nullum ius habet, præterquàm distribuendi. Vnde sicut hæres aut executor Testamenti, cui commissa est distributio legatorum piorum; facta ei potestate eligendi pauperes in quos fiat erogatio; peccat contra iustitiam, si aliquid ab iis exigat quos deligit ad fruendum benignitate legantis: Ita Antistes iniustè agit aduersùs eos quibus vendit beneficia quæ distribuere potest; & ex natura rei tenetur reddere quidquid ob eam distributionem acceperit. Similiter qui vexauit iniustè beneficiarium, & ab eo extorsit redemptionem vexationis, tenetur ad restitutionem ex natura rei, quia contra Iustitiam accepit. Vnde quia is qui est passus iniustum damnum, est idem et qui dedit pretium, frustra aliqui censuerunt huiusmodi restitutionem esse faciendam pauperibus vel Ecclesiæ; cum per se loquendo & sistendo in obligatione legis naturalis, facienda sit illi qui dedit; quia eius solius ius læsum est. Et ita rectè Soto l. 9. de Iust. q. 8. art. 1. Bannes 2. 2. q. 32. art. 7. Suar. l. 2. de Simon. c. 59 num. 23. & Valerius V. *Simonia* differentia 1. Cum verò in simonia circa beneficium, nulla huiusmodi iniustitia admissa est; deest ex natura rei loquendo; obligatio restituendi pretium acceptum. Quod voluit Victoria relect. de Simo. 2. p. num. 4. Caiet. V. *Simonia* Less. l. de Iust. cap. 35. num. 158. & 159. & 160. Suar. l. de Simo. num. 37. V. G. is qui dominus est beneficij per ordinem ad percipiendos fructus eius, & commoda temporalia illi annexa, si subducto iusto stipendio eius in quem transfert beneficium, vendat illi suum beneficium, non pluris quàm emolumenta illa valerent, si per se essent ac seiuncta à spirituali titulo; non tenetur ex natura rei ad restitutionem, quia non fecit iniuriam emptori, tametsi forsassis ignaro nullitatis translationis. Verè enim venditor se abdicauit re suá in eius gratiam, & dimissio illa atque abdicatio habens adiunctam priuationem emolumentorum, validè facta est à venditore: qui proinde non caret iusto titulo retinendi pretij accepti: ex natura rei loquendo, sic ergo se habet obligatio restituendi pretij accepti pro beneficio alicui dando, si res ex natura rei spectetur.

Iure Ecclesiastico semper incurritur.

31. AT spectato iure humano Ecclesiastico, aiebam iniici obligationem restituendi pretium acceptum pro beneficio, in illis quoque euentibus,

dicentibus, in quibus ob defectum iniustitiæ commutatiuæ, deesset obligatio ex natura rei ad restituendum pretium inijci inquam obligationem in conscientia, ante omnem sententiam. Quæ est communis doctrina Iurispericorum cap *de hoc*, & cap. *Veniens*, de Simon. Est etiam communis Theologorum cum Diuo Thoma 2. 2. q. 100. artic. 6. Et ita quoque Sylvest. V. *Simonia* q. 20. Nauar. c. 17. Lessius l. 2. cap. 35. num. 169. Suar. l. de Simo. c. 60. num. 3. Nec est multis in hanc rem Textibus ac Iuribus opus, cum disertè dicto capite *de hoc*, statuatur quod acceptum est pro simoniaca beneficij adeptione, non posse in conscientia retineri, sed debere restitui; quia in pœnam tam immanis culpæ, ius obstitit, ne dominium pretij illius posset acquiri.

De communiore autem sententia Doctorum apud Paulum Laym. l. 4. Tract. 10. cap. 8. num. 83. ratum est, restitutionem talis pretij, in conscientia & ante sententiam, si simonia sit completa, faciendam esse soli Ecclesiæ quæ passa est iniuriam: cui Legislator in pœnam spolians emptorem capacitate recuperationis dominij in tali pretio abdicati, applicatum illud voluit. Sic Burdinus Brachirensis, mulctatus est à Paschali Papa, pretio quod numerauerat vt fieret Episcopus Toletanus, vt narrat Rodericus l. 6 rerum Hispan. cap. 28. Attento tamen solo iure naturæ, restitutio facienda fuisset emptori, qui pretium dedit. Quod ius attendens Chrysostomus, in Synodo Ephesina Prouinciali septuaginta Episcoporum, damnato Antonino Episcopo Ephesino sacerdotiorum venditore pro proportione redditum, vita functo, edixit cum Concilio, vt pretium ab Antonino acceptum, redderetur iis qui dederant. Quod nunc quoque faciendum esse, si traditio beneficij non sit secuta, notant Lessius l. de Iustitia c. 35. num. 170. Gutierres l. 2. qq. Cano. c. 2. num. 19. & Carbo q. 60. de restitut. dicto 23. Posito autem quod simonia sit vndecunque consummata, restitutio vi iuris positiui, facienda est non emptori, vt male sensit Soto 9. de Iust. q. 8. art. 2. & ferè Bannes articulo illo 7. dub. 2. sed Ecclesiæ. Et ita rectè Censuit Diuus Thomas 2. 2. q. 62. art. 5. ad 1. & q. 100. art. 5. ad 3. & q. 32. art. 7. Victor. 2. p. relect. de Simon. num. 6. Lessius l. de Iust. cap. 35. num. 171. & multi quos referunt ac sequuntur Conar. reg. *peccatum* 2. p. §. 2. num. 6. ac Suar. l. de Simon. cap. 60. num. 8. qui cap. 62. num. 12. expendit quatenus hac in parte possit à Pontifice adhiberi dispensatio, quod nunc nostra non refert. Vt neque quod Lessius supra num. 172. affirmat, si restitutio fiat ei qui dedit, illum posse sibi retinere pretium restitutum, quia eius dominium retinebat donec ex præcepto Ecclesiæ erogaretur in causas pias ab eo qui acceperat.

Qui Simoniacos pecuniam pactam pendere coëgerint, non recepto beneficio.

12. NEc plura de pœnis Ecclesiasticis, spectantibus beneficium simoniacè comparatum, & pretium pro ea acquisitione datum. Præter legem enim, & vsum iure seu naturali seu humano præscriptum, quandoque contigit, vt non modò emptor excideret pecunia numerata, (de quo hactenus;) sed etiam cogeretur pendere pecuniam promissam, etiam non recepto beneficio. Quod suo tempore factum refert, & semper faciendum optat, Ioannes Sarisber. l. 7. polycr. c. 19. his verbis: In Apulia temporibus meis, reg-

nante Rogero Siculo, contigit vacare Ecclesiam Auellanam. Campaniæ, Apuliæ, & Calabriæ, Robertus iam dicti Regis Cancellarius, præsidebat: vir quidem in rebus gerendis strenuus, & sine magna litterarum copia acutissimus. In primis prouincialium facundissimus eorum, non impar eloquio, verendus omnibus priuilegio potestatis, & morum elegantia venerabilis, eoque mirabilior in partibus illis, quod inter Longobardos, quos parcissimos, (ne auaros dicam,) esse constat, faciebat sumptus immensos, & gentis suæ magnificentiam exhibebat. Erat enim Anglicus natione. Ad eum itaque viri tres accesserunt, Abbas quidam, Alter Archidiaconus, tertius laicus quidam præpositus regis, fratris sui Clerici causam agens; singuli clam pro iam dicto Episcopatu grandem pecuniam offerentes. Quid multa? Adhibitis familiaribus, seorsum, cum vnoquoque eorum conuenit de precio. Emptio ergo & venditio vndique perfecta est; de solutione implenda sufficientissimè cautum pignoribus & fideiussoribus datis, diésque præfixus est electioni solemniter celebrandæ. Cum itaque ad diem, Archiepiscopi, Episcopi, & multæ venerabiles personæ conuenissent; præfatus Cancellarius competitorum causas, & quid cum vnoquoque eorum egisset, exposuit: dicens se exinde ex Episcoporum sententia processurum. Damnatis ergo competitoribus Simoniacis, pauper monachus, & totius rei ignarus, canonicè electus, approbatus, & introductus est. Illi tamen coacti sunt soluere id in quo se obligauerant, vsque ad nouissimum quadrantem. Vtinam ita agatur cum procis nostris, qui omnes sedes olfaciunt, attentiùs quidem & curiosiùs quàm odora vis & sagacitas canum, formellas leporum, aut ferarum latebras deprehendat.] Simile exemplum Regis Francorum recitat Cæsarius l.6.cap.14.

Cuiusmodi deiectio ex beneficiis antè partis, & inhabilitas ad obtinenda incurratur.

13. SI verò spectentur pœnæ eiusdem simoniæ, spectantes beneficia fortè priùs parta à Simoniaco, aut deinceps probabilia; dicendum est, Simoniacum (excipio confidentialem, de quo postea,) non excidere ipso facto & ante sententiam condemnatoriam, beneficiis quæ fortè priùs rectè obtinuerat; quod malè senserunt nonnulli Iurisperiti, vt Rebuffus in praxi benef. tit. de modis amittendi benef. à num. 33. & Bern. Diaz in Pract. cap.131. Sed hoc nullo iure satis fundatur, vt monstrat Vgol. tab. 1.cap. 19. ac Laym. l. 4. tract. 10. cap. 8. num. 74. & Suar. de Simo.cap.58.num.4. ac Valerius verbo *Simonia* differentia 2. num. 1. *ad finem.* Et inde sequitur, Simoniacum priusquàm per sententiam condemnetur, posse priora beneficia quibus antea ritè potiebatur, resignare; vt cum Nauarro & Vgolino tradit Suar.cap.58.num.6. Sequitur etiam, fructus eorundem beneficiorum ritè obtentorum illi manere, non obstante simonia circa aliud beneficium postea secuta; post quam admissam, fructibus deinceps inde perceptis non excidit, vi sententiæ qua damnatus est simoniæ circa aliud beneficium: Ac denique sequitur, ius ex anteriore aliqua actione, beneficij adeptione præmittenda, resultans, v. g. ex electione; si ea actio pura fuerit & illimis, non euanescere ob simoniam in actione sequenti admissam,

admissam, nimirum in confirmatione: quia ius anterius quod electione partum est, non pendet ex posteriori culpa, & nullum ius Ecclesiasticum profertur in contrarium, vt notat Lessius cap. 35. num. 138. Hæc omnia pono vt communiùs rata apud Doctores, tametsi nonnulli, etiam ex hac parte, negotium facessere tentarunt Simoniaco, circa quodcunque beneficium.

14. Inhabilitas verò ad beneficia nondum obtenta, certò incurritur Simoniaco, quoad beneficium, circa quod admissa est simonia, vt habetur ex cap. penult. de elect. Ita vt nec possit illud beneficium retinere, nec per nouam concessionem vel electionem illud acquirere absque speciali dispensatione Pontificis: eo modo quo supra attigi, agens de nullitate tituli Simoniaci. Quoad alia tamen beneficia, inhabilitas Simoniaci quæ iuxta bullam Pij Quinti incurreretur ipso facto, & ante omnem sententiam etiam declaratoriam, vt contra Nauarrum cum Vgolino tenet Suares cap. 59. num. 10. & Layman l. 4. tract. 10. cap. 8. num. 74. nunc ob eneruatum per contrarium vsum illius legis vigorem, non habet locum nisi post sententiam declaratoriam. Vnde ad hoc vt receptio aliorum beneficiorum per Simoniacum in beneficio sit valida, non est necessaria vlla dispensatio, quandiu res non est deducta ad forum contentiosum. Præcedente verò damnatione, aut criminis declaratione, dispensatio, vt huiusmodi Simoniacus ad alia beneficia promoueatur, est Solius summi Pontificis.

Tantam prætcrea virulentiam in hoc scelere agnouerunt iura, vt quod notat Gigas quæst. 87. de pension. num. 7. statuerint illud posse à quocunque accusari, vt constat ex c. *Si Dominus* de simon. & cap. *tanta*, eodem. Vnde & seruus, & meretrix, & quiuis alius criminosus, admittuntur ad accusandum de simonia: quia hæc pestis, sua magnitudine omnes alios morbos antecellit, vt dicitur c. *sicut* de simonia.

Pœnæ speciales Simoniaci fiduciarij.

15. HActenus de pœnis, generatim cuicunque simoniæ circa beneficium constitutis. Iure tamen nouo, quædam speciales pœnæ inflictæ sunt simoniæ confidentiali, quæ in aliam quancunque circa beneficia simoniam non cadunt: Infliguntur autem, non si tantùm contractus sit celebratus, quod cum Nauarro notat Lessius lib. 2. cap. 35. num. 148. Sed dummodò simonia sit completa ex altera saltem parte: atque adeò siue hæc simonia sit semiperfecta aut inchoata tantùm, siue sit vtrinque perfecta, contra quàm vidimus contingere circa pœnas aliarum simoniarum in beneficio: Vt propterea hæc simonia, audire soleat omnium pessima, nempe in ordine, ad pœnas, quibus ob vrgens communis boni dispendium, & gliscentes in dies abusus, damnata est per Pium Quintum. Nimirum primò Episcopi, si eam admiserint, mulctantur pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ; inferiores verò quicunque, percelluntur ipso facto excōmunicatione Pontifici reseruata. Secundò irrita fit ipso facto prouisio beneficij per confidentiam acquisiti, infertúrque inhabilitas ad illudmet beneficium, & omnia inde secuta; & eiusdem beneficij collatio immediatè subsequens, quoad institutionem Prælatis competentem, reseruatur ipsi Pontifici, vnâ cum fructibus exinde malè perceptis. Tertiò denique

infertur inhabilitas ad quæcunque alia beneficia obtinenda, nec non priuatio omnium priùs ritè obtentorum beneficiorum, ac pensionum. Quoad hanc tamen priuationem, quia nemo cum re sua priuatur, tenetur ad executionem ante sententiam, saltem declaratoriam criminis, vt habet communis doctrina circa leges pœnales; propterea fatendum est cum Suarez c. 43. n. 13. & Lessio l. de Iust. cap. 35. num. 147. nisi intercedat condemnatio, saltem per sententiam declaratoriam, beneficiarium in beneficio etiam per confidentiam simoniacum, non excidere suis beneficiis priùs ritè obtentis; quia hæc est natura talis pœnæ, vt non incurratur nisi post sententiam aliquam. Videndus Sanchez l. 9. de Matr. disp. 30.

Malignitas simoniæ in beneficio, ex tot contra eam pœnis Canonicis. Tactæ Ciuiles.

16. EX tot támque grauibus pœnis, quibus Ecclesia diuinæ mentis conscia, nefariam simoniæ negotiationem circa beneficia, cùm vniuersè, tum specialiter confidentialē mulctauit; facilè est æstimare quàm grauis visa sit Ecclesiæ hæc iniquitas. Non enim Ecclesia quæ spiritu Dei agitur, & benignissima ac mitissima est, adeò graues pœnas cum aliqua immisericordiæ specie sumeret de Simoniaca in beneficiis nequitia, nisi eius atrocitatem tanta dignam coërcitione, haberet perspectam.

17. Poterant addi leges aliquæ ciuiles aduersùs Simoniacos, cuiusmodi quasdam collegit Satisber. l. 7. polycrat. c. 20. Insignis est Leonis Imperatoris Constitutio, ibi his verbis descripta. [Præter cæteras, nemo gradum sacerdotij, precij venalitate mercetur. Qualiter quisque mereatur, non quantum quisque dare sufficiat, æstimetur. Profectò enim quis locus tutus, & quæ causa poterit esse excusata, si veneranda Dei templa, pecuniis expugnentur? Quem murum integritati, aut vallum fidei prouidebimus, si auri sacra fames, ad veneranda penetralia proserpit? Quid denique cautum esse poterit, aut securum, si sanctitas incorrupta corrumpitur? Cesset altaribus imminere profanus ardor auaritiæ, & à sacris aditis repellatur piaculare flagitium. Itaque castus, & humilis eligatur nostris temporibus Episcopus, vt locorum quocunque peruenerit, omnia vitæ propriæ integritate purificet. Non precio, sed precibus ordinetur Antistes; tàtum ab ambitu debet esse sepositus, vt quæratur cogendus, rogatus recedat, inuitatus effugiat. Sola illi suffragetur necessitas excusandi. Profectò enim indignus est sacerdotio, nisi fuerit ordinatus inuitus. Cum sanè quisquis hanc sanctam & venerabilem Antistis sedem pecuniæ interuentu subiisse, aut si quis vt adulterum ordinaret, vel eligeret, aliquid accepisse detegitur, adinstar publici criminis, & læsæ maiestatis accusatione proposita, à gradu sacerdotij retrahatur. Nec solùm deinceps honore priuari, sed perpetuæ quoque infamiæ damnare decreuimus, vt eos quos facinus par coinquinat, & æquat, vtrosque similis pœna comitetur.] Edictum quoque Athalarici, aduersùs simoniam in beneficium, extat apud Cassiodorum l. 9. epist. 15. Non placuit tamen diligentiam in hac parte probare, quod tales leges ciuiles, latæ quidem sint à potestate seculari, sed vrgente potestate Ecclesiastica, vt de tam multis Iustiniani Ecclesiasticis legibus alij adnotarunt. Itaque perinde se habent hæ leges, ac si essent Ecclesiasticæ, quarum iam satis multas, aduersùs simoniam protulimus.

CAPVT

CAPVT SEXTVM.

Selecta Exempla eorum, quibus venalitas beneficiorum Ecclesiasticorum, & Simoniaca in illis negotiatio, vlciscente Numine carò stetit: ac primùm sub antiquo Testamento.

1 POENIS humanis aduersùs Simoniacam beneficiorum captationem, subiectum venio diuinas, quibus Deus ipse testatum abs se esse voluit, quantoperè Simoniacam beneficiorum Ecclesiasticorum nundinationem exosam habeat: Id quod generatim his verbis aperit Petrus Blesf. epist. 129. contra Archidiaconum Aurelianensem Simoniacum [Tu sordes auaritiæ, & immunditias simoniæ ab Ecclesia Dei non eiicis, sed inducis, cum scias Dominum aduersùs venalitates huiusmodi grauiter excanduisse, & tanquam abhorrendas abominationes in animalibus eiecisse flagellis. Et nunc acuit, vt fulgur, gladium suum, vt carnes deuoret gladius eius, ignisque consumat vsque ad inferni nouissima. Tetendit arcum suum, & in eo parauit vasa mortis, aduersùs eos quos posuit capita & cardines aliorum. Verbum Amos Prophetæ est; *Vidi Dominum stantem ad altare, & dixit. Percute cardinem, & amoueatur superliminare eius. Auaritia enim in capite omnium; Et ego interficiam eos gladio.* Auaritia hæc Simoniaca, ipsa est vermis, & interficiens bruchus pessimus, ærugo, & tinea cordis, quæ bona omnia æruginat & consumit. Nobilis Ecclesiæ quondam venerabile nomen; prostat, & in quæstu pro meretrice sedet.] Est id profectò verissimum, spectata frequentia & densitate Simoniacarum negotiationum circa beneficia.

Sepulti veteres Simoniaci non in beneficio.

2. AD hanc simoniam, restringenda est sicut vniuersa hæc tractatio, ita pœnarum Simoniacis diuinitùs repensarum enumeratio. Itaque quamuis aliqui iam olim in lege veteri fuerint propriè Simoniaci circa alias simoniæ materias, & diuinitùs grauiter idcircò sint puniti, de eis tamen hoc loco silebimus. v.g. Giezi iuxta veram sententiam, fuit Simoniacus; postulans vt pretium curationis, ab Elisæo cui famulabatur, & cum quo vnum faciebat, Namani redditæ; temporalia munera; quæ vt gratiæ factæ æquiualentia æstimabat: quæ erat simonia mentalis, vt rectè statuit Abul. 4. Reg. 5. quæst. 29. nec abhorret Suar. cap. 5. de simon. num. 8. quamuis alia fuerit ratio Naaman dantis, vt latè prosequitur Armacanus lib. 10. de qq. Armen. cap. 21. Quamuis igitur Giezi ad eum modum fuerit Simoniacus, ideòque Patres in exemplum Simoniacorum statuere soleant Giezi, nominatim Petrus Damiani opusc. 31. cap. 4. Petrus Blesensf. epist. 129. Cyrillus Hierosf. Catech. 16. & Ambros.

lib.4. in Luc. adductus cap. *citò* 16. quæst.1. quod lib. c. *eos* à Tarasio confirmatur: Tamen quia ea simonia non spectauit beneficium Ecclesiasticum, nihil de repenso ei diuinitus supplicio; dicendum erit hoc loco.

Multo autem iustiùs tacebo pœnas diuinitùs irrogatas Balaamo, quem plerique Simoniacis accensent, ac nominatim Hugo de sancto Victore lib. 2. de Sacram. pag. 10. cap. 2. Victor. relect. de simon. num. 10. Lorinus Actorum 8. num. 19. Cornel. num. 22. & disertissimè Petrus Dam. opusc. 6. cap. 7. Hácque ex causa Adrianus quodlib. 9. art. 2. ait à nonnullis Simoniacos appellari *Balaamitas*. Contrarium tamen de Balaamo dicendum esse, contendit Suares lib. de Simon. cap. 5. num. 9. quia reuera non plus se prodidit Simoniacum, quàm hodierni malefici, cum pecunia conducti, in alicuius perniciem ex nefario cum satana pacto grassantur: Hòc Suares rectè, si spectetur tantùm venalitas maledictionis à Balaamo intorquendæ. Quatenus tamen diuinationis pretium, (vt Scriptura notat) accipiebat, non potuit non haberi Simoniacus, saltem ex conscientia erronea, munus diabolicum arbitrante diuinum. Et ita significat Petr. Dam. opusc. 31. cap. 4. & Apologeticus pro Gregorij septimi constituto cap. 8. Fuisse autem Balaamum saltem imaginem Simoniacorum hodiernorum, plenè Rupertus lib. 2. in Apocal. cum de Epistola ad Angelum Pergami. Quamuis igitur hi quoque malè perierint, tamen multo iustiùs dimittendi hoc loco sunt, quàm anteriores illi, quos constat in aliqua materia verè ac etiam coram Deo fuisse simoniacos; sed non in beneficiaria, de qua sola proferenda nobis sunt exempla, nec exquisitè vel anxiè collecta, sed pauca selectiora, cum è veteri, tum è nouo Testamento.

Verè in beneficio Simoniacus, Esau.

4. SImoniacis ergo in beneficio diuinitus malè mulctatis, signifer haud abs re statuatur Esau. Nam eum fuisse simoniacum vendendo primogenita propter vnam escam, affirmat sanctus Thomas 2. 2. quæst. 100. art. 4. & in cap. 12. ad Hebr. nec obscurè ibidem Chrysost. hom. 31. Salianus anno 2223. Cornel. Hebr. 12. ad v. 16. & in cap. 25. Genes. *sub finem*. Fuisse autem simoniacum in beneficio, facilè deprehendetur, si statuamus quod magna consensione ab antiquis receptum liquet; nempe quod ius primogenituræ præter multa temporalia emolumenta quæ aduehebat primogenito, de quibus plenè Tiraquellus in præfatione operis de primog. à num. 12. priusquàm diuino iussu per Mosem Sacerdotium Tribui Leuiticæ cōferretur, complectebatur etiam sacerdotium, quod erat spirituale ius habens annexa varia commoda temporalia ratione sacerdotij competentia, vt quia altari ministrabat, de altario viueret, & ratione dignitatis spiritualis honoraretur, esséque in pretio. Sanè sacerdotium in statu puræ naturæ fuisset materia idonea simoniæ, quamuis specie differentis à nostra, quatenus venditio sacerdotij in eo statu, cessisset in vilipensionem rei sacræ & religionis, non quidem infusæ, sed tamen veræ & spectantis verum Dei cultum, vt Suares rectè affirmat cap. 8. num. 27. iuncto 32. & benè victoria relect. de Simo. num. 20. & 21. Ergo multo magis sacerdotium legis naturæ, ante Mosem, fuit materia simoniæ, cum esset in statu religionis infusæ

&

& supernaturalis. Hoc autem ius spirituale, & supernaturale, habuisse annexa commoda temporalia (vt affirmabam, perspicuum est. Esto enim ius ipsum primogenituræ prout præcisè tale, haberet quoque varias prærogatiuas, vt nunc quoque habere valet; tamen ex eo speciali titulo quod ei adiunctum fuisset sacerdotium; debebatur ei duplex honor, vt de bonis sacerdotibus dixit Apostolus. Nihil hîc ambiguum esse potest, si de illo spirituali sacerdotij & naturalis primogenituræ concursu, in eandem personam, constet id quippè in dubium reuocauit Caietanus Genes. 25. & disertè negauit Oleaster ibidem. Verùm communissima sententia admittit, post diluuium quousque Moyses ex Dei mandato aliud instituit, primogenitos quosque fuisse sacerdotes. Ita enim affirmat S. Hieron. epist 126. & in Tradit. Hebr. in Genes. non. semel. Fauet Clement. Romanus Const. c. 5. & S. Chrysostomus hom. 31. in ad Hebr. nec non S Augustinus in Psal. 46. ex recentioribus idem tradunt Abul. & Lippom. Genes. 25. & 26. Perer. c. illo 25. disp. 8. Suar. l. de Simo. c. 6. n. 6. Cornel. in c. 25. Genes *sub finem*, & Heb. 12. ad v. 16. Salianus anno mundi 1223.

5. Sic igitur constituta adiunctione sacerdotij, ad ius primogenituræ naturalis, manifestum est, Esau qui erat Isaaci primogenitus, vendendo primogenita sua, non precisè vt erant ius temporale ex primo ante fratrem ortu; sed adæquatè sumpta, & prout habebant adiunctum Sacerdotium, fuisse verè simoniacum in beneficio. Quamuis enim Esau, si voluisset vti præcisionibus, potuisset absque simonia vendere solum ius temporale & naturale antecedenter annexum sacerdotio; æquè ac ager annexum est ius patronatus, licitè venditur ratione terræ; & æquè ac calix ratione pretiosæ materiæ consecrationi præsuppositæ, vendibilis est absque simonia; sitque verisimile, Iacobum non plus emisse, aut ad vendendum induxisse; qua ratione liber fit à labe simoniæ, commodiùs quàm alia ratione inita à Caietano 2. 2. q. 100. art. 4. Tamen Esau homo carnalis, paruipendens ius spirituale, totum quod in iure primogenituræ siue antecedenter siue consequenter habebat, pro pulmento vilissimo distraxit. Quo fortassis pertinet vox pluralis *primogenitorum*, quam vsurpat Scriptura agens de hac venditione. Significare quippè videtur, plura iura vno illo pulmenti pretio diuendita fuisse ab Esau, Cum ergo sacerdotium Esau; adiunctis temporalibus commodis quæ ei consequenter erant annexa, esset beneficium Ecclesiasticum nostratibus proportionale ac penè geminum; sin minùs ratione primogenituræ naturalis & prærogatiuarum eius prout talis erat, (quæ omnia erant annexa antecedenter sacerdotio, non consequenter;) at certè spectata coniunctione sacerdotij, & commodorum ei vt sic consequenter annexorum, æquè ac in nostris beneficiis contingit; meritò dixi, Esau fuisse simoniacum in beneficio.

6. Insinuauit hanc eius labem Apostolus Hebr. 12. cum eum vocauit *profanum*. Quod enim Diuus Thomas ibi, *profanum* interpretatus est *gulosum*, manifestè non congruit; cum profanatio non sit nisi circa rem sacram & religiosam. Et quamuis gulositas fuerit ei causa profanationis primogenitorum, tamen formaliter ipsa profanatio aliud fuit quàm intempetantia gulæ; & vt optimè vidit Theophilactus Hebr. 12. profanatio illa sita fuit in contemptu rei sacræ; nimirum sacerdotij, quod pro vilissima esca vendidit, perinde ac si esset

res nihili, & eo pretio æquaretur. Qua in parte monstrosam eius intemperantiam, obseruat optimè Gregorius 30. mor. c. 27. Apud Apostolum porrò vox Græca *conculcatorem* sonat, vt Elias Cretens. ad 1. Nazianzeni Orationem animaduertit, agens de pane polluto apud Malachiam c. 1. monstránsque βέβηλα, quæ Latinè profana dicimus, ea esse quæ omnibus ad conculcandum sunt exposita, vocabulo ducto ἀπὸ τοῦ βηλοῦ, hoc est *à pauimento*, quod à quouis calcatur, tanquam res vilis. Itaque Esau in eo facto, accommodatè ad vim vocis fuit profanus & conculcator, nihili pendens rem sacram, vt disertè habent Hebræa & Græca: quorum fides immeritò sollicitatur à Recentioribus, cum dicunt Esau non primogenita paruipendisse, sed venditionem; quasi nugatoriam & irritam, quámque si opus foret, ipsemet ferro irritaturus esset. At hoc est notam à Paulò inustam amoliri, & pugnare pro Esau, ac diffiteri eum fuisse profanum.

Moles malorum in Esau, ex Simonia.

7. HÆc simoniaca Sacerdotij profanatio, atque venditio per Esau, quantam in eum conuexerit molem malorum: nemo satis explicet. Hinc quippè profundum vitiorum in quod decidit, ac tandem eius reprobationem repetere videtur Apostolus Hebr. 12. ait enim: *Contemplantes ne quis desit gratiæ Dei; ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat; & per illam inquinentur multi. Ne quis fornicator, aut profanus; vt Esau qui propter vnam escam vendidit primitiua sua. Scitote enim quoniam & postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est: non enim inuenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lachrymis inquisisset eam.* Autor fit Hebræis Apostolus; vt caueant profanare & abiicere diuinam gratiam, ne fortè obdurati & reprobi euadant, sicut euasit Esau ob simoniacam contentionem supernaturalis & spiritualis doni, siue sacerdotij; quam profanationem iuxta Apostolum, consecuta postea est inutilis pœnitentia, dum eum amissorum iurium temporalium & commodorum, potiùs quàm spiritualis doni fœdè diuenditi pœnituit, post discussas nebulas quas gula offuderat, & quibus intellectui obductis, abiecrat paruipendens. Vel si pœnitentia cui locum non inuenit, fuit pœnitentia siue retractatio Isaaci patris de collata Iacobo benedictione, (vt censent Isido. Pelus. l. 4. epistola 26. & Theophilactus hîc, estque verisimillimũ ex subiuncta ab Apostolo inquisitione cum lachrymis, quam circa Isaacum Patrem ab Esau adhibitam legimus, non circa Iacobum, vt contractus rescinderetur:) manifestè insinuauerit Apostolus, benedictionis paternæ amissionem, & deiectionem subtus Iacobum, omniáque alia incommoda surreptionem benedictionis consecuta, ex hac profanatione ortum habuisse. Exortum quippè harum malorum ex ea causa, sonat particula causalis ab Apostolo adhibita, *scitote enim quia* &c. Vt autem se à paterna primaria benedictione extorrem vidit Esau, desperans semetipsum, in omne vitij genus ruit. Nam præter odia acerbissima quibus in fratrem, & scilicet in matrem strophæ concinnatricem concitatus est, & Cainitici fratricidij post patris mortem renouandi palam testatam voluntatem reliqua vita prorogatam; vix exiguis interpolationibus fraternæ dimissioni aliquando concessis. Præter hæc inquam

exulcerati

exulcerati animi argumenta quæ abalienationem à Deo qui Charitas est, & omnis sanctimoniæ cladem præferebant, is fuit reliqua vita Esau, vt parentibus sanctissimis cordolio; Abrahæ stirpi probro, notis omnibus scandalo & horrori fuerit. Quæ qui non videat esse à numina irato grauissimum supplicium, & longè grauius quàm quod corporis cruciatione infertur, minus factè æstimet spiritualia bona, nec satis perspiciat quod à Diuo Augustino aliisque Patribus sæpè proditur, primam ac summam grauiter peccantis pœnam, esse nouum peccatum, & permissionem è malo ruendi in deterius, laxatis ad quidlibet illicitum pro animi effrenatione habenis.

8. Ergo Esau post profanitatem propositam, parentibus in dies grauior factus, & coniugio infidelium illigatus est, inconsultis parentibus, vt Iosephus lib. 1. Antiq. c. 17. prodidit, confirmatque Chrysostomus hom. 53. in Genes. duabusque vxoribus Hethæis paternam domum traductis, quarum peruersi mores idololatriæ, cui innutritæ fuerant consentiebant, pacatissimam antea familiam turbis compleuit: ita vt Isaaci & Rebeccæ animum tametsi mitissimum & patientissimum, ab his moribus offensum, disertè testeur Moses c. 26. Genes, mortemque sibi præ tædio à tam distorto filij ac nuruum genio apprecata legatur Rebecca, nisi à feliciore Iacobi coniugio tantis molestiis lenimentum accederet. Et accessit superpondium à nouo eiusdem Esau coniugio, cum vxore Ismaelitide, vix anterioribus reuerentiore in socium: quam haud inuerisimile est, vt Recentiores annotarunt, causam illi fuisse, ante solemnem eo ætate periodum, extabescendi. Nec finibus tot legitimorum coniugiorum coërcita Esau libido, etiam in scortationum volutabro inquinatus ac mersus est, quo illum enormis gulositas tanquam in continens abruptum abstrahebat. Monstrum quippe haberetur libido sine gula, iuxta Tertullianum l. de Ieiun. c. 1. [specta corpus & vna regio est. Per edacitatem salacitas transit.] An hoc est quod notare voluit illis verbis Apostolus, *ne quis fornicator; aut profanus, vt Esau?* Quanquam enim disiungit duo illa Theophilact. & primum in Esau cadere negat; tamen passim Doctores, vtrumque illud dedecus, ac veluti bigam nequitiæ nectunt, & in eadem Esau persona consociant, vt videtur ferre planus literæ Apostoli ductus.

9. Est tamen quod in eo *fornicatoris* epitheto, in Esau cadente notemus longè terrius ac detestabilius. Fornicationem enim in scriptura sonare idololatriam, atque adeò fornicatorem idem esse quod Idololatram, neminem fugit, & fusius confirmatur à S. Augustino tom. 10. fragm. 3. Nazianzeno. orat. 31. Philone lib. de decalo. & aliis passim. Esau igitur *fornicator* dictus videri potest, quia in illud iniquitatis ac scelerum profundum, deserente miserum Deo, tandem deuênit, vt idololatra factus sit, ac paternæ & auitæ religionis, quam ab Isaaco Patre, & auo Abrahamo hauserat, eiurator factus, aliis quoque magisterio sceleris prælucens, docuerit cognatos suos, circuncisionem obliterare, adducto præputio, vt scribit S. Epiphan. l. de pond. & mens. [illegible] id esse quod voluit Apostolus 1. Cor. 7. cum hortaretur: *Circuncisus aliquis vocatus est; non adducat præputium*; pro more scilicet pessimo, ab Esau apostasiæ Doctore quondam tradito, reducendæ pelli, adhibito spaltere, (corruptè Sixtus Senensis l. 4. bibl. *in Symmacho*, vocat *spatisterem*:), quæ erat

eiuratio religionis cuius circuncisio erat signaculum, & transitus ad idolomaniam incircuncisorum illius æui.

Quàm atrox ergo & dura hæc fuit profanitatis Esau castigatio ab irato Deo, vt traditus desiderijs cordis sui, non secus ac torrens in Austro, nouis continuò scelerum incrementis violentior & præcipitatior in malum; ad extremum Isaaci proles, Abrahami genus, eiuratione religionis & idolomania impiarit sese, aliisque ad eandem nequitiæ summitatem incentor & autor euaserit. Tyrannide in propinquos, infamatur in Testamento Patriarcharum: vbi Iudas profitetur, in prælio quo fratrem & nepotes opprimere tentarat, cecidisse Esau in arcu Iacob; id est, nepotum suorum ac vernarum illis adhærentium, & delatum esse mortuum in montem Seir. Diuinent quibus placet, Esau saluum esse, & quæ ex Malachia Apostolus Rom. 9. de Iacobo dilecto, Esau autem alio habito retulit, contendant non cadere in Iacobum & Esau personaliter: & bona potiùs temporalia; quàm gloriam æternam spectare: Iacobum sanè in Electorum ad gloriam, Esau in reproborum typum, ab Apostolo assumi, dubitare non licet: & esse verè Esau reprobum, S. Chrysostomus, Theodoretus, Oecum. Theophilactus, aliique concedunt; cuius que tam contaminata vita satis persuadet, vt non abs re dictus sit & *Edom*, quod cruentum & sanguinarium sonat; *Seir*, id est, *hispidus, pilosus, terrestris*; à fœculentia excrementitiorum humorum abundantis constitutionis corporeæ mentis terrenis affixæ, in malumque vergentis, propè certo argumento. Vt propterea Autor imperfecti in Matth. hom. 1. Esau præsentis vitæ, terrenæ, ac voluptariæ symbolum statuat, sicut futuræ Iacobum. Dictus est etiam *Esau*, quod sonare ferunt *ipse ignis*. Igne quippè illo profano arsit quem S. Augustinus in psal. 57. ad illud *supercecidit ignis*, & S. Bernardus serm. 2. de Purif. describunt, & omnem nequitiæ, ambitum complecti dicunt, denique aduersarios iam ex hac vita consumere dicitur Hebr. 10. iuxta S. Gregorij interpretationem hom. 2. in Ezech. Quid plura? Oseas omnes adulterantes, (id est, Idololatras & veri Dei abnegatores, in quibus Esau,) veluti clibanum esse docet; sed Deus in tempore vultus sui, posuit Esau vt clibanum, reponens immarcescibilem ignem tam multiplici nequitiæ simoniam eius affectatæ.

An ruina Ieroboami, ex simonia in beneficiis?

10. Poteram post Esau, inter turpes nundinantes beneficiorum Ecclesiasticorum recensere Ieroboamum, iuxta Lyranum 3. Reg. 13. & Binsfeldium ad rubricam de simonia notabili 11. qui ita accipiunt illa de Ieroboamo prolata c. illo 13. *Non est reuersus Ieroboam de via sua pessima, sed è contrario fecit de nouissimis populi sacerdotes excelsorum. Quicunque volebat, implebat manum suam, & fiebat sacerdos excelsorum. Et propter hanc causam, peccauit domus Ieroboam & euersa est, & deleta de superficie terræ.* Significari volunt Authores prædicti, causam cladis Ieroboami postremam, fuisse venditionem sacerdotiorum; ita vt sub eo, nemini volenti promoueri in sacerdotem, aliud satagendum esset, quàm vt manus impleret stata aliqua & non modica pecuniæ summa. Illico enim per sacrilegum Regem euehebatur ad sacerdotium. Quæ expositio

expositio verborum illorum, *implebat manum suam* rectè cadit in voces Latinas, cortice tenus spectatas. Minus tamen probanda videtur ea vocum notio, quod passim in Scripturis, *implere manum*, idem sit quod consecrare; vt diligenter præter cæteros prosequitur Sancius ad caput illud 13.& in caput 43. Ezechiel. num. 67. Itaque non possumus de loco solidè inædificare simoniam Ieroboami circa sacerdotiorum venditionem, de qua nihil alibi scriptum habemus. Ruina autem eius, in postremis verbis prolatis, refertur in obfirmationem in peccato, qua visis miraculis eodem capite recensitis, hæsit in scelere, & legitima Dei planè neglexit, permittens cuicunque volenti capessere munus certæ genti à Deo addictum. Quare propter pertinaciam in scelere, & neglectum diuini cultus, meritissimò euersus est. Et quanquam non est inuerisimile, hominem impiū vendidisse quoque sacerdotia, transgressione vnâ habente pro mercede transgressionem aliam, vt aiebat Ben-Azai in capitulis Patrum, *pag. mihi* 68. Tamen id non habetur ex cap. 13. proposito, quod vnum in hanc rem profertur. Quare alios profani Esau imitatores subnectamus.

Germanus profani Esau, Iason, plexus dirissimè.

11. IAson, Oniæ tertij Hebræorum summi Pontificis viri sanctissimi frater impiissimus, in beneficio simoniacus apertè fuit; vt Esau æquè denuò atque Iacobum, liceat in his germanis agnoscere. Nam cum Iasonem tæderet diuturnioris Pontificatus Oniæ fratris, eum apud Antiochum Epiphanem hominem impium æquè ac auarum, viuámque Antichristi imaginem calumniatus: oblata insuper Regi copiosa pecunia, summum Pontificatum simoniacè est adeptus. Fœdum mercimonium, & quo tandem impia sacerdotij nundinatio eruperit, apertè exponitur l. 2. Machab. cap. 4. *Post Seleuci vitæ excessum* (inquit ibi scriptura,) *cum suscepisset regnum Antiochus, qui Nobilis appellabatur, ambiebat Iason frater Oniæ summum sacerdotium: adito Rege promittens ei argenti talenta octoginta; super hæc promittebat & alia centum quinquaginta, si potestati eius concederetur; gymnasium, & ephebiam sibi constituere, & eos qui in Hierosolimis erant, Antiochenos scribere. Quod cum Rex annuisset, & obtinuisset principatum, statim ad Gentilem ritum contribules suos transferre cœpit, & amotis his, quæ humanitatis causa Iudæis à Regibus fuerant constituta, per Ioannem patrem Eupolemi, qui apud Romanos de amicitia & societate functus est legatione legitima, ciuium iura destituens, praua instituta sanciebat. Etenim ausus est sub ipsa arce gymnasium constituere, & optimos quosque epheborum in lupanaribus ponere. Erat autem hoc non initium, sed incrementum quoddam, & profectus gentilis & alienigenæ conuersationis, propter impij & non sacerdotis Iasonis nefarium & inauditum scelus: ita vt sacerdotes, iam non circa altaris officia dediti essent, sed contempto templo, & sacrificiis neglectis, festinarent participes fieri palestræ, & præbitionis eius iniustæ, & in exercitiis disci. & patrios quidem honores nihil habentes, Græcas glorias optimas arbitrabantur: quarum gratia periculosa eos contentio habebat, & eorum instituta æmulabantur, ac per omnia his consimiles esse cupiebant, quos hostes & peremptores habuerunt. In leges enim diuinas impiè agere, impunè non cedit. Sed hoc tempus sequens declarabit. Cum autem quinquennalis agon Tyri celebraretur, & Rex præ-*

sens esset, misit Iason facinorosus, ab Hierosolymis viros peccatores, portantes a reti didrachmas trecentas in Sacrificium Herculis.]

12. Non potuit Simoniaci Pontificis, maligna & supra omnem modum exaggerata impietas, Deo in pœnam immanis sceleris permittente, in tantam calamitatem exuberans, clariùs proponi. Itaque non est quod de ea enucleatiùs exprimenda sim sollicitus; nec est quod vrgeam, sub hoc simoniaco vt S. Augustinus notauit adductus c. *sicut Eunuchus* 1. quæst. 1. ignem sacrum qui totis septem annis Babylonicæ captiuitatis sub aqua vixerat, extinctum esse; ad signandam Spiritus sancti extinctionem per simoniam. His inquam dimissis tantùm obseruari velim, quomodò nefarius hic Iason, à contemptu rei sacræ, per simoniacam beneficij Ecclesiastici; (summi inquam Pontificatus) adeptionem, ad plenam Apostasiam à fide & religione Iudæorum viam sibi strauerit. ita vt etiam Hebræum nomen *IESVS*, quo priùs vocabatur, abiecerit: illúdque Gentili *Iasonis* vocabulo commutarit, ratus se ea commutatione acceptiorem futurum Græcis, qui rerum tum potiebantur. Ipsis item Hierosolymitanis nomen sanctum abstulit, & *Anthiochenos* dici in honorem Antiochi Auctor fuit, & quod lib. 1. Machab. cap. 1. narratur, obducendæ circuncisionis vt ab Esau quoque factum diximus, & epispasmi, qui Apostasiæ Symbolum, sicut circuncisio veræ Religionis tessera erat, ducem se præbuit. Vt dissimulari posse in adeò immani eius impietate videatur, quod gymnasium ædificasse dicitur: hoc est superstitiosarum & profanarum literarum scholas, vt Lyranus aliique nonnulli interpretantur. Vel potiùs vt Petrus Faber lib. 3. Agonist. cap. 27. & 28. pereruditè prosequitur, impuræ libidinis officinas, in quibus ephebi (nomen id prostitutorum puerorum apud Athenæum lib. 11.) detestando vsui imo abusui paterent.

Hanc in omne fœdum & iniquum effrenationem simoniaci Iasonis, diuinæ in illum iræ præcipuum caput, iure censuerim: qui sciam præ spiritualibus hisce pœnis, iusto Dei iudicio inflictis, exiles & nullius momenti videri debere temporales qualescunque calamitates, tametsi hæ quoque impio Pontificatus nundinatori nequaquam defuerunt. Audi enim quid de eo Scriptura 2. Mach. cap. 5. referat, post narratam eius è Pontificatu deiectionem per Menelaum, de quo mox; postque recitatam vrbis Hierosolymitanæ occupationem ab eo factam aduersùs Menelaum, ad falsum rumorem de morte Antiochi. [*Apprehensa ciuitate Menelaus fugit in arcem: Iason vero non parcebat in cæde ciuibus suis, nec cogitabat prosperitatem aduersum cognatos, malum esse maximum; arbitrans hostium & non ciuium se trophæa capturum. Et principatum quidem non obtinuit, finem verò insidiarum suarum confusionem accepit, & profugus iterum abiit in Ammaniten. Ad vltimum in exitium sui, conclusus ab Areta Arabum Tyranno, fugiens de ciuitate in ciuitatem, omnibus odiosus vt refuga legum, & execrabilis, vt patriæ & ciuium hostis, in Ægyptum extrusus est: & qui multos de patria sua expulerat, peregrè periit, Lacedæmonas profectus, quasi pro cognatione ibi refugium habiturus: & qui insepultos multos abiecerat, ipse & illamentatus, & insepultus abiicitur, sepultura neque peregrina vsus, neque patrio sepulchro participans.*] Hic finis detestandi Simoniaci in beneficio, vltore Deo.

Iasonis

Iasonis exturbator Menelaus, scelere eidem & supplicio suppar.

13. MEnelaus impij Iasonis nihilo melior administer, & ipse simoniacus, supplantato ac prodito Iasone, Pontificatum mercatus est ab Antiocho Epiphane, promissa supra pretium ab Iasone numeratum adiectione talentorum 300. Mercatus ad eum modũ Pontificiam dignitatem Menelaus, deiecto Iasone, animos crudelis Tyranni, (vt Scriptura loquitur 2. Mach. 4.) & feræ bestiæ iram gerens, simoniacæ Pontificatus inuasioni, permittente in pœnam Deo, congruentem vitam egit, templum sacrilegis expilationibus partim per se, partim per Lisymachum fratrem; vrbem cædibus, omnem Iudæam vastitate compleuit. Oniam sacerdotem sanctissimum per Andronicum scelestissimum præfectum pecunia muneribúsque corruptum, letho dedit; ne sacrilegiorum, quæ Onias exprobrabat, porrò argueretur. Optimos item ciues ad Regem à Senioribus Legatos, per Ptolomæum quendam aulicum pecunia deprauatum, nece à Rege illata perdere aggressus est, atque perfecit. Templum vniuersa terra sanctius, eidem Antiocho, sacris vasis & omnibus ad loci honorem ornatúmque per varias Reges ac ciuitates collatis, spoliandum obiecit. Legum & patriæ proditor, vt Scriptura eum indigetat. Ad extremum Dei patientia cum scelestissimi simoniaci improbitate diu colluctata, Iustitiæ vltrici impium dedidit, & digno fine teterrimam vitam conclusit. Rem paucis ex Scriptura 2. Machab. cap. 13. discere licet, post descriptum Antiochi Eupatoris, qui patri Antiocho Epiphani successit, aduentum in Iudæam *Rex Regum, suscitauit animos Antiochi in peccatorem: & suggerente Lysia, nunc esse causam omnium malorum, iussit (vt eis est consuetudo) apprehensum in eodem loco necari. Erat autem in eodem loco turris quinquaginta cubitorum, aggestum vndique habens cineris. Hæc prospectum habebat in præceps. Inde in cinerem deiici iussit sacrilegum, omnibus eum propellentibus ad interitum. Et tali lege, præuaricatorem legis contigit mori, nec terræ dari Menelaum. Et quidem satis iuste. Nam quia multa erga aram Dei delicta commisit, cuius ignis & cinis erat sanctus; ipse in cineris morte damnatus est*

14. Exclamarim hic potiore iure, quàm ille quondam ad suum Iouem, mulctato cælitus pestilente *Es magne Deus.* Haud frustra te Optimum Maximum, & nequitiæ seuerum denique vltorem vocamus. Supplicij genus congruentissimum, perfidus simoniacus qui in cineres sacra omnia verterat, nactus est; iustius quàm Aryphius & Arsites apud Ctesiam à Dario Notho, nec non Rex Secundianus ab Ocho, & quantum ex Nasone in Ibin licet colligere, versibus illis.

Vtque necatorum Darij fraude secundi
Sic tua succensus deuoret ossa cinis;

Non erat hæc in cineribus expiratio, mea suffocatio; sed deustio per succensos & ardentes cineres, quæ ad diuturniorem excruciationem & lentiùs vuicomburium videtur fuisse opportuna.

Simoniaci Caiphæ Pontificatus, vltio quanta.

15. CAiphæ simoniam in obtinendo Pontificatu, insinuat Iosephus l. 18. antiq. cap. 3. aliàs quarto, memorans per tempus illud quo Caiphas egit Pontificem, præsides Romanos crebram mutationem Pontificatus induxisse; ita vt etiam annis singulis, qui perpetuum munus gerere debuerat, mutaretur. Vtique ad quæstum & lucrum ex crebriore Pontificatus venditione per Ethnicos, & emptione per ambitiosos inter Iudæos. Disertè verò Abul. 4. Reg. ad c. 5. q. 39. id affirmat, & significatur in Septima Synodo, cuius locus describitur cap. *si quis omnem* 1.q.7. vbi dicitur. [Caiphæ traditio & adinuenta Simonis à sancto Sacerdotio est aliena] Quod accipio de traditione pecuniæ à Caipha facta Romanis, vt Pontifex fieret. Et Tarasius in Epistola ad Ioannem Anachoretam Caiphaicum (vt vocat) simoniæ studium detestatur. Sanè Caipham,non esse factum Pontificem gratis, affirmat ex Eusebio & Iosepho Pet. Dam. Opusc. 6. c. 10. Planè consentit Isido. Pelus. l. 1. episto. 315. verbis illis ad Leontium Episcopum simoniacè (vt fama erat,) promotum. [Si pecuniis (vt rumore iactatur,) thesaurum, quem pretio addicere nefas est, persecutus es, ac Simonis in modum, sacerdotium consequi cupiisti; non est tibi pars nec sors in hoc sermone. Nam quæ sequuntur, pro mea erga te indulgentia prætermittam. Illud vnum animaduerto, quòd Caiphas etiam, sacerdotium emerat, cum aduersùs Christum illud armauit. Quocirca quisquis sacerdotium emercatur, hunc Christi carnificem Caipham, esse constat. Nam quæ propter opera vitæque rationem, in fidem accipere nequit, ea impiis donis ac largitionibus consequitur.

16. Attigit vno verbo Isidorus, immanitatem pœnæ qua Deus simoniacum Pontificem anni illius mulctatum voluit, cum permisit eum iniquè parto Pontificatu, vti ad scelus scelerum & peccatorum peccatum: sic enim Christi cædem nominat Autor libri de oper. Card. apud Cyprianum serm. de passione *ad finem*. At sicut spirituales pœnæ longè horribiliores sunt corporeis, atque temporalia bona spectantibus, sic inter spirituales pœnas, vix vlla potest occurrere tetrior, & auersatione dignior; quàm permissio lapsus in tam immane facinus quod nulla quantumuis truculenta æquet appellatio. Sed non ibi stetit diuina in impium vltio. Vitæ namque & calamitatum quæ exinde eum oppressere, tandem pertæsum, quia conuenientiorem carnificem nancisci non poterat, sua manu cadere fuit, factum Biothanatum, & vitæ meta execrabili vitam detestandam claudere permissum, vt est apud Clem. Rom. 8. Const. c. 1.

Adeò verò altas radices in Iudæorum posteris & Caiphæ successoribus egit hæc nefaria plantatio, vt Palladius in dialogo de vita S. Chrysostomi vocet hoc vitium Iudaicum. Descripta enim exturbatione eorum qui per simoniam ab Antonino Ephesino fuerant adepti beneficia, subdit Palladius causam exturbationis fuisse. [Nesi ista passim permitteretur, consuetudo Iudaica vel Ægyptia fieret vendendi sacerdotium & emendi. Aiunt enim eum qui apud Iudæos Patriarcha falso nomine dicitur, vt pecunias cumulet, annis singulis, & intra annum quoque sæpiùs, Archisynagogos mutare. Similiter & Ægyptiorum Patriarcham,

cham, hanc imitando peragere, vt impleatur Propheticum illud Sacerdotes eius cum muneribus responderunt, & Prophetæ eius cum pecunia diuinabant.]

Doctrina omnium, pœna paucorum.

17. NEc plura de veteris Testamenti Simoniacis in beneficio, quorum clades nostris simoniacis in exemplum sunt positæ, de Petri Blesensis sententia, qui epistolam 229. qua simoniacum beneficiarium egregiè perstringit, concludit in hunc modum. [Vsu & experientia quotidiana cognouimus spiritualium venditores, quanto plures opes accumulant, tanto maiori semper egestate confundi. *Non habet euentus sordida præda bonos,* & ideò quandoque quæcunque malignè traxit auaritia, luxu peiore refundit. Achan de anathemate Iericho tulit, & lapidatus est. Chore spirituale officium vsurpauit, & igne cælitus misso consumptus est. Iason ab Antiocho sacerdotium emit, & extinctus est ignis, quem accenderat Ieremias. Saul munera detulit ad Prophetam, & in ira Dei constitutus est. Hieroboam omnibus qui manus ei implebant, sacerdotium conferebat, & domus eius subuersa est. Balthazar, quia vasis tabernaculi abutebatur, captus & occisus est. Dathan, & Abiron a terra absorpti sunt, quia spirituali officio sunt abusi. Deterreat te quæso lapidatio Achan, incendium Chore, lepra Giezi, & pecunia Simonis, reprobatio Saulis, subuersio domus Ieroboam, ruina Dathan & Abiron, extinctio ignis sub Iasone. Ille ignis est spiritus sanctus, qui per malitiam in nobis extinguitur; Ideóque scriptum est. *Spiritum nolite extinguere.* Cedat tibi ad documentum, discrimen alterius, & non tuum. Aliorum pœna te instruat, ne similiter puniaris. Mulctato enim pestilente; sapiens sapientior erit: lauabítque iustus manus suas, in sanguine peccatoris.]

CAPVT SEPTIMVM.

Similes diuinæ vltiones in Beneficiarios Simoniacos legis nouæ.

1. QVo splendidiores & sublimiores sunt tituli spirituales quibus temporales fructus conferuntur, & beneficia constituuntur, in lege noua; eo sanctiora sunt nostra beneficia Ecclesiastica antiquis; tametsi vtraque spiritualia & supernatualia fuerint. Mirum ergo esse non debet, quod Deus venalitatem Ecclesiasticorum beneficiorum legis nouæ adeò exosam habeat, & tam atrocibus pœnis sæpè vlciscatur: quod nonnullorum simoniacorum pœnis expositum venio. Quanquam omittendus hoc loco est simoniacorum omnium turpissimus, à quo hæc iniquitas nomen accepit, Simon Magus. Fuit is sanè primus noui Testamenti simoniacus, & grauissimas denique pœnas Deo dedit. Nam eius simonia, quoad materiam indubitatò spiritualem atque primariam, (ipsum inquam Spiritum

ſanctum viſibiliter collatum, diſertè proditur Actor. 8. Nec ſpiritum ſanctum emere volebat ſibi tantùm, ſed etiam vt illum grandi pretio reuenderet, vt obſeruarunt varij Patres, nominatimque Epiphanius hær. 21. Auguſtinus Tract. 10. in Ioan. *ſub initium*, & Cyrillus Hieroſolymit. catech. 16. Vnde grandis S. Petri in eum concitatio, de qua Nyſſenus in Encomia SS. Petri & Pauli. Pœnæ verò hunc Simoniacum conſecutæ, proſtant in hiſtoriis Eccleſiaſticis. Nam & in ſordes turpiſſimas, hæreſeſque omnino multas, cadere permiſſus eſt, vt ex variis Patribus monſtrant Thomas Maluenda lib. 1. de Antichriſto c. 7. & Hugo Buſlatus l. de aſtutiis vulpeculæ demolicentis vineam, ſiue de ſimonia cap. 2. & 3. Tandem verò ex caſu obtritus eſt ad orationem S. Petri, vt ſcribunt Clemens VI. Conſtit. cap. 9. & pulchrè Arnobius lib. 2. Quamuis igitur hic Satanæ primogenitus, indubitata ſimonia ſorduerit, & quidem primus in nouo Teſtamento; tamen eius culpa non fuit ſimonia in beneficio Eccleſiaſtico, quicquid dicant qui aiunt eum voluiſſe emere Epiſcopatum, vt Bellarminus l. de notis Eccleſ. c. 13. Non inquam ea fuit Simonis noxa. Vnde pœna ei repoſita non ſpectat ad hunc locum. Et idem dicerem de Iuda Iſcarioth, ſi vendendo Chriſtum verè fuiſſet ſimoniacus, vt aliqui cenſuerunt, nominatimque Goffridus Vindocinenſis Opuſculo 6. & 10. Quamuis enim ita eſſet, & pœnæ ob eam venditionem Iudæ repoſitæ, non ſint ambiguæ, Tamen eius ſimonia, non habuiſſet pro obiecto beneficiũ Eccleſiaſticum; atque adeo pœnæ ei retributæ, non eſſent huius loci. Reipſa autem, Iudæ peccatum; longè diuerſum fuiſſe à ſimonia, monſtrauit in Tractatione de Iuda c. 8. n. 20. vt diſſimulem, quod Iudas propriè ante noui Teſtamenti confirmationem obiit, quippè Chriſto præmortuus.

Æquè omittendus eſt ille alius, quem Hieronymus Matth. 8. & liber Apologeticus pro Gregorio VII. æquè ac Iudam, Simoni Mago præmiſſe volunt, illum inquam qui Chriſto ſeipſum obtulit dicens, *Magiſter ſequar te quocunque ieris*. Volunt enim eum præ lucri turpis cupiditate, ambiuiſſe Chriſti ſocietatem. Vnde Chriſtus peruadens latebras conſcientiæ eius, cum agnouiſſet, non alia ex cauſa quæri ab eo allectionem inter Apoſtolos, quàm vt ex miraculis quæſtum faceret, reſpondit; *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos; filius autem hominis, non habet vbi caput ſuum reclinet*; Hoc eſt, valdè hallucinaris, mi homo, qui me ſequi cogitas, quæſtus gratia, cum tamen adeò à quæſtu abhorream, ſimque vulpibus & volucribus egentior. Etiamſi verò hoc totum daremus, de quo non ſatis liquet; tamen quia ſimonia ſic admiſſa, non erat ſimonia in beneficio (neque enim Apoſtolatus fuit beneficium Eccleſiaſticum), meritò hunc ſimoniacum dimittere neceſſe eſſet, cui ſatis magna pœna fuiſſet, repulſa ab Apoſtolatu, & ſegregatio è cœtu ſanctorum, quibus nullus poſteriorum æquatus eſt, vt rectè ſtatuit Gregorius Nyſſenus in SS. Petri & Pauli Encomio per Gretſerum vulgato. Quare alia ſunt quærenda exempla vltionum diuinarum in Simoniacos beneficiarios; qualia pauca, ſed ſelecta, ſubiicio.

Simoniaca per Vigilium Pontificatus adeptio, explorata.

2. Vigilij Papæ ſimoniam in beneficio, diffiteri non licet. Extat enim S. Syluerij Papæ & martyris paulo ante glorioſum obitum Epiſtola ad

ad Vigilium tunc Pseudo-pontificem, quà eum damnat tanquam sedis qua in speciem potiebatur emptorem, & numeratæ ad id ab eo pecuniæ disertè meminit. Astipulatur Petrus Damiani Opusc. 6. cap. 16. ex quo Breuiarium nequitiarum Vigilij in Pontificatu emercando repræsento. [Quid de Papa (inquit,) Vigilio dicam? Qui nimirum sceleratus & impius, quidquid ordinando constituit, nemo Pontificum cessare præsumpsit, Ipsum denique noueris esse Vigilium, qui priùs Bonifacio Papæ molitus est insidias, quatenus eo viuente Apostolicam sedem sacrilegus obtineret: sed resistente Senatu, conatus illicitos & nefarios implere non potuit. Postmodùm solitis machinationibus, Syluerium Papam aggressus est, Apostolica dignitate priuare: quod ille mox animaduertens, Synodale Concilium congregauit, vbi autoritate Spiritus sancti & Apostolica potestate, eum vt reuera simoniacum & inuasorem, Ecclesiæ vinculis alligauit. Vigilius tamen vt sacrilega mente conceperat, per Imperialem potentiam, datámque pecuniam, & falsorum adminiculo testium, prædictum Papam Syluerium nequiter condemnauit, monachicis vestibus induit, & ad Pontias in exilium destinauit, sustentans eum pane tribulationis, & aqua angustiæ: ibique Felix Papa ille, Confessor factus defunctus ac sepultus est, ad cuius tumulum nonnulli sanabantur infirmi. Vigilius autem dignis anathematis nexibus irretitus, reus insuper homicidij, nefariis ausibus se Papam instituit.]

3. Liquet hinc de duplici capite, ex quo Vigilius simoniam in beneficio admisit. Nam & pecuniam numerasse in eam rem proditur; & adhibuisse etiam pactionem reuocationis Anthimi hæretici, quod erat munus ab obsequio. Cum enim Agapetus Papa, Anthimium, siue, vt alij vocant Anthemium Constantinopolitanæ Ecclesiæ Præsulem, à Seuero Anthiocheno Acephalorum postea capite dementatum, ob hæresim Euthichianam de sede deiecisset, nequicquam pro eo agentibus Iustiniano Imperatore & Theodora Augusta; & omnia grauia exihúmque comminantibus, ni Anthimum parto Episcopatu frui sineret; postea verò Theodora à Syluerio reuocationem Anthimi frustra experiisset per litteras; tandem Vigilius qui Constantinopoli post Agapetum ibi defunctum hæserat, clam Augustæ promisit, si Syluerius exturbaretur, & ipse loco eius in Romanum Pontificem promoueretur, omnino restituturum Anthimum, & Seuerũ Eutychianos hæreticos, & synodum Chalcedonensem Eutychianismi profligatricem rescissurum. Vicissim verò Augusta, in sceleris pretium, & aliquot ei auri centenaria spopondit, & Romanum Episcopatum; in quem eum mox intrusit deiecto per calumnias violatæ maiestatis, & initæ cum Gothis conspirationis sancto Syluerio. Vt conuentum inter eos erat, ita factum est, quod ad Syluerij deiectionem & Vigilij substitutionem attinet, per Belisarium literis Theodoræ eò adactum, & duobus auri centenariis à Vigilio sibi promissis excitatum. [Sed ô inestimabilem, (exclamat ibidem Petrus Damiani), diuinæ clementiæ pietatem! Vigilius, qui iam desperatus erat ad culpam, seruatur ad pœnitentiam; Anthimum scilicet hæreticum Patriarcham, quem reconciliare spoponderat, inthronizare noluit: Propterea longo detrusus exilio, diuisque afflictionibus maceratus, factis digna recepit; & sic demum procul à patria expulsus, defunctus quieuit in Domino.]

Immensa ærumnarum moles, repensa Vigilio, iam pœnitenti.

4. QVæ de ærumnis Vigilio diuinitus repensis breuissimè attigit Petrus Damiani, tam multa sunt, vt iustum volumen explere possint, & ad terrendos simoniacos beneficiorũ captatores, plus satis esse. Videmúrque affirmare posse tam immanes fuisse repensas ei pœnas, quàm atrox fuerat eius simonia. [Enimuerò (inquit Petrus Damiani l. 1. epistola vltima) sicut per auxesin dicitur, *Sancta Sanctorum*, & *Cantica Canticorum*; sic Romanam Ecclesiam vænaliter distrahi, *peccatum* est vtique *peccatorum*. Quamlibet quippè Ecclesiam ad taxationem pæcuniæ redigit, quid aliud, quàm omnes per orbem terrarum Ecclesias, quibus illa prælata est, vænaliter vsurpare contendit? Sanè sicut triginta denariis Iudas Iscarioth Dominum vendidit: ita triginta nihilominus maledictiones eius, reperiuntur in Psalmo quem aduersùs eum Propheta descripsit. Quæ scilicet maledictiones ab eo versiculo incipiunt, vbi dictum est: *Constitue super eum peccatorem*: illic autem desinunt, vbi subiunctum est; *Operiatur sicut diploide confusione sua.* Si ergo iuxta peccati modum, maledictionis siue damnationis ponderatur eloquium; quantæ perditioni Romanæ Ecclesiæ mercator erit obnoxius, qui dum vnam negotiatur, omnes simul Ecclesias comparare conuincitur.] Pro mensura ergo delicti Vigilij, fuit & plagarum modus.

5. Imprimis violatæ fidei Catholicæ infamia, non parum flagrauit Vigilius; vt vix nunc quoque apud aliquos ea in parte niteat. Verissimum quidem est, quod dixit Petrus Damiani, cum à Petri cathedra, subsecuto post Sylucrij mortem metu inuehendi alioqui schismatis, legitimorum electorum consensu, hausisse, robur illud quo caput periculis obiectare maluit, quàm impium promissum implere. Item verissimum est, Epistolas eius nomine apud Liberatum c. 22. Breuiarij vulgatas, quibus Eutychianismum professus duas Christi naturas abrogauit, fuisse suppositas ab Hæreticis, vt Sexta quoque Synodus agnouit actione 15. eúmque verè semper perstitisse Catholicum, solidè euincunt Bellarm. l.4. de Rom. Pontif. c.10. Baron. anno Christi 538. Leonardus Cocquæus In Antimornæo in Antidoro contra progressum 18. passimque alij Hæresiologi & Historici Catholici res illorum temporum exequentes. Tametsi igitur sunt ista planè vera, tamen hæreseos infamia apud plerósque flagrasse Vigilium, quasi consensisset in damnationem duarum Christi naturarum, & communionem cum hæreticis, negare non licet: quæ infamia, tametsi falsitate, & calumniis subnixa, tamen non exiguum fuit malum, paucorúmve angorum sementis in tali persona, cui nullum probrum inuri poterat tetrius.

6. Deinde vt autor est Anastasius *in Vigilio*, cum post aliquod tempus Theodora Augusta fidei datæ eum admonuisset, & pretium Pontificatus collati, renocationem scilicet Anthimi poposcisset; Vigilius autem mutatus in virum alterum, respondisset non posse se pactis pessimè initis stare cum fidei Catholicæ conculcatione; in rabiem acta Theodora, vt erat nequissimi & impotentissimi animi fœmina, exitium Vigilio machinata est; accedentibus præsertim aliquorum Romanorum de Vigilio querelis, quibus Theodora submisso Anthemio Scribone,

Scribone, inuentum in templo Ceciliæ Vigilium, abduci Constantinopolim curauit. Et obseruatione dignissimum est, captum illa ipsa die fuisse Vigilium, quâ natalem suum, id est, inaugurationis in Pontificem, exhibitione donorum celebrabat in predicta sacra æde. Vt non posset ambiguum esse Vigilio, vnde tanta in eum malorum moles esset deuoluta; Id quod ipse postmodùm professus est; nempe à Pontificatu simoniaca captatione primùm adito. Naui in præterfluentem Tyberim confestim immissum, populus iactatis post eum lapidibus, fustibus, cacabis, famen illi & pestem maláque omnia apprecans, prosecutus est aliquantisper. Hæc Baron. anno Christi 546. nixus silentio Facundi, atque Procopij conficta censuit; Sed neutrius silentium, potest consignatam adiunctis omnibus Anastasij narrationem conuellere, nisi aliquod contrarium ex iisdem aliisve eius æui Scriptoribus testimonium proferatur, quod non præstat Baronius. Et attendendum est, Procopium nundinatitium Scriptorem, in tauro Theodoræ Augustæ probro celando, seruasse morem huiusmodi scriptorum. Facundum verò alia omnia tractantem, etiamsi obiter Vigilium quandoque admisceat, tamen in causam quam versabat intentum, præteriisse quæ eò non attinebant, mirum non est. Quare non possumus absque fundamento, abrogare fidem narrationi Anastasij.

8. Qui addit, Constantinopolim abductum Vigilium, primò honorificè exceptum esse: postea tamen perstantem in sententia, & obfirmatum in neganda Anthimi restitutione, tantis pressum esse angustiis, tantóque mœrore oppressum, vt vitæ eum tæderet, quod disertè notat Albo Floriacensis *in Vigilio*. Et accessit causa trium capitulorum, de damnatione scilicet Theodori Mopsuesteni, Ibæ, atque Theodoreti: In qua primum in gratiam Iustiniani, damnatoribus subscripsit; tum veritus schisma Africanorum & Occidentalium, suspendere latam iam sententiam adactus est, non sine Iustiniani stomacho; & Augustæ promissam Anthimi restitutionem semper vrgentis, iugibus minis. Quæ tractatio acerbitatis & angorum refertissima, eas à Vigilio ad ipsos Augustos voces extorsit, qui ad Iustinianum & Theodoram venire se, ratus erat, reperisse reuera Diocletianum & Eleutheriam. Sed id sibi diuinitus rependi non immeritò. Digna enim (inquit) factis recipio; significans angustias quibus Sanctum Syluerium oppresserat per impiam Theodoram, ob simoniacum ab ea Pontificatus mercatum. Generositatem orationis Vigilij, aulicorum coruorum quidam, contentionem Principum interpretatus, impacta Christo Domini alapa, & patratis cædibus calumniosè exprobratis; Vigilium immane quantum dehonestauit atque afflixit.

Auctis postea turbis Occidentalium, ob (suspensam licet) damnationem trium Capitulorum, & prætensam clanculariam Synodi Chalcedonensis quæ illa probarat suffossionem; Vigilij malis accessit moles. Imperatore enim damnationem trium Capitulorum obfirmatè vrgente, eique suffragantibus omnibus Orientalibus Episcopis; cum Vigilius de constantia nihil remitteret, Iustinianus vim parans Vigilium adegit; vt se in Sancti Petri ædem præriperet: vbi aduersùs Orientales Episcopos vibratis censuris, animorum à se abalienationem & angorum suorum materiam amplificauit. In eo templo tractus violenter, & altaris quam tenebat mensa auulsa, propè obtritus est, vt ipse

met in Epistola Encyclica nuper in Auctario Cod. Theodosiani vulgata profitetur. Literæ datæ legatis Francorum à Clericis Italiæ, (extant. t. 1. Conc. Galliæ) habent, eum à quo tractus est Vigilius fuisse Prætorem, ad quem fures & homicidæ, tantùm pertinebant. Et post nonnullam malaciam, recrudescentibus procellis, trans mare portum captare coactus est in Chalcedononensi Diuæ Euphemiæ Basilica Quinta deinde Synodo congregata pro Iustiniani libidine, nequicquam reclamante Vigilio, & legitimorum conuentuum formam exposcente, fatigatus nouis angoribus est Vigilius, cernens suum (vt vocauit) Constitutum, hoc est decretum in causa trium capitulorum, ab Orientalibus in Imperiali illo conuentu (non enim Synodo, tunc quidem ;) conculcatum, intorto etiam ab Episcopis in dissentientes, ipsúmque adeò Vigilium anathemate, tacito licet eius nomine. Successit scissura Orthodoxorum ; his pro Synodo, illis pro Vigilij Constituto certantibus, ac multorum exilia & pœnæ, Iustiniani iussu irrogatæ. Qui ex Clero Romano aderant Vigilio fauentes, capti & ad metalla damnati. Ipse Vigilius cæsus, ac fune in collum inserto tractus, & in carcerem coniectus, modico pane & aqua ad victum subministratis, ad extremum in exilium pulsus est.

9. Neque hic finis angorum eius, Deo cumulate in caput eius regerente Sancti Syluerij angores, & simoniacam Pontificiæ dignitatis captationem. Quamuis igitur personas Theodori, Ibæ, ac Theodoreti, improbatis, si qui essent, earum erroribus, indemnes abire constituisset, ne vnâ damnari videretur Chalcedonensis Synodus, quæ eas personas probarat, eoque nomine in quintæ Synodi, & Imperatoris contrarium omni studio molientis iudicia offendisset, & acerba illa ac indigna, quæ diximus, excepisset : Tamen postea non sine animi laceratione & morsu acerbissimo, ad hæc ipsa, quæ tantoperè auersatus erat, tria capitula approbanda, venire coactus est, ne vniuersam Orientalem Ecclesiam schismate scinderet ; passus in re facti, & causa personarum non fidei, tam crebram consilij mutationem, pro circumstantiarum varietate : quæ illi supra verbera, & carcerem, ac exilium, atrocior agitatio fuit ; consideranti in quàm varias partes ea mutabilitas apud Catholicos toto orbe dispersos accipienda foret. Catastrophem tam longæ tragœdiæ imposuit, exorata à clero Romano per Narsetem Ducem, Vigilij reuocatio ab exilio : optione tamen à Iustiniano data, aliumne quàm Vigilium mallent habere Episcopum, nominatis duobus inter ipsos primariis, quibus deiecto in perpetuum Vigilio Pontificatus deferretur. Sed illis superstite Vigilio legitimo Pontifice alium omnem respuentibus, Vigilio regrediendi potestas est facta : qua dum vtitur, apud Siculos ex multa afflictione (vt ait Anastasius) calculi dolore cumulata, excessit è vita immensis fluctibus post Simoniacam Pontificatus captationem semper agitata.

Pœna Iustino iuniori & Mauritio illata ob simoniam in beneficio.

10. IVstinus iunior Iustiniani nepos, eique suffectus, ac quod Corippi de eo carmen monstrat, Imperator cæteroqui laudatus, & vt initia Imperij se dabant, eo loco dignissimus ; ex quo ad sacerdotiorum venditionem addixit animum, quod Euagrius lib. 5. c. 1. testatur, in peius ruere cœpit, donec

nec animo & corpore euersus, periit miserrimè. Nam & in luxuriæ volutabrum turpissimè demisit sese, vsque eò, vt leges Iustiniani patrui aduersùs illicita coniugia silere voluerit; & matrimonia ritè celebrata etiamsi pridem constantia, communi coniugũ consensu euanescere posse edixerit, ea cõstitutione quæ malè inter Iustiniani Nouellas legitur n. 140. cum in ea ipsemet Iustinus, non idem visum Iustiniano testetur. Rapax verò tantoperè; & quæstus vndecãque faciendi adeò auidus euasit, vt pudendum esset. Gregor. Turonensis in Pelagianã hæresim lapsum testatur, quod cum non æquè apud omnes constet, referatur sanè inter ambigua eius probra. Illud exploratum, inuidia & metu æstuantem, in Iustinum cognatum confictis criminibus grauatum, strinxisse iras, & in confossi caput, calcibus crudeliter sæuisse. Ad extremum non paucis cladibus per hostes obtritus, vertigine crebrò tentatus, & in phrenesim laudis duntaxat modicissimis interuallis cum sibi sinentem, miserè delapsus, ad cooptandum Tiberium Imperij adiutorem adactus, in magnis pro Imperatore miseriis vitam clausit; à felicissimis initiis ad finem miserrimum deductus, ex quo per sacerdotiorum venalitatem, teterrima sese simoniæ labe fœdauit. De eo sic Micyllus.

Ingenio, & pietate minor, non tempore tantùm,
Hic fuit astringens cultor auaritiæ
Regna sub hoc, longi cœperunt Italia Bardi.
Ipse pedum morbo, mentis egenus obit.

Mauricium Imperatorem, quæ malorum & calamitatum atrocissimarum Ilias inuoluerit, vulgatissimum est. Et quamuis tantæ Tragœdiæ causas alij alias proferant; Sanctus tamen Gregorius in Psalmum quartum Pœnitentialem, ad illud, *& qui laudabant me, aduersùm me iurabant*, quibusuis aliis probris, venalitatis simoniacæ eum incusat. Ipse enim est, Rex ille Simoniacus, quem ibi exagitat summa libertate. Locum dabo cap. 9.

Atrocitas ærumnarum Henrici tertij Imperatoris, Simoniaci.

11. HEnricus quartus eo nomine Rex Germaniæ, tertius eodem nomine in Imperatorem electus, ex matris vtero, specie serpentis exire visus, Patris Henrici secundi olim Simoniaci mores combibit, sed non exuit, vt à patre factum. Rem ex Vuillelmo Malmesburiensi l. 2. cap. 12. referam infra cap. 8. vbi pœnam diuinitus irrogatam cuius occasione resipuit, non omittam. Henrico igitur secundò mortalem vitam exuente, puerulus Henricus tertius, primùm sub Agnetis Imperatricis disciplina ad aliquos annos educatus, deinde Sancto Annoni Coloniensi Antistiti concreditus, optima semente in lolium infelix & steriles auenas degenerante, cum aliis sceleribus innumeris impiauit sese, de quibus ex variis antiquis Ballarminus l. 1. de translat. imperij Rom. cap. 2. mendacio 11. tum nominatim Simonicca beneficiorum venditione: & quidem adeò propudiosa, vt vel eam audire, horripilationem moueat. Adscribam nonnulla ex Epistola Stephani (qui & Herrandus) Episcopi Halberstadiensis, nomine Ludouici Comitis conscripta ad Valeramum

Episcopum Marpurgensem, Henrici partiarium, cuius bonam partem Dodechinus Abbas suæ continuationi Chronici Mariani Scoti, intexuit, sub annum Domini [1090. Audi (inquit) vera, non fucata, audi fortia, non facta: Omnis qui dignitates spirituales diuendit, hæreticus (Simoniacus) est: Dominus autem Henricus, quem Regem dicunt, Episcopatus & Abbatias vendit. Etenim Constantiensem, Bambergensem, Moguntinensem, & plures alios, pro pecunia; Ratisponensem, Augustensem, & Strasburgensem, pro gladio; Abbatiam Fuldensem, pro adulterio: Monasteriensem verò Episcopatum, quod dicere & audire nefas est, pro sodomitica immunditia vendidit. Quæ si impudenter negare volueris: teste cælo, teste terra, omnes etiam à furno redeuntes Scioli, concludent hoc. Dominus Henricus, hæreticus est. Pro quibus nefandis malis ab Apostolica sede excommunicatus, nec potestatem aliquam super nos, quia catholici sumus; poterit exercere.] Idem Dodechinus in Breuiculo scelerum Henrici, quem apposuit anno 1106. quo Henrici obitum consignat, disertè ait, *vendidit omnia spiritualia.* Idem fatetur Caluinus lib. 4. Instit. cap. 11. num. 13. De Henrici itaque simonia in beneficio, non est dubium.

Quanta autem moles malorum, nequissimum & infelicissimum hunc Principem Lue simoniaca à prima ferè ætate contactum, oppresserit; narratio est luctuosissima, & propè immensa, cuius summa capita breuiter attingo. Cum S. Anno Coloniensis Antistes, quo educatore Henricus primam ætatem ex parte exegerat, communem & publicam beneficiorum Ecclesiasticorum nundinationem ferre vlteriùs non posset, Regem ed pia monita obsurdescentem derelinquens, aula excessit. Henricus annos tantùm natus duos supra viginti, reprobum sensum in quem diuina vltio de simonia pœnas sumens cum dederat, cœpit apertè exerere, & expilatione & vexatione suorum, quos latrociniis & prædationibus infestari & siuit & voluit. Consecuti inde Saxonici in eum motus, & Comitia quibus parum abfuit quin auditis nefariis Henrici gestis, decreta deiectio eius, & alterius Regis substitutio, executioni mandaretur. *Sed* Gregorij VII. Romani Pontificis intercessione firmatus Henricus, post aliquantulum, metu potiùs quam virtutis amore conceptum, aut veriùs prætensum exteriùs, simoniacæ negotiationis auersandæ propositum, mox reuersus ad vomitum, & palam Episcopatus ac Abbatias diuendens, cum saluberrimis Gregorij per matrem Agnetem Augustam, aliósque ad id submissos admonitionibus non obtemperaret, anathemate interminato ni resipisceret, adeò efferatus est, vt Gregorium annos iā aliquot indubitatū Pontificem, abdicare omni studio sategerit; obduratúsque in nequitia, tandem à Gregorio percussus anathemate, defectionem Saxonum ac Sueuorum, precipuorumque Germaniæ Principum passus, in magnas angustias redactus est. tandémque ne ab omnibus (vt contestati fuerant), desereretur, pœnitentiam suam Pontifici Gregorio probaturus, in Italiam iter suscepit, ferè incomitatus, vixque impensis ad iter necessariis instructus, media hyeme in summis itinerum difficultatibus, quas præclusi à Germanis Principibus montium aditus adaugebant, omnibus, ac ipsis etiam cognatis & propinquis, piacularem hominem auersantibus, & releuare quacunque ratione refugientibus. Discusso metu, Henricus cum acceptam à Gregorio

gorio pacem mox conuulsisset, abiectus à suis, Rudolphum Sueuum quem ei Germanica comitia suffecerant, & Gregorius tandem firmauit expertus est æmulum: cumque eo, armis decernere necesse habuit.

Ex his omnibus, in quantas molestias & ærumnas induerit se Henricus, nemo non videt. Regressus postea cum summis difficultatibus in Italiam, vt rebus suis qua posset via consuleret, & Guibertum Antipapam quem Gregorio per summum scelus opposuerat, promoueret, omnia sacra & profana hostiliter ac prædatoriè vastauit, igne ferróque & vbiuis Orthodoxos Clericos æquè ac Laicos, non secus ac si in eos Saracenus quispiam irruisset, dirè vexauit. Quæ mihi longè grauissima ipsius Henrici calamitas videtur: cum in eo furoris sui œstro, confirmarit tormenta sua, & immanitati æternorum suppliciorum, obnoxius magis ac magis sit redditus. Post multas denique clades illatas, à Roberto Guischardo fortissimo Duce in subsidium Gregorij Romam profecto, fugatus; verum comprobauit quod de eo dixit Sarisber. epistola 210. maledictio Pontificiam in eius arma, & bella contra Catholicos, elisisse omnes neruos eius. Iniuit deinde regressum in Germaniam; sed ibi immensa clade à multo paucioribus Orthodoxis quibuscum confligere ausus erat, ad Herbipolim contritus est; rursúsque ab Eggeberto Marchione fusus, vix fuga elapsus.

13. Consecuta Conradi ex Berta priore coniuge filij aduersùs Henricum patrem rebellio, cuius ea præter cæteras causa proditur, quod spurcus pater, Adelaidi vxori posteriori infensus factus, eam carceri mancipatam, plurimorum vi adactorum ad eam fœdandam libidini exposuisset; quodque omnem pudoris conculcationem superat, se coram, talia in vxorem patrare adegisset spurcos famulos; & ipsum quoque Conradum ad incestandam Nouercam cohortatus, recusanti tetrum scelus, reposuisset, alio ipsum Conradum quàm putaret patre genitum; nec Henrico, sed Sueuo quodam Principe, cuius imaginem facie præferret, esse procreatum. Non sunt hæc commenta osorum Henrici, sed à Dochmo recitata ex Ludouici Comitis literis tanquam peruulgatissima, & quæ nemo vel effrontissimus diffiteri auderet; posteaque stupente & horrente orbe, in Synodis Constantiensi & Placentina coram ipso summo Pontifice Vrbano secundo discussa, Adelaide de atrocissimis iniuriis expostulan per seipsam. Conradus armis in Patrem correptis, non parum illi molestiæ creauit creauit, eóque miseriæ deuenit Henricus, vt munitione quadam conclusus, præ desperatione manus sibimet inferre consilium inierit; perfecisset que, ni à suis præuentus, inferre sibi violentas manus esset impeditus, vt Bertholdus anno 1093. scriptis prodidit.

14. Eodem autem Conrado præcoci obitu è viuis sublato, redintegrauit molestias alter Henrici filius, & ipse Henricus nomine; à quo Henricus pater multipliciter fatigatus, tandémque gradu motus est; & siue lubens ne prorsus succideret spes suas, siue vt alij prodidere, inuitus, & carcere à filio conclusus insignia Imperij deponere, & priuatus ac inglorius in locum sibi assignatum à Generali principum ac præsulum Germanorum conuentu, secedere est coactus: Vnde Leodium aufugiens, non ita vt multo post, improuiso obitu excessit in excommunicatione, nemine prorsus, nemine condolente, quin potiùs triumphante, & effusè tripudiante toto orbe terrarum; vt Vspergensis qui aderat,

& in Henricum propensiorem se semper prodit, scriptum disertè reliquit. Cadauer tumultuaria sepultura in quodam monasterio collocatum, mox Paschalis Pontificis mandato refossum, & Spiram à Filio translatum, per quinquennium extra Ecclesiam in loco profano hæsit, nullis exequiis, nullo funebri apparatu honestatum.

15. Hic finis Henrici ærumnarum temporalium; nam æternarum quas incurrisse videtur, nullus erit finis. Principium & origo prima tot & tantarum calamitatum, & reprobi sensus in quem infelix traditus videtur, repetendum est à Simoniaca beneficiorum venditione, quam à prima admotione ad Reipublicæ gubernacula, quamdiu potuit, obire perrexit. Idque primum inter eius scelera non modò Dodechinus, Goffridus, Viterbiensis, Lambertus, Abbas Vispergensis, Trithemius in Chron. Hirsaug. anno 1069. & 1070. & millesimo centesimo quinto; sed etiam qui cum eo conflixere Pontifices. Testatúrque Marianus Scotus in Chron. anno 175. quæ prætereа concubinarios sacerdotes fouendo, in maximum Ecclesiæ damnum horrenda prorsus & infamia admisit Henricus, ex hoc fonte venditionis beneficiorum fuisse deriuata. Viderint igitur ad quos beneficiorum Ecclesiasticorum curandorum pars aliqua quoquomodo pertinet, quò infelicissimum Principem perduxerit venalitas beneficiorum: quanta malorum & ærumnarum mole eum oppresserit per vniuersam ferè ætatem; quantis quámque horrendis in Deum, in Ecclesiam, & summos eius Rectores, in coniugem ac natos, in mortalium innumeros piaculis impiarit; & Diris in simoniacam beneficiorum, quà emptionem, quà venditionem ne pareant. Illudque Goffridi Viterbiensis parte 17. historiæ, tam simpliciter quàm verè prolatum, concludant.

Vendere Pontifices, non possunt amodò Reges;
Illud enim sacra prohibent per secula leges.
Expedit vt Simonis crimina quisque neget.

Simonia beneficiaria Philippi Franci, quantis calamitatibus castigata.

16. PHilippus primus, turpi Simoniacæ hæreseos mercimonio, vt loquitur Gregorius Septimus l. 1. epistola 35. inquinatus est. Taceo reliquas, eius maculas de quibus sæpe idem Gregorius, & nominatim l. 2. episto. 5. & 18. & 32. Hæreo autem in simoniaca beneficiorum venditione, de qua scribens ad Rodericum Cabilonensem Episcopum, sic habet l. 1. epistola illa 35. [Inter cæteros nostri temporis Principes, qui Ecclesiam Dei peruersa cupiditate venundando dissipauerunt, & matrem suam, cui ex dominico præcepto honorem & reuerentiam debuerant, ancillari subiectione penitus conculcarunt, Philippum Regem Francorum Gallicanas Ecclesias in tantum oppressisse certa relatione didicimus, vt ad summum tam detestandi huius facinoris cumulum, peruenisse videatur.] Ad Philippum pertinet, quod Iuo Carnot. epistola 66. his verbis ad Hugonem Lugdunensem, Legatum Pontificium, contestatus est. [Sciat vestra sollicitudo, quia cum Abbas Burguliensis, ore patulo, manibus apertis, cum multa securitate, ad Curiam in Natale venisset ad accipiendum Episco

Episcopatum, sicut ei illa prædicta Regina promiserat quia animaduersi sunt plures & pleniores sacculi nummorum latere in apothecis amicorum istius, quàm apud Abbatem; ille est admissus, iste est exclusus. Et cum Abbas quereretur apud Regem, quare sic eum delusisset, respondit: Sustinete interim, donec de isto faciam proficuum meum; postea quærite vt iste deponatur: & tunc faciam voluntatem vestram.] Similiter Lisiardus Suessionensis, in vita Sancti Arnulphi cap. 9. sic ait de Philippo. [Instigante ambitionis Spiritu, Pontius quidam Pseudomonachus, gradu comparatiuo non secundùm Grammaticam, sed iuxta Simoniam à Rege Francorum Philippo, nomen & sedem Abbatis adipiscitur.] Et hoc est quod Matthæus Paris in Vvillelmo II. de hoc Philippo primo pronunciauit, eum pecuniæ tenebris excæcatum fuisse. Terram planè hoc tempore faciem Gallicanæ Ecclesiæ per simoniacam beneficiorum nundinationem ex Glabro l. 2. cap. 6. supra exhibuimus, ad calcem capitis quarti, quæ vastitas in Philippum referenda fuit, iudice Gregorio Septimo, vt iam audistis.

17. Quo tandem iratus Deus pœnarum cumulo multauerit Philiphum, intelligi potest ex Gregorij Septimi epistola ad regni eius Episcopos. Est quinta libri secundi, qua hortatus illos ad Pastoralem vigilantiam, & animos dignos Episcopis, postquam teterrimam regni per ea tempora faciem descripsit, & veluti diluuium malorum inundans Franciam repræsentauit, subdit. Quarum rerum Rex vester, qui non Rex sed Tyrannus dicendus est, suadente Diabolo, caput & causa est; qui omnem ætatem suam flagitiis & facinoribus polluit, & susceptа regni gubernacula, miser, & infelix inutiliter gerens, subiectum sibi populum non solùm nimis soluto ad scelera imperio relaxauit; sed ad omnia quæ dici & agi nefas est, operum & studiorum suorum exemplis incitauit. Nec satis visum est ei, in dispessione Ecclesiarum, in adulteriis, in rapinis nefandissimis, in periuriis, & in multimoda fraude, vnde sæpè eum redarguimus, iram Dei meruisse: quin etiam mercatoribus qui de multis terrarum partibus ad forum quoddam in Francia nuper conuenerant, (quod antea à Rege factum fuisse, nec in fabulis refertur;) more prædonis infinitam pecuniam abstulit; & qui legum & iustitiæ defensor esse debuit, is potissimum deprædator extitit. Nimimirum id agens, vi mala sua non iam infra terminos regni quod occupat comprehendantur, sed ad suam (credo), confusionem, extendantur.] Hæc de Philippo Simoniaco S. Gregorius VII.

18. Nec illa prætereo quæ Iuretus ad Epistolam 66. Iuonis non dissimulauit ex eiusdem Gregorij Septimi epistola ad Manassem Remensem. Est trigesima secunda libri secundi. [Cautè & diligentes, (vt debes,) accipias; malum inauditum, scelus detestabile, quod Philippus Rex Franciæ, immo lupus rapax, Tyrannus iniquus, Dei & religionis sanctæ Ecclesiæ inimicus, Italis & aliarum prouinciarum mercatoribus, contra Deum, & regni sui honorem, fecit, & alia quorum ad aures nostras clamores frequentissimè venerunt.]

His pœnis amplius non requiret, sapiens æstimator malorum. Neque enim diuina ira abundantiùs exeri, vel clariùs prodi, mulctatione in fortunæ aut etiam corporis bonis, quàm mulctatione in bonis animæ, quam Philippo liquet confessa fuisse innumeris plagis per ipsummet inflictis, Deo in peccatorum

pœnam, iusto iudicio pœna impotentiæ animi laxante. Quod pœnæ genus, *viri sancti post Apostolum*, omnium truculentissimum atque teterrimum *semper agnouerunt*. Hinc orta illa ignominiosa & propudiosa Bertæ vxoris legitimæ repudiatio, & Bertradæ vxoris Fulconis Comitis Andegauensis, specie coniugij superinductio, ab Hugone Lugdunensi Sedis Apostolicæ Legato in Concilio Ostionensi anathemate in Philippum intorto disiecta, vt scribit Bertoldus anno 1094. denuoque in Concilio Claromontano ab Vrbano anno 1095. Tertiò item reuersus ad vomitum, excommunicatus in Pictauiensi Concilio anno 1100. Et quanquam secundam absolutionem percepit anno 1104. tamen scribit Sugerius, nihil eum prosperè gessisse, ex quo Bertradæ pellicatu fœdatus est, quam illi labem venundatio Ecclesiarum affricuit, sinente Deo, vt qui sponsam Christi Ecclesiam inductis simoniacis procis fœdarat; suum ipse thorum, viuentis vxore in pellicem abducta, contaminaret.

Nisi velimus hoc caput, in immensum excrescere, contrahendæ sunt habenæ, & loco alicuius diligentiæ in aperienda diuina ira per varios casus & grauia rerum discrimina circa Simoniacos; deinceps breuissimè, fereque titulo tenus attingendi erunt nonnulli, quibus vlciscente Deo, simoniaca beneficij adeptio malè cessit, dimissis eiusdem farinæ, veriùs furfuris innumeris.

Aliæ in Beneficiarios Simoniacos, vltiones, per Satyram.

19. VErnerus Argentinensis Ecclesiæ per simoniam occupator, homo impius cum voluntatem Henrici tertij de euertendo Hirsaugiensi monasterio ob adhæsionem cum summo Pontifice exequi pararet, & in eam rem loricatus plenúsque minarum & cædis, copiosum militem ductaret, subito horribiliter clamans & vlulans, ex equo cui insidebat delapsus, repentina morte in suorum stupentium oculis expirauit. Narrat Friten in Chronico Hirsaugiensi anno primo præfecturæ Abbatis Gebhardi.

Simoniacus mediator restitutionis Gallicani cuiusdam Episcopi, à S. Leone Nono ob simoniacum ingressum sede pulsi, cum dirè fatigato cassis precibus Leone tandem à Cancellario Pontificis multa pecunia corrupto, furtiuum diploma restitutionis emunxisset, à Leone quem res non latuit, increpitus; & pecunia quam dederat in sinum regesta, redonatus inter illa verba, *pecunia tua tecum sit in perditionem, quia donum Dei furtim tentasti pecunia possidere*, illicò ab ea Pontificis oratione, velut fulmine percussus, hæsit attonicus; & amissa mente, vagus semper & profugus, reliquum vitæ in iugi consternatione & diuagatione consumpsit. Baron. anno 1049. ex Desiderio Cassinensi.

20. Theophilactus Patriarcha Constantinopolitanus, Simoniacus & beneficiorum nundinator, quam vitam vixerit, qua morte obierit, perstringo ex diffusiore Curapulatis disputatione anno 956. [Contra canones Ecclesiæ accepit gubernacula, & sub pædagogis (heu !) vsque ad aliquod tempus vitam transegit, atque vtinam id semper ille fecisset. Videbatur enim grauis & moderatus; sed cum iam ad maturiorem peruenisset ætatem, permissus suo modo viuere, nihil ex his, quæ turpissima essent, aut omnino interdicta prætermisit, venales proponens Ecclesiasticos ordines, & creationes Episco-

Episcoporum ; & alia faciens , quæ veris Episcopis indecora sunt ; equorum cupidine insaniens ; venationibus deditus , aliáque turpia patrans facinora, quæ sigillatim enarrare , prætorquàm quod haud decet , etiam nefas est ; sed vnius tantùm facienda est mentio , vt illius mens à disciplina abhorrens ostendatur : Amore intolerabili tenebatur equos possidendi , & supra duo millia sibi comparasse dicitur , quibus alendis semper plurimùm studebat ; non fœnum, aut hordea illis apponens, sed pinorum fructus , & amygdala, & pistacia , itémque dactyles , & caricas , & vuas passas meliores , odoratissimo vino miscens, & crocum , cinnamomúmque, & balsamum , atque alia aromata , cum iis quæ diximus , singulis equis apponebat ad alios cibos. Aiunt etiam sacra peragenti, magna illa quinta sacræ Cœnæ die , & preces mysteriorum legenti , Ministrum illum , cui fuerat equorum commissa cura , hoc bonum nuntium attulisse , illam phorbantem equam , addito nomine peperisse : Et illum præ nimio gaudio, quod reliquum erat sacrificij vtcumque peracto , cursu ad stabulum contendisse ; conspectóque nato pullo , absurdo spectaculo expleto, ad magnum templum rediisse , vt absolueret sanctæ Dei & Saluatoris nostri passionis hymnum. Illius item opus fuit , mos qui etiamnum viget , in sacris & publicis populi celebritatibus contumelia afficiendi Deum , & Sanctorum memoriam, per quædam indecora cantica , ac risus , & temerariis exclamationibus , dum matutino tempore hymni perficiuntur : quos oportuit afflicto , atque contrito corde pro nostra salute Deo adhiberi. Coacta enim frequentia hominum infamium, ipsisque præfecto , Euthymio quodam , cognomento *Cassen*, quem ipse Ecclesiæ domesticum creauerat, Satanicas saltationes, & indecoros clamores , & cantica ex triuiis , atque fornicibus percepta , eos celebrare docuit. Et ita viuens vitam finit , dum temerè equitans, ad quemdam maritinum murum illisus, sanguinem ex ore expuit : & biennium morbo laborans , cum in hydropisim incidisset, mortuus est.]

21. Ioannes Episcopus Placentinus , à fœdo cum Imperatrice commercio, ad alienæ spiritualis sponsæ thalamum , sedem inquam Gregorij Romani Pontificis per multum aurum occupandam transgressus ; in odium populi incurrens, ab eodem in seditionem verso exoculatus , & danasatus , auribus item truncatus , asello cui , caudam manu teneret situ præpostero impositus , vltorem simoniacæ nequitiæ Deum expertus est, vt scibit Petrus Damiani l. 1. episto. vltima.

Cadalous ex Episcopo Parmensi Antipapa , per damnaiida præbendarum sacrarum & Ecclesiarum commercia , vt loquitur Petrus Damiani l. 1. epist. 20. & opusc. 4. *sub finem* , erepsit ad Romanam sedem , contra Alexandrum legitimum Pontificem occupandam , & in ea per continuatam erogationem rerum sacrarum , aliquandiu se firmauit , vt eadem epistola illi obiicit Petrus Damiani ; [quia quisquis (inquit) Ecclesiæ per venalitatem semel irrepserit , donec illi præfuerit , redimere non cessabit. Iusto quippè Dei iudicio agitur , vt quisquis regimen Ecclesiæ nunditatus aggreditur , quietis vel opulentæ commodum , quod sperauerat , de suo commercio non lucretur.] Filius iniquitatis ad peiora semper progressus multis afflictus ærumnis nec pauco tempore in Ecclesiam grassatus , quæ eius cenceris debet summa calamitas , malum denique finem sortitus , è viuis excessit , vt habent Ecclesiastici Annales anno 1064.

test, sed oblatam pecuniam cum offerente damnauit. Nunc videas Prophetas Hierusalem non habere in ore propheriam, & in domino requiescere & dicere; *Non venient super nos mala.* Quorum causa, speculatorium Dei hostili aratro diuiditur, & locus quondam pacis, ruinis plenus fit, & templum Domini in vepres, spinasque conuertitur, & est habitaculum bestiarum. Et post aliqua: Propter quod causa nostri, qui tales sumus, qui Sion ædificamus in sanguine, & Hierusalem in iniquitate; qui iudicamus in muneribus; qui in mercedibus respondemus, qui in pecunia diuinamus, & super hoc fictam nobis sanctimoniam vendicantes dicimus; *Non venient super nos mala*, audiamus sententiam Domini, quæ sequatur: Sion, & Hierusalem est mons templi, speculatorium, & visio pacis & templum Christi, in consummationem: & in fine quando refrixerit charitas, & rara fides fuerit, quasi ager arabitur, & redigetur in tumulos, & erit in Ecclesia syluarum, vt vbi ampiæ quondam Domus erant, & absque numero acerui frugum, ibi vix parua fit casula seruans speciem ciberum, refectionem animæ non habentium. Cum hæc dicit, profectò scire nobis,& dicere licet,quia causa futuræ tribulationis tam magnæ,peccatum est maximè graduum Ecclesiasticorum, peccatum venalitatis & auaritiæ, quod nunc aspicimus, & vbique regnare videmus, ambitione nimia cuncta deuastante, auaritia penè vniuersa reposita intus in Ecclesia deuorante; vbi quia licet viuere, etiam non libeat ambire,multò amplius,multo miserabilius, quam tempore persecutionis Neronianæ siue Diocletianæ, quibus vrgentibus,nimirum, gradus Ecclesiasticos nec emere delectabat, nec vendere vacabat. Igitur amicti sacco prophetabunt, idest pœnitentiam agentes.] Omnes maledictiones, quæ Iudæ eiúsque partiariis in Christo emendo, Iudæis intentantur, psalmo centesimo octauo, æquè in simoniacos vt Iudæ complices cadere, iusto Opusculo prosecutus est Ioannes le Lieure. Opusculi titulus est, *Infernus Simoniacorum.*

CAPVT OCTAVVM.

Alia Diuina testimonia malignitatis Simoniæ in beneficio.

1. HABENT diuina miracula de Beati Augustini sententia tract. 24. in Ioan. linguam suam, quâ Dei sensum produnt mortalibus, & quæ Deo de re cui muniendæ adhibentur sententia sedeat,testatum faciunt. Quare ad malignitatem nequitiæ Simoniacæ circa beneficia pleniùs perspiciendam, insignia Dei opera eò pertinentia, adscribere, tanquam testimonia diuinæ malignitatis quam expendimus, operæ pretium videtur, è plurimis pauca, eáque selecta & probata. Miracula inquam nonnulla, vel in confirmationem insectationis Simoniæ circa beneficia, vel ad eiusdem Simoniæ conuictionem diuinitùs patrata; quæ certè Deus non edidisset, nisi simoniam in beneficio latentem homines, conuinci & puniri

in humano quoque iudicio voluisset, tanquam sibi exosam, & summæ reuera malignitatis.

2. Illustre in primis in hoc genere est, quod Sanctus Atto, in vberiore vita Beati Ioannis Chalberti, & Anonymus apud Surium in eiusdem Sancti rebus gestis 12. Iulij, nec nõ Bertholdus & Abbas Vrspergensis, ann. 1088. aliique prodiderunt de Petro Abbate; Ordinis vallis Vmbrosæ, postea Cardinali, qui ab euentu dictus est *Petrus Igneus*, & vir eximiæ sanctitatis ea tempestate est habitus ex familia Aldobrandina. Is in cõtentione Monachorum Vallis Vmbrosæ, & aliorum cum Clericorum tum Laicorum, ob impactum à Monachis Petro Ticinensi Florentinorum Antistiti simoniacum aditum ad sedem Florentinam, Luculento miraculo simoniacum Episcopum à multis & magnis defensum, ac etiam ab Alexandro Papa, & Synodo Romana deficientibus validis aduersus eum probationibus pro innoxio dimissum, conuicit simoniaci in Episcopatum ingressus, facta insigni, quod verbis Anonymi apud Surium dicta die cap. 17. adscriptum eo, recisis controuersiæ principiis & progressione. [Ad extremum Monachi aiunt illis qui Petrum Episcopum suum defendendum susceperant, se per ignem transituros: & si vti bene confidunt, inde illæsi exierint, hortantur, vt idem cum ipsis sentiant de simonia Episcopi. Sin minùs, paratos se dicunt, vnà cum aliis venerari Episcopum, & à simonia immunem pronunciare. Ea res cunctis placuit. Præfigitur itaque locus & dies, quo istud fieri debeat, vt si qui velint, possint coram intueri. Locus præfixus est in monasterio Septimi, quod tunc erat Ordinis memorati, nunc verò Cisterciensium est. Dies fuit quarta feria primæ hebdomadæ Quadragesimæ. Modus probationis fuit eiusmodi: vt in loco publico, duæ lignorum strues iuxta se fierent, quæ obtinerent in longum decem pedes, in latum quinque; in sublime quatuor & dimidium. Inter vtrasque autem strues, semita interesset longitudine brachij, prunis ardentibus constrata, per quam vnus ex Monachis transiret. Vbi aduenit statutus dies; & hora, imitatur Episcopus Petrus à suis, vt accedat visurus tantæ rei experimentum, ne ciuitas Florentina tam diuturna vexetur altercatione. At ille prorsus renuit, immò si qui charum eum haberent, eos eò accedere vetuit. Sed plebs omnis vtriusque sexus, & Cleri maxima pars, illuc properarunt. Pollicentur fautores Episcopi, si probatio suo potiatur effectu, vt quispiam è Fratribus per ignem illæsus transeat, se ipsis suffragaturos, & ab Episcopo defecturos. Itaque fiunt Litaniæ, & altæ preces à Monachis; sacrificium solemniter celebratur ab Abbate illius instituti, Clericis & Monachis adiuuantibus. Vbi ventum est ad *Agnus Dei*, vnus ex monachis fert aquam sacratam ad aspergendum, alius thuribulum thuris incendendi causa, tertius faculas ad ligna inflammanda, quartus imaginem Crucifixi. Inuocatur à cunctis Dominus IESVS CHRISTVS, & sanctissima mater eius pleno ore, vt ei veritas declaretur. Sacrificio peracto, deponit casulam, crucémque manu gestat Abbas, qui sacrificauerat: Petrus is quoque dicebatur. Litaniis absolutis, vnus ex Abbatibus eligitur, qui clara voce populo exponat petitionis, & sponsionis conditionem. Deinde Abbas Petrus, cum Cruce quam manu gestabat, S. Iohanne interim coram adstante & orante, ingreditur per medios ignium globos, flamma in sublime ascendente, calcátque ardentes prunas, quæ erant in via inter lignorum incensas strues.

Sed

Sed priùs quàm ingrederetur, cunctis audientibus, ita precatus est; Domine IESV-CHRISTE, lux vera omnium in te credentium, peto misericordiam tuam, oro clementiam tuam, vt si Petrus Ticinensis, qui dicitur Florentinus Episcopus, pecunia Florentinam sedem occupauit, tu æterni Patris Filius, tu mea salus, in hoc tremendo iudicio ad me adiuuandum festines, & me illæsum sine vllis adustionis vestigiis conserues, sicut olim tres pueros in fornace Babylonica seruasti. His dictis, per medios penetrat ignes, neque corpori, neque vestimentis vllo adustionis vestigio inhærente. Cúmque vellet vertere sese, & eadem via per flammas reuerti, à populo retinetur; quippè iam perspicuè rei propositæ veritatem edocto. Nec vero satiari poterant eius præsentia, aliis manus, aliis pedes, reliquis vestimenta eius exosculantibus. Beatum se existimabat, quisquis vel fimbriam vestium eius posset contingere. Ita Simon Petrus magnis celebratur laudibus. Simon Magus vt stercus ab omnibus conculcatur: & Petrus, non Apostolus, sed Episcopus, Simoniacus ab omnibus pronunciatur, & vt hæreticus euitatur. Denique Senatus populúsque Florentinus, rem totam solemnibus literis præscribit Pontifici Alexandro, humiliter orans, vt quemadmodùm Simon Petrus Simonem Magum maledictione damnauit, ita ipsius sanctitas velit Petrum Florentiæ Episcopum, ea dignitate priuare, & alterum ei substituere. Fecit ita Pontifex Alexander, iustitia id exigente, ob tollenda scandala, & alius Florentinis datus est Antistes.] Recitans hanc ipsam historiam, & mirabilem Simoniaci ex ea coniectionem Desiderius Cassinensis huius æui scriptor, postea Victor Papa, illud miraculi superpondium addit, quod in hac narratione non est expressum: nimirum quod decursa iam via condicta, ignem egressurus Petrus mappulam sibi manu excidisse animaduertens, per easdem prunas & flammas reuersus, ad medium vsque igneum spatium, mappulam receperit indemnis.

3. Hildebrandus tunc Subdiaconus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, post ea Pontifex Gregorius Septimus, à Victore Papa Legatus in Gallias, cum in Prouincia Lugdunensi Episcoporum Synodum coegisset, & in ea Episcopus doctus ac eloquens initi per Simoniam Episcopatus accusatus, noxam illam pertinacissimè diffiteretur; repentè iussit Episcopum pre proferre solemnem versum *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.* Simoniacus, Patris quidem ac filij nomina expeditè pronunciauit; Spiritum verò Sanctum nominare nunquam potuit. [Meritò siquidem, (ait Petrus Damiani, qui ista ab Hildebrando sibi narrata descripsit Opusc. cap. 19. cap. 6.) Spiritum Sanctum dum emit, amisit; vt qui exclusus erat ab anima, procul esset etiam consequenter à lingua.] Confirmant æquè eam narrationem alij illius æui Scriptores apud Baronium anno 1055. Ex quibus addit, eo miraculo vsque adeò exterritos esse alios Ecclesiarum Prælatos viginti septem, & Episcopos quadraginta quinque, vt ingenuè humilitérque confessi se quoque numerata pecunia sortitos esse sua beneficia, sponte illis cesserint.

4. Arialdus Mediolanensis Ecclesiæ Diaconus, pro constanti & nunquam fracto Simoniacæ venalitatis beneficiorum tollendæ studio, atrox martyrium passus quinto Calendas Iulias, vt infra referam, iis à Deo honestatus est signis, quæ simul detestabilitatem nequitiæ pro qua perdenda occubuit, manife-

ſtent. Sacrum occiſi corpus occultatum ab interfectoribus, ſed cœleſtibus ignibus ſupra illud micantibus ſæpè manifeſtatum diuinitus; tandem proiectum in profundiorem lacus maioris ad quem occiſus fuerit voraginem, poſt decem denique menſes ad ripam eiectum, & integrum repertum, tranſlatum eſt in vrbem Mediolanenſem, vbi multis miraculis à Deo eſt illuſtratum, vt Syrus Presbyter in eius vita teſtatur.

Hugo Lingonenſis Epiſcopus Simoniacus, cum in Remenſi Concilio, aſtante Leone Nono, Veſontionenſi Antiſtite Hugone, qui eius rogatu, cauſam ſuſceperat, propugnandus eſſet; diuinitus factum eſt vt Veſontionenſis ſilentio damnaretur, nec poſſet quicquam effari. Acta Synodalia Rhemenſia ſub Leone Nono, minutè rem deſcribunt.

CAPVT NONVM.

Oracula & ſtudia Pontificum & Conciliorum, aduerſùs Simoniam in Beneficio, ſuffragiis ac ſtudiis Sapientum Ordinis cuiuſcunque firmata.

1. ET hinc quoque, malignitas Simoniæ in beneficio, patere haud mediocriter poterit. Cui enim dubitare liceat, quin inſigniter virulentia & maligna ſit beneficiorum nundinatio, quam afflati Spiritu Sancto Pontifices, ſuffragantibus Conciliis, & cuiuſcunque ordinis Sapientibus; & verbo inſectati, & tanta contentione, támque irrequieto ſtudio ſunt inſecuti? Itaque meritò in hanc curam incumbemus, vt ſubiiciamus ob oculos lectoris, quid varij Sanctiſſimi Pontifices, quid pleraque Concilia, quid denique Sapientes alij & graues viri, de Simoniaco in beneficiis commercio pronunciauerint; & quanto ardore animi atque laboribus, vt Zizania illa ex agro Eccleſiæ prorſus extirparentur, contenderint.

Non auſpicabor tamen Pontificia oracula, ab illo Sancti Petri ad Simonem pronunciato, Actorum 8. [*Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri. Non eſt tibi pars, neque ſors in ſermone iſto; cor enim tuum non eſt rectum coram Deo. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua: & roga Deum, ſi fortè dimittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te eſſe.*] Non me latet paſſim Patres hoc oraculum intorquere in Simoniacos in beneficio; verúmque eſſe Eccleſias quoque & beneficia eſſe dona Dei, vt ait Bonifacius Papa c. *quam pio* 1. quæſt. 2. & Gregorius c. *audiuimus* 1. quæſt. 3. Diſertè autem Vrbanus Pontifex c. *Saluator* 1. q. 3. monſtrat Simonem non captaſſe venditionem Spiritus ſancti, vel poteſtatis miraculorum & dandi Spiritum ſanctum, ſed potiùs venditionem commodorum temporalium quæ inde ſibi obuentura me ditabatur; vt proinde fuerit

fuerit in ea potestate quam Simon pecunia ambiebat, expressissima imago beneficij Ecclesiastici, ex spirituali titulo & temporali censu coalescentis: atque adeò oraculum à Beato Petro Pontificum primo intortum in Simonem, æquè ferire videatur omnes in beneficio Simoniacos. Hæc tametsi appositè dicuntur, tamen quod potestas conferendi Spiritum sanctum, & facultatem adiuncta impositione manuum miracula patrandi, non nisi per analogiam dicatur beneficium Ecclesiasticum; eius oraculi expensione supersedebo hoc loco. Illud verò insigniter versat Ecbertus Serm. X. contra Catharos *sub finem.* Ad beneficiorum autem captores Simoniacos oraculum illud aptant, Tarasius epistola ad Adrianum, & plerique adducti à Gratiano. 1. q. 1. & 2. Hoc dimisso, aliunde auspicandum est.

Rectorum Ecclesiæ oracula & studia contra Simoniacos in Beneficio.

ORacula Pontificia in hanc rem benè multa passim occurrunt apud Sanctum Gregorium, qui quamuis plerumque videatur agere de Simonia in ordinum collatione, quæ seu rè tem exigendo alia est à Simonia in [illegible]cio; tamen eo nomine, intelligit quoque Simoniam in beneficio. Imo ka[illegible]iùs, ac plerumque solam. Rari enim fuerunt, nec nisi mendici Antistites, qui præcisè ex collatione Sacramenti ordinis lucrum caperent; aut Clerici qui offerrent eam ob causam. Vt autem ex ordinatione ad titulum beneficij facta, atque adeò ex beneficio cui census temporalis adiunctus est, lucrum promitteretur offerretúrve, ac caperetur, frequentissimum fuit; estque nunc quoque, apud multos solemne. Itaque quod *ordinatio*, id est ordinum collatio, olim fieret duntaxat ad titulum beneficij alicuius, siue Episcopatus, siue inferioris Classis, liquet ex cap. *neminem*, & cap. *Sanctorum* distinct. 70. Passim *ordinatio* pro Ecclesiasticæ præfecturæ ordini consertæ aditione vsurpatur, ita vt Paschalis Papa cap. *sunt quidam* 1. q. 1. dicat Ecclesias ordinari, eosque mulctari velit qui obstant quominus ordinatio Ecclesiarum, (id est delectus in Ecclesiarum rectores & beneficiarios,) regulariter fiat. Similiterque cum c. *audiuimus* 1. q. 2. titulus sit de iis qui sacros ordines munerum acceptione dispensant; totum caput est de dantibus vel accipientibus Ecclesiam aut beneficium. Quod item notare licet cap. *ex multis* 1. q 2. Canonem Concilij Chalcedonensis aduersùs ordinationem Simoniacè factam, (refertur c. *si quis Episcopus* 1. q. 1.) Alexander Papa c. *ex multis.* 1 q 3. accipit de Simoniaca collatione beneficij. Huc denique facit, quod in lucubrationibus antiquis, *Presbiter* idem sonare solet, quod *Curio* seu *Parochus* atque adeò beneficiarius, vt notat Coluerérius ad l. 1. Flodoardi hist. Rem. cap. 8. Eundem vsum, ordinationem pro beneficij Ecclesiastici aditione vsurpandi iam supra ex Petro Damiani notauimus. Et patet quoque ex damnatione Antonini Episcopi Ephesini per Sanctum Chrysostomum, ob venditas ordinationes; quod tamen cecidisse in beneficia liquet, quia additur vendidisse eas pro quantitate redditnum. Quæ hic refricare oportuit, vt pateat quò Sanctus Gregorius aliisque mox adducendi colliment, damnando ordinationes Simoniacas; de quo rursus infra ex Concilio Chalcedonensi.

3. Cum ergo aduersùs huiusmodi nequitiam, in Gallia & Palæstina tunc reuirentem, strenuissimè egerit Sanctus Gregorius, vt Ioann. Diaco. lib. 30. per sex prima capita refert: Illa tamen notanda præcipuè videntur, quæ habet l.7.epist. 110. ad Siagrum & alias Collegas Gallicanos. [Vehementi (inquit) tædio mæroris afficimur, si in Ecclesiasticis officiis quemquam habeat locum pecunia, & fit seculare quod sacrum est. Quicunque verò hoc precij studeat datione mercari, dum non officium, sed nomen attendit: sacerdos non esse, sed dici tantummodò inaniter concupiscit. Quid scilicet? quid per hoc aliud agitur, nisi vt nulla de actu probatio, nulla sollicitudo de moribus, nulla sit de vita discussio: sed ille solummodò dignus, qui dare pretium suffecerit, æstimetur? Ex qua re, si recti libraminis examinatione pensetur, dum improbè ad inanem gloriam locum festinat vtilitatis arripere, eo ipso magis quod honorem quærit, indignus est.] Et mox. [Cum liqueat hanc hæresim ante omnes radice pestifera surrepisse; atque in ipsa sua origine, Apostolica esse detestatione damnatam; cur non cauetur, cur non perpenditur, quia benedictio illi, in maledictionem conuertitur, qui ad hoc vt fiat hæreticus promouetur?]

4. Laudat hunc S. Gregorij locum, Concilium in Villa Sparnaco. cap. 42. Idem Sanctissimus Pontifex. Rursus eodem libro epistola 113. [Omnino execrabile, & esse grauissimum detestamur: quod sacri illic ordines in Simoniacam hæresim: quæ prima contra Ecclesiam orta, & districta maledictione damnata est, conferantur. Hinc igitur agitur, vt sacerdotij dignitas in despectu, & sanctus sit honor in crimine. Perit vtique reuerentia, adimitur disciplina: quia qui culpas debuit emendare, committit, & nefaria ambitione, honorabilis sacerdotij, ducitur in deprauatione censura. Nam quis denuò veneretur, quod venditur; aut quis non vtile putet esse quod emitur? Vnde valdè contristor, & terræ illi condoleo; quia dum sanctum spiritum, quem per manus impositionem Omnipotens Deus hominibus largiri dignatur, diuino munere habere despiciunt, sed præmiis assequuntur, sacerdotium illic subsistere diu non arbitror. Nam vbi dona supernæ gratiæ venalia iudicantur; ad Dei seruitium non vita quæritur, sed magis contra Deum pecuniæ venerantur.] Legendus etiam Epistola 114. & libro 9. Epistola 40. ac 49. ac seqq. vsque ad 57.

5. Tandem in Psal. 4. Pœnit. ad illud *tota die exprobrabant mihi*, &c. ita habet de Simoniaca peste. [Hæc est hæresis, quæ ipsa nascentis Ecclesiæ rudimenta tentauit, & ante alias hæreses prima apparuit. Cuius erroris vesania, licet extunc damnata fuerit, postea tamen in Ecclesia germine pestifero pullulauit. Nostris verò maximè temporibus, malitiæ suæ vires exercuit, & totius Ecclesiæ pacem schismatica infestatione turbauit. Concitauit enim aduersùs Ecclesiam Dei, non solùm innumerabilem populi multitudinem, verùm etiam Regiam, (si fas est dicere), potestatem. Nulla enim ratio sinit, vt inter Reges habeatur, qui destruit potiùs quàm regat imperium; & quoscunque habere potest peruersitatis suæ socios, eos à consortio Christi efficit alienos. Qui turpissimi lucri cupiditate illectus, sponsam Christi captiuam cupit abducere & passionis Dominicæ sacramentum ausu temerario contendit euacuare. Ecclesiam quippè quam sui sanguinis pretio, redemptam, Saluator noster voluit

esse

esse liberam, hanc iste potestatis Regiæ iura transcendens, facere conatur ancillam. Quanto melius foret sibi, dominam suam esse agnoscere, eique Religiosorum Principum exemplo deuotionis obsequium exhibere, nec contra Deum fastum extendere dominationis, à quo suæ dominium accepit potestatis? Ipse est enim qui ait; *Per me Reges regnant.* Sed immensæ cæcatus cupiditatis caligine, & diuino (vt pater,) ingratus beneficio; & contra Deum fastuosus; terminos quos posuerunt Patres nostri, contempto diuino timore transgreditur; & contra Catholicam veritatem, suæ furore Tyrannidis efferatur. Intantum autem suæ temeritatem extendit vesaniæ, vt caput omnium Ecclesiarum, Romanam Ecclesiam, sibi vindicet, & in Domina gentium terrenæ ius potestatis vsurpet. Quod omninò ille fieri prohibuit, qui hanc Beato Petro Apostolo specialiter commisit, dicens: *Tibi dabo Ecclesiam meam.* Obstruatur ergo os loquentium iniqua, & omnis hæreticorum acies obmutescat, quia nullas vires habet mendacium, quod ipsius voce veritatis inuenitur destructum.] Sic ille in Mauricum, de electione Pontificis Romani quæstum captantem.

6. Leo Quartus ad Episcopos Britanniæ, interrogatus de promotis ad Sacerdotia per Simoniam, vocat eam negotiationem, *detestabile nefas, iam multis damnatum Conciliis.*

S. Leonem Nonum in Simoniacorum impugnatione & eradicatione cœpisse laborare, & omnem nauasse operam testatur Gregorius septimus l. 2. epistola 45. & ex eius Actis est perspicuum.

S. Gregorius septimus, in Epistolis multis grauiter in Simoniam circa beneficia passim conclamat. Videsis l. 1. ep. 11. & 15. & 27. & 35. & l. 2. epist. 45. & 55. & 61. ac 65. & 67. ac 76. & l. 3. epistola 1. 2. 3. 4. & l. 4. epistola 11. & 18. ac 20. & l. 5. epistola 1. l. 6. epistola 39. & l. 8. epistola 2. Ob frequentissimum hoc studium extirpandi Simoniam & alia vitia, sanctissimus Pontifex in multorum incurrit odia, & multorum calumniis patuit; vt ipsemet literis ad Adelphonsum Regem Hispaniæ (est epistola secunda libri noni) sic refert, sensum è contrario suum aperiens. [Non nos latet, multa de nostris factis, ac dictis, tuis auribus sinistra interpretatione deferri. Vnde & pro nobis in notitiam dilectionis tuæ obtrectantibus, respondere non alienum putauimus. Peccatorem me esse, sicut verum est confiteri minimè piget. Verùm si causa odij, vel detractionis eorum qui in nos fremunt, subtiliter inuestigetur; profectò non tam alicuius iniquitatis meæ intuitu, quàm ex veritatis assertione, iniustitiæque contradictione, illos in nos exarsisse patebit: Quorum quidem seruitia, & largissima munera nos satis abundantiùs multis Antecessoribus nostris habere potuimus, se ad periculum illorum, & nostrum, veritatem silere, malitiámque ipsorum dissimulare noluissemus. At nos certè ex huius vitæ termino, & temporalium commodorum qualitate perpendentes, nunquam melius quemquam posse Episcopum, quàm cum persecutionem patitur propter iustitiam; decreuimus potius diuinis mandatis obtemperando, prauorum inimicitias incurrere, quàm illis malè placendo, iram Dei prouocare.] Sic actum à politicis, & improuidis, ac nidorem hæreticum subolentibus: quos inter reprehendendus nominatim venit Sigibertus, qui in Chronico anno 1074. in Gregorium hac

hac ex causa bacchatur. Sed sanctissimum Pontificem tutati sunt benè multi, quos appendit Coccius t.1.l.7. art. 16.nominatimque Autor vitæ Sancti Bennonis, & fortissimè Gretserus in Opere de hoc argumento.

7. Alexander secundus, Epistola ad Clerum & populum Lucensem, grauissimè & acerrimè vrget, quàm sit detestanda Simonia in beneficio. Idem in Concilio Romano strenuè egit contra Simoniacos. Summam Actorum ipse exhibet, literis Encyclicis, quas descripsit Baronius anno 1063. vnde de eius nauitate & studio in hac parte, liquet.

Vrbani secundi studia in Simoniacos videre est in eius epistola 12. quæ est ad Canonicos Turonensis Ecclesiæ Sancti Martini; & in eiusdem decretis in Concilio Romano anni 1099.

Paschalis Papæ enunciatum aduersùs Simoniacos in beneficio (huiusmodi enim Simoniacorum causa eo tempore agebatur) præstat apud Gratianum c. *patet* 1.q.1. in hæc verba. [Patet Simoniacos veluti primos, & præcipuos Hæreticos, ab omnibus fidelibus respuendos: etsi commoniti non resipuerint, ab exteris etiam potestatibus opprimendos. Omnia enim crimina, ad comparationem Simoniacæ hæresis, quasi pro nihilo reputantur.] Quomodò id accipiendum sit, ac molliendum, attigi supra cap. 3.

Calixtus Papa serm. 1. in Vigilia Sancti Iacobi, *sub finem* multus est in exagitatione Simoniacorum, etiam in beneficio. Quod tamen diffusior sit eius disputatio, & maximam partem spectet Simonia in venditione Missarum & pœnitentiarum, mitto eum exscribere.

Quid Concilia contra eosdem Simoniacos.

8. IAm Conciliorum aduersùs Simoniacam beneficiorum negotiationem, & oracula & studia, cum apud Gratianum 1.q.1.& 2. obuia sint; tum ex sacrorum Annalium, vel Conciliorum lectione, quantumuis perfunctoria non poterunt non esse comperta. Exhibet Gratianus cap. *si quis Episcopus* 1.quæst.1. Luculentum decretum Chalcedonensis Oecumenici Concilij, quo & huius Simoniæ turpitudo, ac detestabilitas aperitur, & summum numerosissimæ Synodi studium in ea stirpitùs eradicanda, perspicue patet. Ad hanc enim in beneficiis Simoniam, pertinere locum illum Concilij, quo ordinationes Simoniacæ feriuntur, docuit Alexander secundus epistola ad Clerum & populum Lucensem, & optimè Apologeticus pro Gregorio VII. c. 6. quo egregiè aperitur, non Simoniacos tantùm circa ordines, sed etiam Simoniacos circa beneficia feriri eo loco à Concilio, damnante ordinationes sub pretio. Id quod eiusdem Apologetici cap. 9. absolutè ostenditur aliunde. Nec disparem detestationem, vel dispar studium extirpandi Simoniaci huius lolij, prodidit Concilium Generale Patrum quadringentorum, Rhemis præside Callisto secundo celebratum, anno 1119. Præter minora Concilia, in quibus tanquam execranda negotiatio damnata est, qua tituli Ecclesiastici, & iis adiuncta temporalia commoda (quæ duo beneficij Ecclesiastici nomine comprehenduntur), pecunia prostant. Eiusmodi fuit Concilium Constantinopolitanum sub Gennadio Patriarcha, de quo superiùs, necnon Concilium Germanicum Præside Marino Apostolicæ

Apostolicæ sedis Legato coram Regibus Othone & Ludouico anno 948. & Toletanum octauum, cuius Locus à Gratiano adducitur tanquam Ambrosij c. reperiuntur 1. q. 1 cum apud Diuum Ambrosium l. de Dignitate sacerdotali, è quo eum depromptum notauit Gratianus, nequaquam compareat. In summa nullum est antiquum aut recentius Concilium, ex iis quæ celebrari contigit quando vel vbi hæc detestabilis abusio circa beneficia locum habuit, quin eam omni cum horrore auersandam, verbis amplissimis, & studio flagrantissimo suadere sit annisum.

Insignium è sacro Ordine virorum, flagrans studium contra Simoniacos.

9. INter inferioris ordinis insignes viros, siue è Clero, siue è plebe fidelium innumeri sunt, qui & verbo, & cum res tulit studio ac opere quantum à simonia in beneficiis abhorrerent, testati sunt. Seligo ex vtroque ordine paucos.

S. Isidorus Pelusiota, aduersùs Zozimum & alios Simoniacos, etiam in beneficiis, crebetrimè concitatur, sed nominatim l. 5. epistola 296. his verbis [Qui vendentes & ementes Sacerdotium, ij magnum contra se proferunt argumentum, suæ quam de hoc negotio habent opinionis. Alioqui non essent ausi emere & vendere rem diuinam, quæ optimæ debetur administrationi, rectisque moribus. Regula enim huius rei est, aptus vt sit qui suscipit, ludrica quædam res habeatur. Cui enim pœnæ obnoxius videatur, ludens in re non ludicra, tua non ignorat sapientia. Olim quidem cum apud Hebræos, sacerdotalis dignitas vni certæ familiæ assignata esset, murmurabant non pauci, cur illi stirpi potiùs ac generi, quàm virtuti daretur. Postquàm verò iam sacerdotium, & dignius esse, & virtutis haberi ratio cœpit, maiore afficitur iniuria, quàm cum ignobilis esset, ac stirpi hæreditarium. Etsi enim tunc nonnulli eo indigni essent, erant tamen & optimi; pecunia verò nundinari, omnino vetitum erat. Nunc verò cum & præstantius sacerdotium sit datum, & virtuti vt tributum, magis contemnitur. Quis enim vir bonus assentiri vellet, vt illo ponatur? Aut quis ausit pecunia mercari, rem ipsis Angelis dignam? Quare siquidem neque adulari velint, neque sacerdotium audeant emere. Sunt verò vt scribis, adulationibus & pecuniis sacerdotium propinantes, quos mille suppliciis dignos esse constat: Isti adulari & emere non recusabunt.]

10. Tarasij Constantinopolitani Patriarchæ, Luculenta de hoc negotio ad Adrianum 1. legitur trunca apud Gratianum cap. *eos qui per pecuniam* 1. quæstio 1. Integra vero habetur post octauam actionem Septimæ Synodi, ex interpretatione Anastasij, & apud Balsamonem. Vbi tamen manifesto Græculi cuiuspiam flagitio qui codicem aliquem deprauarit, vel librarij cuiuspiam oscitantia, aut malignitate, laudes Adriano exhibitæ à Tarasio, deteruntur ipséque Adrianus, tanquam simoniæ suspectus insimulatur, Quod non posset mirum videri, si Adriano innocenti impactum esset, cum alij æquè sanctissimi Antistites, Simoniaci audiuerint vt Sanctus Syluerius Papa & martyr, Gregorius septimus, Alexander secundus, Henricus Archiepiscopus Senonensis apud sanctum Bernardum epistola 51. & ipse Tarasius Constantinopolita-

nus, iudicio Theodori studitæ ab ea culpa immunis. Ea tamen calumnia, à Tarasij de Adriano sententia longè abest, vt apud ipsummet Balsamonem, Romanorum cæteroqui Pontificum iuratum hostem, videre est. Caret enim apud eum epistola hoc næuo; quod Baronius anno 787. non perspexit: vnde confictam à Balsamone Tarasij Epistolam censuit, vt Adriano labes simoniæ affricaretur. Id quod Binius t. 5. Adriani Epistolas proferens, secutus est non benè. In ea ergo Epistola, Tharasius de simoniaca in beneficiis prauitate cuius tunc virulentia Ecclesiam Græcanicam infestabat, ea ad Pontificem Adrianum scribit, tantoperéque emptionis & venditionis Sacerdotiorum turpitudinem ostentat, vt non possit verbis amplioribus & sonantioribus rem exequi. Eo autem studio in huius infelicissimi lolij extirpationem nititur, interpellato etiam Adriano, vt satis liqueat, censuisse illum, perniciem ex hac beneficiorum nundinatione creari Ecclesiæ; & spirituali Christianæ plebis profectui, vastitatem induci, atque adeò tantum scelus omni detestatione auersandum & execrandum esse. Eiusdem contra simoniam in beneficio, quam vocat *Caiphaicum studium*, insignis extat Epistola ad Ioannem Anachoretam.

11. Petrum Damiani, Patriarchæ Cardinalem, dignitate quidem anteriorem, (ipsomet Damiani teste l. 1. epistola 20.) ætate tamen posteriorem subnecto. Quanta ille & orationis vehementia, & alacritate contentionis, simoniam in beneficiis quæ eo seculo erat peruulgatissima insectatus sit, apud eum legere est; cum libro integro cui titulum fecit, *Gratissimus*, tum aliis plerisque Opusculis & Epistolis. Et quanquam verè ac meritò contendit, sacramenta per simoniacos collata, eo ipso non esse irrita, vt ferebat aliquorum assertio; tamen simoniam, omni cum detestatione, ab Ecclesia in beneficiorum captatione esse repellendam, fortissimè confirmat, nec nisi cum execratione de ea agit. Vocat *maledictam venalitatem*, in iuramento Clericorum Mediolanensium à se concepto, quod refert Opusc. 5. Et ibidem ex nomine Vidonis Archiepiscopi Mediolanensis, sic loquitur. [Non ignorat sancta deuotio vestra (Dilectissimi fratres, & filij,) quàm reproba, quàm detestabilis, Deo odibilis, ignominiosa, atque peruersa, omniumque sanctorum Canonum auctoritate. Damnata consuetudo, in hac sancta Ecclesia, cui Deo auctore deseruio, antiquitùs inoleuerit; quámque læthalis atque pestiferæ lepræ, animas innocentum, contaminatione persuderit; Simoniacæ videlicet hæresis, damnatos, sempérque damnanda venalitas, & perniciosa negotiatio. Quantus fuerit Ardor eius aduersùs hanc prauitatem, & quàm fortibus remediis ad eam prorsus tollendam sit vsus, cum illuc à Nicolao Papa in eam rem legatus esset, manifestum est ex toto eo Opusculo. Et cum essent eo tempore, qui venalitatem beneficiorum tueri se posse existimarent, distinguendo in beneficio titulum spiritualem à fructibus temporalibus: ac dicendo, non nisi ratione fructuum vendi beneficium, monstrat accuratè Damiani, (vt infra ex eo referemus,) duo illa adeò nexa esse, vt disiungi nequeant; & vno vendito alterum item vendi, sit necesse. Tudetchinum natione Barbarum, & Ioannem patria Venetum, Gotofredi Tusciæ Ducis Capellanum, quibuscum ea in parte confligit, non contudit modò, sed & contriuit.

S. Bruno Signiensis, magnus ipse quoque simoniæ hostis, in Opusculo, cui titulus

tulus est *Responsio ad quæstionem, Cur Corruptus tunc Ecclesiæ status* ad finem, distinctionem proximè adductam repellit, nec posse emi castella, vel agros beneficio ac titulo spirituali nexos, absque labe simoniæ confirmat. Fuisse autem S. Brunonem, simoniacorum hostem infensissimum, cum Acta eius testantu, tum quod passim exponens sacras literas, excurrit in Simoniacos. Et erant tunc calamitosa tempora, quibus Ecclesia per simoniacos in Concubinarios Clericos fœdè dehonestabatur, cui putori repellendo SS. Pontifices Leo IX & Gregorius VII. indefessam nauabant operam, quorum collaborator præter cœteros fuit S. Bruno Signiensis. Et causam cur adeò in Simoniacos concitaretur, petere licet ex Opusculo allegato. Cum enim exponendum suscepisset cur Arriani & Nestoriani, aliique hæretici reuenientes ad cor, reciperentur in Ecclesia cum suis honoribus, non item Simoniaci, inducit obiicientem, num censerit Simoniacos hæreticis illis deteriores esse, & respondet. [Vtrum simoniaci peiores sint, nescio. Vnum tamen scio, quia magnum scelus est, vendere vel emere Spiritum sanctum. Si enim magnum peccatum fuit, vendere vel emere Christum, magnum vtique peccatum est, vendere vel emere Spiritum sanctum. Æquales enim sunt, Pater, & filius, & Spiritus sanctus. Iudas est qui vendit, Iudæus est qui emit, vtrumque autem, & vendentem & ementem, de templo Dominus eiecit.]

12. S. Gulielmus Abbas Diuionensis (vt scribit in eius vita Glaber Rodulphus cap. 12.) adeò aduersus Simoniam inferbuit, vt ne ipsi quidem Ioanni vigesimo in hoc scelus agenti negligentiùs pepercerit, hac data ad eum Epistola. [Parcite quæso, parcite, qui dicimini sal terræ, & lux mundi. Sufficiat hominibus iam semel Christum fuisse venditum pro communi salute vniuersorum. Iã enim refugæ veri luminis, solo nomine Pastores, ouile Christi, imo membra illius, videre post vos quò eunt. Si iuxta fontem repet riuus, in longinquum fœtere, nulli dubium est. Idcirco Cura quibusdam venditur ad suum interitum. Volo vos Pastores ac Pontifices omnes, in commune Iudicis securem gestantis apud ianuam assistentis, memores.] Gratias egisse Ioannem Pontificem & Deum in S. Gulielmo glorificasse addidit Glaber.

S. Romualdus, referente in eius vita Petro Damiani cap. 35. præcipuo zelo in Simoniacorum extirpationem ferebatur; eos omnino damnabiles & hæreticos pronuncians, si obdurarentur in malignitate, quæ tunc temporis apud plerosque erat incognita, cum nemo in eo mercimonio culpam agnosceret; ita vt primùm mortem vno sancto inferre meditarentur, ob eam nouam, (vt rebantur) doctrinam. Sed summo viri sancti studio, multi redierunt ad cor. Quanquam in Episcopis Simoniacis curandis, quantuncunque multi conuersionem spondérent, ferè frustra sudauit, & rationem reddit Damiani. [Est enim venenata illa hæresis, præsertim in Episcopali ordine, tam dura & ad conuertendum rigida, vt semper promittens, semper de die in diem producens, atque in futurum procrastinans, faciliùs possit Iudæus ad fidem conuerti, quàm hæreticus latro, plenè ad pœnitentiam prouocari.]

13. S. Abbo Floriacensis, vt habent eius Acta c. 10. consultus [illegible] Belli [illegible] Abbate, de pecunia quæ ab eo exigebatur pro E[illegible] censi, sic respondit. [Quia te diuina pietas seruum suum [illegible]

[illegible]dùm extulit, quos virtutum prærogatiua adeo excolis, vt te imitabilem præb[illegible]as pluribus bonis, hortor & admoneo, vt tuæ memor professionis, illos gradus excellentiæ appositas, in quibus Dominum non offendas. Et post aliquanta, eos denota[illegible]s, qui gratiam sancti Spiritus, vel vendunt, vel emunt, hæc dicit. [Huiusmodi emptores, quasdam velut telas aranearum texunt, quibus se defendunt, quod non benedictionem, sed res Ecclesiæ possessuri, emunt. Cuius v[e]rò possessio est Ecclesia, nisi solius Dei? Quis eius Dominus, nisi Deus? Quia etsi, præsens Ecclesia indiget duobus Aduocatis, vno in rebus temporalibus, altero in spiritualibus, neutrum tamen habet vt dominum, qui eam vel vendere possit, vel emere; quam Christus redemit suo sanguine. Dánsque ei consilium, huiusmodi clausula finem imponit Epistolæ. Nu[n]quam ergo (inquiens) , fieri hæreticus vllo modo acquiescas; quia inaniter de peccatis pœnitentiam agit, qui eam fidem impugnat, quam sub sanctis Apostolis Catholica tenuit Ecclesia.]

14. De S. Hugonis Cluniacensis flagrantissimo [illegible] studio, sic Hildebertus in sancti viri Actis cap. 5. Cum Le[o] IX translaturus B. R[illegible] corpus, Rhemos vsque peruenisset, & ibi Synodum celebraret generalem, [illegible] Beatus affuit plenus autoritatis & reuerentiæ, suáque pr[illegible], præfati Concilij plurimum conferens institutis. Vbi cum aduersùs simoniacos ageretur, & nonnulli Pontifices, quibus vel conscientia confusionem, vel imperitia silentium adduxerat, iu præfatam hæresim remissiùs disceptarent, ipse zelo succensus iustitiæ, negotiationem simonis constanter abolere curauit. Ex aduerso enim ascendens & opponens murum pro domo Israël, nec numero renitentium, nec acceptione motus est personarum. Quo in concilio dum ille de sua interrogaretur promotione; Caro (inquit) voluit, spiritus repugnauit. Sanè sana responsio, quia iustus in primis accusator sui & tentatione carnis pulsatus vt caderet virtute spiritus restitisse monstratur. Erat autem illi tanta in exhortatione gratia, vt ad expectationem sermonis illius, illustrium suspenderentur animi personarum: Vnde & iussu Papæ, sanctam & plenam habuit gratiæ orationem, quæ & simoniaci de malè comparatis expulsi sunt dignitatibus, & de sacrario Domini, fornicatores inhibiti sacerdotes.]

S. Arialdus Mediolanensis Diaconus, cuius iuramentum contra simoniam in beneficiis exhibetur à Petro Damiani Opusc. 5. *sub finem*, quam ibi verbis professus est simoniacæ prauitatis detestationem, indefesso studio extirpandæ simoniæ in beneficiis, deinceps firmauit: Et quod est longè splendidissimum, fuso etiam sanguine, attestatus est eidem professioni suæ. Nam cum Vido Archiepiscopus reuersus ad vomitum, eiuratam sub Petro Damiani Legato simoniacam venalitatem, resumpsisset: Arialdus autem pro rerum sacrarum reuerentia, & repellendo simoniaco in beneficiis commercio, fortissimè staret, malignitate eiusdem Vidonis, tentus, & procul ab vrbe, deuitandæ seditioni, trans lacum Maiorem in loca inaccessa abductus, à duobus filiis Diaboli nominetenus Clericis, naso, labro superiori, auribus, oculis, dextera manu, lingua & genitalibus ferro demessis, gloriosissimum martyrium subiit clarus miraculis.

15. Hinc

15. Hincmarus Rhemensis magni suo seculo nominis Antistes, strenuè egit contra Simoniacos. Quod præter cætera monstratur illis Flodoardi de eo verbis l. 3. hist. Rem. Eccles. cap. 18. [Idem verò Præsul, de multis Regi (Carolo Caluo) necessariis sæpissimè suggerebat. Inter quæ scribit ad eum pro electione Beluacensis Episcopi post obitum Hildemanni, Præsulis ipsius vrbis. In qua epistola Regem studet à simoniaca Hæresi compescere asserens sibi multò amabilius esse illum Episcopatum secundum seculum dimittere quàm Episcopum contra Canonicam institutionem non tam benedicere, quàm æterna secum maledictione maledicere.] Idem agens de vnicè dilectum ac (vt vocabat) visceralem filium suum Lambertum, qui in Metensem Episcopum postulabatur, sic loquutus est referente ibidem Flodoardo cap. 24. *sub finem.* [Præcipuè monuit, pestem simoniacæ hæreseos in omnibus præcauere: quia proficere (inquit), in Ecclesiastico gradu non poterit, qui ad hoc vt hæreticus fiat, promouetur.] Et luculenter ibidem cap. 26. cum de Theodulpho Comite literis Hincmari reprehenso, quod matriculam Ecclesiasticam vendidisset, & in pretium accepisset asinum. Non solùm (inquit Hincmarus), criminaliter fecisti, quia contra omnes leges, Ecclesiasticum ministerium homo laicus vsurpasti, & eleemosinam idest misericordiam pauperum, ac per hoc Deum, qui misericordia miserorum est, sicut Iudas proditor vendidisti; sed etiam turpiter in hoc minis fecisti, qui de mendicitate de qua mendici viuere debent, Comes & honoratus Regis Consiliarius in pretio asinum accepisti; & omnes qui hæc audiunt, pensare possunt, qualiter de aliis causis pro amore & timore Dei, & reuerentia tui ministerij, iustè & rectè facis, qui de tali miseria, sine vlla verecundia, turpe lucrum requiris.]

16. Goffridus Vindoc. cum alibi acriter aduersùs simoniam in beneficio per illud tempus grassantem concitatur: tum nominatim Opusculo 3. & 10. & optimè l. 4. epistola 8. vbi agens contra quendam impium, qui per ambitionem factus erat Simoniacus, ait hanc esse abominationem desolationis stantem in loco sancto, & regnum Antichristi, ac mysterium iniquitatis, cui cum Enocho & Elia per martyrium sit obsistendum; ad quod duos Abbates fortissimè excitat, his præter cætera, quæ eius in Simoniam animos produnt. [Quia hunc ad augmentum iniquitatum suarum contra sanctam Ecclesiam arte Simonis Magi niti audiuimus, vtile valdè est, primò necessarium, quatenus auctoritate Simonis Petri ei in faciem resistamus. Cui si pro officij loco vehementer non restiterimus, cum ipso Simone Mago, qui hoc genus iniquitatis primus inuenit, nos habituros portionem, (quod Deus abnuat), nullatenus dubitemus. Nam quid prodest nobis orare? Quid prodest aliquando ieiunare? Quid etiam pauperes recreare? Vel quælibet alia bonitatis opera exercere, si Simoniacam hæresim à finibus nostris dissimulamus repellere? Quæ, vt B. Gregorius & dicit ante omne alias in sancta Ecclesia subdolà fraude irrepsit, & quasi prima & maxima, Ecclesiæ castitatem, fœda nimium pollutione contaminare præsumpsit. Igitur in Deum & propter Deum rogamus vos, & obtestamur, si habere partem in Christo vultis, vna nobiscum summoperè laboretis, vt tam sæua pestis quæ persæpè dictum hæreticæ prauitatis ministerium in partibus nostris diabolica suggestione emersit, non quidem gladio ferri, sed gladio spiritus sancti pe-

stent. Sacrum occisi corpus occultatum ab interfectoribus, sed cœlestibus ignibus supra illud micantibus sæpè manifestatum diuinitus; tandem proiectum in profundiorem lacus maioris ad quem occisus fuerit voraginem, post decem denique menses ad ripam eiectum, & integrum repertum, translatum est in vrbem Mediolanensem, vbi multis miraculis à Deo est illustratum, vt Syrus Presbyter in eius vita testatur.

Hugo Lingonensis Episcopus Simoniacus, cum in Remensi Concilio, astante Leone Nono, Vesontionensi Antistite Hugone, qui eius rogatu, causam susceperat, propugnandus esset; diuinitus factum est vt Vesontionensis silentio damnaretur, nec posset quicquam effari. Acta Synodalia Rhemensia sub Leone Nono, minutè rem describunt.

CAPVT NONVM.

Oracula & studia Pontificum & Conciliorum, aduersùs Simoniam in Beneficio, suffragiis ac studiis Sapientum Ordinis cuiuscunque firmata.

1. ET hinc quoque, malignitas Simoniæ in beneficio, patere haud mediocriter poterit. Cui enim dubitare liceat, quin insigniter virulentia & maligna sit beneficiorum nundinatio, quam afflati Spiritu Sancto Pontifices, suffragantibus Conciliis, & cuiuscunque ordinis Sapientibus; & verbo insectati, & tanta contentione, támque irrequieto studio sunt insecuti? Itaque meritò in hanc curam incumbemus, vt subiiciamus ob oculos lectoris, quid varij Sanctissimi Pontifices, quid pleraque Concilia, quid denique Sapientes alij & graues viri, de Simoniaco in beneficiis commercio pronunciauerint; & quanto ardore animi atque laboribus, vt Zizania illa ex agro Ecclesiæ prorsus extirparentur, contenderint.

Non auspicabor tamen Pontificia oracula, ab illo Sancti Petri ad Simonem pronunciato, Actorum 8. [*Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. Non est tibi pars, neque sors in sermone isto; cor enim tuum non est rectum coram Deo. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua: & roga Deum, si fortè dimittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse.*] Non me latet passim Patres hoc oraculum intorquere in Simoniacos in beneficio; verúmque esse Ecclesias quoque & beneficia esse dona Dei, vt ait Bonifacius Papa c. *quam pio* 1. quæst. 2. & Gregorius c. *audiuimus* 1. quæst. 3. Disertè autem Vrbanus Pontifex c. *Saluator* 1. q. 3. monstrat Simonem non captasse venditionem Spiritus sancti, vel potestatis miraculorum & dandi Spiritum sanctum, sed potiùs venditionem commodorum temporalium quæ inde sibi obuentura me ditabatur; vt proinde fuerit

fuerit in ea potestate quam Simon pecunia ambiebat, expressissima imago beneficij Ecclesiastici, ex spirituali titulo & temporali censu coalescentis: atque adeò oraculum à Beato Petro Pontificum primo intortum in Simonem, æquè ferire videatur omnes in beneficio Simoniacos. Hæc tametsi apposite dicuntur, tamen quod potestas conferendi Spiritum sanctum, & facultatem adiuncta impositione manuum miracula patrandi, non nisi per analogiam dicatur beneficium Ecclesiasticum; eius oraculi expensione supersedebo hoc loco. Illud verò insigniter versat Ecbertus Serm. X. contra Catharos *sub finem.* Ad beneficiorum autem captores Simoniacos oraculum illud aptant, Tarasius epistola ad Adrianum, & plerique adducti à Gratiano. 1. q. 1. & 2. Hoc dimisso, aliunde auspicandum est.

Rectorum Ecclesiæ oracula & studia contra Simoniacos in Beneficio.

ORacula Pontificia in hanc rem benè multa passim occurrunt apud Sanctum Gregorium, qui quamuis plerumque videatur agere de Simonia in ordinum collatione, quæ seu rem exigendo alia est à Simonia in beneficio; tamen eo nomine, intelligit quoque Simoniam in beneficio. Imo ka[illegible] iùs, ac plerumque solam. Rari enim fuerunt, nec nisi mendici Antistites, qui præcisè ex collatione Sacramenti ordinis lucrum caperent; aut Clerici qui offerrent eam ob causam. Vt autem ex ordinatione ad titulum beneficij facta, atque adeò ex beneficiò cui census temporalis adiunctus est, lucrum promitteretur offerretúrve, ac caperetur, frequentissimum fuit; estque nunc quoque, apud multos solemne. Itaque quod *ordinatio*, id est ordinum collatio, olim fieret duntaxat ad titulum beneficij alicuius, siue Episcopatus, siue inferioris Classis, liquet ex cap. *neminem*, & cap. *Sanctorum* distinct. 70. Passim *ordinatio* pro Ecclesiasticæ præfecturæ ordini conferitæ aditione vsurpatur, ita vt Paschalis Papa cap. *sunt quidam* 1. q. 1. dicat Ecclesias ordinari, eosque mulctari velit qui obstant quominus ordinatio Ecclesiarum, (id est delectus in Ecclesiarum rectores & beneficiarios,) regulariter fiat. Similiterque cum c. *audiuimus* 1. q. 2. titulus sit de iis qui sacros ordines munerum acceptione dispensant; totum caput est de dantibus vel accipientibus Ecclesiam aut beneficium. Quod item notare licet cap. *ex multis* 1. q. 2. Canonem Concilij Chalcedonensis aduersùs ordinationem Simoniacè factam, (refertur c. *si quis Episcopus* 1. q. 1.) Alexander Papa c. *ex multis.* 1. q. 3. accipit de Simoniaca collatione beneficij. Huc denique facit, quod in lucubrationibus antiquis, *Presbiter* idem sonare solet, quod *Curio* seu *Parochus* atque adeò beneficiarius, vt notat Coluererius ad l. 1. Flodoardi hist. Rem. cap. 8. Eundem vsum, ordinationem pro beneficij Ecclesiastici aditione vsurpandi iam supra ex Petro Damiani notauimus. Et patet quoque ex damnatione Antonini Episcopi Ephesini per Sanctum Chrysostomum, ob venditas ordinationes; quod tamen cecidisse in beneficia liquet, quia additur vendidisse eas pro quantitate redditúum. Quæ hic refricare oportuit, vt pateat quò Sanctus Gregorius aliique mox adducendi collimment, damnando ordinationes Simoniacas; de quo rursus infra ex Concilio Chalcedonensi.

3. Cum ergo aduersùs huiusmodi nequitiam, in Gallia & Palæstina tunc reuirentem, strenuissimè egerit Sanctus Gregorius, vt Ioann. Diaco. lib. 30. per sex prima capita refert: Illa tamen notanda precipuè videntur, quæ habet l.7.epist. 110. ad Siagrum & alias Collegas Gallicanos. [Vehementi (inquit) tædio mæroris afficimur, si in Ecclesiasticis officiis quemquam habeat locum pecunia, & fiat seculare quod sacrum est. Quicunque verò hoc precij studeat datione mercari, dum non officium, sed nomen attendit: sacerdos non esse, sed dici tantummodò inaniter concupiscit. Quid scilicet? quid per hoc aliud agitur, nisi vt nulla de actu probatio, nulla sollicitudo de moribus, nulla sit de vita discussio: sed ille solummodò dignus, qui dare pretium suffecerit, æstimetur? Ex qua re, si recti libraminis examinatione pensetur, dum improbè ad inanem gloriam locum festinat vtilitatis arripere, eo ipso magis quod honorem quærit, indignus est.] Et mox. [Cum liqueat hanc hæresim ante omnes radice pestifera surrepisse; atque in ipsa sua origine, Apostolica esse detestatione damnatam; cur non cauetur, cur non perpenditur, quia benedictio illi, in maledictionem conuertitur, qui ad hoc vt fiat hæreticus promouetur?]

4. Laudat hunc S. Gregorij locum, Concilium in Villa Sparnaco. cap. 42. Idem Sanctissimus Pontifex. Rursus eodem libro epistola 113. [Omnino execrabile, & esse grauissimum detestamur: quod sacri illic ordines in Simoniacam hæresim: quæ prima contra Ecclesiam orta, & districta maledictione damnata est, conferantur. Hinc igitur agitur, vt sacerdotij dignitas in despectu, & sanctus sit honor in crimine. Perit vtique reuerentia, adimitur disciplina: quia qui culpas debuit emendare, committit, & nefaria ambitione, honorabilis sacerdotij, ducitur in deprauatione censura. Nam quis denuò veneretur, quod venditur; aut quis non vtile putet esse quod emitur? Vnde valdè contristor, & terræ illi condoleo; quia dum sanctum spiritum, quem per manus impositionem Omnipotens Deus hominibus largiri dignatur, diuino munere habere despiciunt, sed præmiis assequuntur, sacerdotium illic subsistere diu non arbitror. Nam vbi dona supernæ gratiæ venalia iudicantur; ad Dei seruitium non vita quæritur, sed magis contra Deum pecuniæ venerantur.] Legendus etiam Epistola 114. & libro 9. Epistola 40. ac 49. ac seqq. vsque ad 57.

5. Tandem in Psal. 4. Pœnit. ad illud *tota die exprobrabant mihi*, &c. ita habet de Simoniaca peste. [Hæc est hæresis, quæ ipsa nascentis Ecclesiæ rudimenta tentauit, & ante alias hæreses prima apparuit. Cuius erroris vesania, licet extunc damnata fuerit, postea tamen in Ecclesia germine pestifero pullulauit. Nostris verò maximè temporibus, malitiæ suæ vires exercuit, & totius Ecclesiæ pacem schismatica infestatione turbauit. Concitauit enim aduersùs Ecclesiam Dei, non solùm innumerabilem populi multitudinem, verùm etiam Regiam, (si fas est dicere), potestatem. Nulla enim ratio sinit, vt inter Reges habeatur, qui destruit potiùs quàm regat imperium; & quoscunque habere potest peruersitatis suæ socios, eos à consortio Christi efficit alienos. Qui turpissimi lucri cupiditate illectus, sponsam Christi captiuam cupit abducere & passionis Dominicæ sacramentum ausu temerario contendit euacuare. Ecclesiam quippè quam sui sanguinis pretio, redemptam, Saluator noster voluit

esse

eſſe liberam, hanc iſte poteſtatis Regiæ iura tranſcendens, facere conatur ancillam. Quanto melius foret ſibi, dominam ſuam eſſe agnoſcere, eíque Religioſorum Principum exemplo deuotionis obſequium exhibere, nec contra Deum faſtum extendere dominationis, à quo ſuæ dominium accepit poteſtatis? Ipſe eſt enim qui ait; *Per me Reges regnant.* Sed immenſæ cæcatus cupiditatis caligine, & diuino (vt patet,) ingratus beneficio; & contra Deum faſtuoſus; terminos quos poſuerunt Patres noſtri, contempto diuino timore tranſgreditur; & contra Catholicam veritatem, ſuæ furore Tyrannidis efferatur. Intantum autem ſuæ temeritatem extendit veſaniæ, vt caput omnium Eccleſiarum, Romanam Eccleſiam, ſibi vindicet, & in Domina gentium terrenæ ius poteſtatis vſurpet. Quod omninò ille fieri prohibuit, qui hanc Beato Petro Apoſtolo ſpecialiter commiſit, dicens: *Tibi dabo Eccleſiam meam.* Obſtruatur ergo os loquentium iniqua, & omnis hæreticorum acies obmuteſcat, quia nullas vires habet mendacium, quod ipſius voce veritatis inuenitur deſtructum.] Sic ille in Mauricum, de electione Pontificis Romani quæſtum captantem.

Leo Quartus ad Epiſcopos Britanniæ, interrogatus de promotis ad Sacerdotia per Simoniam, vocat eam negotiationem, *deteſtabile nefas, iam multis damnatum Conciliis.*

S. Leonem Nonum in Simoniacorum impugnatione & eradicatione cœpiſſe laborare, & omnem nauaſſe operam teſtatur Gregorius ſeptimus l. 2. epiſtola 45. & ex eius Actis eſt perſpicuum.

S. Gregorius ſeptimus, in Epiſtolis multis grauiter in Simoniam circa beneficia paſſim conclamat. Videſis l. 1. ep. 11. & 15. & 27. & 35. & l. 2. epiſt. 45. & 55. & 61. ac 65. & 67. ac 76. & l. 3. epiſtola 1. 2. 3. 4. & l. 4. epiſtola 11. & 18. ac 20. & l. 5. epiſtola 1. l. 6. epiſtola 39. & l. 8. epiſtola 2. Ob frequentiſſimum hoc ſtudium extirpandi Simoniam & alia vitia, ſanctiſſimus Pontifex in multorum incurrit odia, & multorum calumniis patuit; vt ipſemet literis ad Adelphonſum Regem Hiſpaniæ (eſt epiſtola ſecunda libri noni) ſic refert, ſenſum è contrario ſuum aperiens. [Non nos latet, multa de noſtris factis, ac dictis, tuis auribus ſiniſtra interpretatione deferri. Vnde & pro nobis in notitiam dilectionis tuæ obtrectantibus, reſpondere non alienum putauimus. Peccatorem me eſſe, ſicut verum eſt confiteri minimè piget. Verùm ſi cauſa odij, vel detractionis eorum qui in nos fremunt, ſubtiliter inueſtigetur; profectò non tam alicuius iniquitatis meæ intuitu, quàm ex veritatis aſſertione, iniuſtitiæque contradictione, illos in nos exarſiſſe patebit: Quorum quidem ſeruitia, & largiſſima munera nos ſatis abundantiùs multis Anteceſſoribus noſtris habere potuimus, ſe ad periculum illorum, & noſtrum, veritatem ſilere, malitiámque ipſorum diſſimulare noluiſſemus. At nos certè ex huius vitæ termino, & temporalium commodorum qualitate perpendentes, nunquam melius quemquam poſſe Epiſcopum, quàm cum perſecutionem patitur propter iuſtitiam; decreuimus potius diuinis mandatis obtemperando, prauorum inimicitias incurrere, quàm illis malè placendo, iram Dei prouocare.] Sic actum à politicis, & improuidis, ac nidorem hæreticum ſubolentibus: quos inter reprehendendus nominatim venit Sigibertus, qui in Chronico anno 1074. in Gregorium hac

hac ex causa bacchatur. Sed sanctissimum Pontificem tutati sunt bene multi, quos appendit Coccius t.1.l.7. art. 16. nominatimque Autor vitæ Sancti Bennonis, & fortissimè Gretserus in Opere de hoc argumento.

7. Alexander secundus, Epistola ad Clerum & populum Lucensem, grauissimè & acerrimè vrget, quàm sit detestanda Simonia in beneficio. Idem in Concilio Romano strenuè egit contra Simoniacos. Summam Actorum ipse exhibet, literis Encyclicis, quas descripsit Baronius anno 1063. vnde de eius nauitate & studio in hac parte, liquet.

Vrbani secundi studia in Simoniacos videre est in eius epistola 12. quæ est ad Canonicos Turonensis Ecclesiæ Sancti Martini; & in eiusdem decretis in Concilio Romano anni 1099.

Paschalis Papæ enuntiatum aduersùs Simoniacos in beneficio (huiusmodi enim Simoniacorum causa eo tempore agebatur) præstat apud Gratianum c. *patet* 1. q. 1. in hæc verba. [Patet Simoniacos veluti primos, & præcipuos Hæreticos, ab omnibus fidelibus respuendos: etsi commoniti non resipuerint, ab exteris etiam potestatibus opprimendos. Omnia enim crimina, ad comparationem Simoniacæ hæresis, quasi pro nihilo reputantur.] Quomodò id accipiendum sit, ac molliendum, attigi supra cap. 3.

Calixtus Papa serm. 1. in Vigilia Sancti Iacobi, *sub finem* multus est in exagitatione Simoniacorum, etiam in beneficio. Quod tamen diffusior sit eius disputatio, & maximam partem spectet Simonia in venditione Missarum & pœnitentiarum, mitto eum exscribere.

Quid Concilia contra eosdem Simoniacos.

8. IAm Conciliorum aduersùs Simoniacam beneficiorum negotiationem, & oracula & studia, cum apud Gratianum 1. q. 1. & 2. obuia sunt; tum ex sacrorum Annalium, vel Conciliorum lectione, quantumuis perfunctoria non poterunt non esse comperta. Exhibet Gratianus cap. *si quis Episcopus* 1. quæst. 1. Luculentum decretum Chalcedonensis Oecumenici Concilij, quo & huius Simoniæ turpitudo, ac detestabilitas aperitur, & summum numerosissimæ Synodi studium in ea stirpitùs eradicanda, perspicue patet. Ad hanc enim in beneficiis Simoniam, pertinere locum illum Concilij, quo ordinationes Simoniacæ feriuntur, docuit Alexander secundus epistola ad Clerum & populum Lucensem, & optimè Apologeticus pro Gregorio VII. c. 6. quo egregiè aperitur, non Simoniacos tantùm circa ordines, sed etiam Simoniacos circa beneficia feriri eo loco à Concilio, damnante ordinationes sub pretio. Id quod eiusdem Apologetici cap. 9. absolutè ostenditur aliunde. Nec disparem detestationem, vel dispar studium extirpandi Simoniaci huius lolij, prodidit Concilium Generale Patrum quadringentorum, Rhemis præside Callisto secundo celebratum, anno 1119. Præter minora Concilia, in quibus tanquam execranda negotiatio damnata est, qua tituli Ecclesiastici, & iis adiuncta temporalia commoda (quæ duo beneficij Ecclesiastici nomine comprehenduntur), pecunia prostant. Eiusmodi fuit Concilium Constantinopolitanum sub Gennadio Patriarcha, de quo superiùs, necnon Concilium Germanicum Præside Marino

Apostolicæ

Apostolicæ sedis Legato coram Regibus Otthone & Ludouico anno 948. & Toletanum octauum, cuius Locus à Gratiano adducitur tanquam Ambrosij c. reperiuntur 1. q. 1 cum apud Diuum Ambrosium l. de Dignitate sacerdotali, è quo eum depromptum notauit Gratianus, nequaquam compareat. In summa nullum est antiquum aut recentius Concilium, ex iis quæ celebrari contigit quando vel vbi hæc detestabilis abusio circa beneficia locum habuit, quin eam omni cum horrore auersandam, verbis amplissimis, & studio flagrantissimo suadere sit annisum.

Insignium è sacro Ordine virorum, flagrans studium contra Simoniacos.

9. INter inferioris ordinis insignes viros, siue è Clero, siue è plebe fidelium innumeri sunt, qui & verbo, & cum res tulit studio ac opere quantum à simonia in beneficiis abhorrerent, testati sunt. Seligo ex vtroque ordine paucos.

S. Isidorus Pelusiota, aduersùs Zozimum & alios Simoniacos, etiam in Beneficiis, crebertimè concitatur, sed nominatim l. 5. epistola 296. his verbis [Et vendentes & ementes Sacerdotium, ij magnum contra se proferunt argumentum, suæ quam de hoc negotio habent opinionis. Alioqui non essent ausi emere & vendere rem diuinam, quæ optimæ debetur administrationi, rectisque moribus. Regula enim huius rei est, aptus vt sit qui suscipit, ludrica quædam res habeatur. Cui enim pœnæ obnoxius videatur, ludens in re non ludicra, tua non ignorat sapientia. Olim quidem cum apud Hebræos, sacerdotalis dignitas vni certæ familiæ assignata esset, murmurabant non pauci, cur illi stirpi potiùs ac generi, quàm virtuti daretur. Postquàm verò iam sacerdotium, & dignius esse, & virtutis haberi ratio cœpit, maiore afficitur iniuria, quàm cum ignobilis esset, ac stirpi hæreditarium. Etsi enim tunc nonnulli eo indigni essent, erant tamen & optimi; pecunia verò nundinari, omnino vetitum erat. Nunc verò cum & præstantius sacerdotium sit datum, & virtuti vt tributum, magis contemnitur. Quis enim vir bonus assentiri vellet, vt illo ponatur? Aut quis ausit pecunia mercari, rem ipsis Angelis dignam? Quare siquidem neque adulari velint, neque sacerdotium audeant emere. Sunt verò vti scribis, adulationibus & pecuniis sacerdotium propinantes, quos mille suppliciis dignos esse constat: Isti adulari & emere non recusabunt.]

10. Tarasij Constantinopolitani Patriarchæ, Luculenta de hoc negotio ad Adrianum 1. legitur trunca apud Gratianum cap. *eos qui per pecuniam* 1. quæstio 1. Integra vero habetur post octauam actionem Septimæ Synodi, ex interpretatione Anastasij, & apud Balsamonem. Vbi tamen manifesto Græculi cuiuspiam flagitio qui codicem aliquem deprauarit, vel librarij cuiuspiam oscitantia, aut malignitate, laudes Adriano exhibitæ à Tarasio, deteruntur ipséque Adrianus, tanquam simoniæ suspectus insimulatur. Quod non posset mirum videri, si Adriano innocenti impactum esset, cum alij æquè sanctissimi Antistites, Simoniaci audiuerint vt Sanctus Syluerius Papa & martyr, Gregorius septimus, Alexander secundus, Henricus Archiepiscopus Senonensis apud sanctum Bernardum epistola 51. & ipse Tarasius Constantinopolita-

nus, iudicio Theodori studitæ ab ea culpa immunis. Ea tamen calumnia, à Tarasij de Adriano sententia longè abest, vt apud ipsummet Balsamonem, Romanorum cæteroqui Pontificum iurarum hostem, videre est. Caret enim apud eum epistola hoc næuo; quod Baronius anno 787. non perspexit: vnde confictam à Balsamone Tarasij Epistolam censuit, vt Adriano labes simoniæ affricaretur. Id quod Binius t. 5. Adriani Epistolas proferens, secutus est non benè. In ea ergo Epistola, Tharasius de simoniaca in beneficiis prauitate cuius tunc virulentia Ecclesiam Græcanicam infestabat, ea ad Pontificem Adrianum scribit, tantoperéque emptionis & venditionis Sacerdotiorum turpitudinem ostentat, vt non possit verbis amplioribus & sonantioribus rem exequi. Eo autem studio in huius infelicissimi lolij extirpationem nititur, interpellato etiam Adriano, vt satis liqueat, censuisse illum, perniciem ex hac beneficiorum nundinatione creari Ecclesiæ; & spirituali Christianæ plebis profectui, vastitatem induci, atque adeò tantum scelus omni detestatione auersandum & execrandum esse. Eiusdem contra simoniam in beneficio, quam vocat *Caiphaicum studium*, insignis extat Epistola ad Ioannem Anachoretam.

11. Petrum Damiani, Patriarchæ Cardinalem, dignitate quidem anteriorem, (ipsomet Damiani teste l. 1. epistola 20.) ætate tamen posteriorem subnecto. Quanta ille & orationis vehementia, & alacritate contentionis, simoniam in beneficiis quæ eo seculo erat peruulgatissima insectatus sit, apud eum legere est; cum libro integro cui titulum fecit, *Gratissimus*, tum aliis plerisque Opusculis & Epistolis. Et quanquam verè ac meritò contendit, sacramenta per simoniacos collata, eo ipso non esse irrita, vt ferebat aliquorum assertio; tamen simoniam, omni cum detestatione, ab Ecclesia in beneficiorum captatione esse repellendam, fortissimè confirmat, nec nisi cum execratione de ea agit. Vocat *maledictam venalitatem*, in iuramento Clericorum Mediolanensium à se concepto, quod refert Opusc. 5. Et ibidem ex nomine Vidonis Archiepiscopi Mediolanensis, sic loquitur. [Non ignorat sancta deuotio vestra (Dilectissimi fratres, & filij,) quàm reproba, quàm detestabilis, Deo odibilis, ignominiosa, atque peruersa, omniumque sanctorum Canonum auctoritate. Damnata consuetudo, in hac sancta Ecclesia, cui Deo auctore deseruio, antiquitùs inoleuerit; quámque læthalis atque pestiferæ lepræ, animas innocentum, contaminatione perfuderit; Simoniacæ videlicet hæresis, damnatos, sempérque damnanda venalitas, & perniciosa negotiatio. Quantus fuerit Ardor eius aduersùs hanc prauitatem, & quàm fortibus remediis ad eam prorsus tollendam sit vnus, cum illuc à Nicolao Papa in eam rem legatus esset, manifestum est ex toto eo Opusculo. Et cum essent eo tempore, qui venalitatem beneficiorum tueri se posse existimarent, distinguendo in beneficio titulum spiritualem à fructibus temporalibus: ac dicendo, non nisi ratione fructuum vendi beneficium, monstrat accuratè Damiani, (vt infra ex eo referemus,) duo illa adeò nexa esse, vt disiungi nequeant; & vno vendito alterum item vendi, sit necesse. Tudetchinum natione Barbarum, & Ioannem patria Venetum, Gotofredi Tusciæ Ducis Capellanum, quibuscum ea in parte confligit, non contudit modò, sed & contriuit.

S. Bruno Signiensis, magnus ipse quoque simoniæ hostis, in Opusculo, cui titulus

culus est *Responsio ad quæstionem, Cur Corruptus tunc Ecclesiæ status* ad finem, distinctionem proximè adductam repellit, nec posse emi castella, vel agros beneficio ac titulo spirituali nexos, absque labe simoniæ confirmat. Fuisse autem S. Brunonem, simoniacorum hostem infensissimum, cum Acta eius testantur, tum quod passim exponens sacras literas, excurrit in Simoniacos. Et erant tunc calamitosa tempora, quibus Ecclesia per simoniacos in Concubinarios Clericos fœdè dehonestabatur, cui putori repellendo SS. Pontifices Leo IX. & Gregorius VII. indefessam nauabant operam, quorum collaborator præter cœteros fuit S. Bruno Signiensis. Et causam cur adeò in Simoniacos concitaretur, petere licet ex Opusculo allegato. Cum enim exponendum suscepisset cur Arriani & Nestoriani, aliique hæretici reuenientes ad cor, reciperentur in Ecclesia cum suis honoribus, non item Simoniaci, inducit obiicientem, num censerit Simoniacos hæreticis illis deteriores esse, & respondet. [Vtrum simoniaci peiores sint, nescio. Vnum tamen scio, quia magnum scelus est, vendere vel emere Spiritum sanctum. Si enim magnum peccatum fuit, vendere vel emere Christum, magnum vtique peccatum est, vendere vel emere Spiritum sanctum. Æquales enim sunt, Pater, & filius, & Spiritus sanctus. Iudas est qui vendit, Iudæus est qui emit, vtrumque autem, & vendentem & ementem, de templo Dominus eiecit.]

12. S. Gulielmus Abbas Diuionensis (vt scribit in eius vita Glaber Rodulphus cap. 12.) adeò aduersus Simoniam inferbuit, vt ne ipsi quidem Ioanni vigesimo in hoc scelus agenti negligentiùs pepercerit, hac dato ad eum Epistola. [Parcite quæso, parcite, qui dicimini sal terræ, & lux mundi. Sufficiat hominibus iam semel Christum fuisse venditum pro communi salute vniuersorum. Iã enim refugæ veri luminis, solo nomine Pastores, ouile Christi, imo membra illius, videre post vos quò eunt. Si iuxta fontem tepet riuus, in longinquum fœtere, nulli dubium est. Idcirco Cura quibusdam venditur ad suum interitum. Volo vos Pastores ac Pontifices omnes, in commune Iudicis securem gestantis apud ianuam assistentis, memores.] Gratias egisse Ioannem Pontificem & Deum in S. Gulielmo glorificasse addidit Glaber.

S. Romualdus, referente in eius vita Petro Damiani cap. 35. præcipuo zelo in Simoniacorum extirpationem ferebatur; eos omnino damnabiles & hæreticos pronuncians, si obdurarentur in malignitate, quæ tunc temporis apud plerosque erat incognita, cum nemo in eo mercimonio culpam agnosceret; ita vt primùm mortem vno sancto inferre meditarentur, ob eam nouam, (vt rebantur) doctrinam. Sed summo viri sancti studio, multi redierunt ad cor. Quanquam in Episcopis Simoniacis curandis, quantuncunque multi conuersionem sponderent, ferè frustra sudauit, & rationem reddit Damiani. [Est enim venenata illa hæresis, præsertim in Episcopali ordine, tam dura & ad conuertendum rigida, vt semper promittens, semper de die in diem producens, atque in futurum procrastinans, faciliùs possit Iudæus ad fidem conuerti, quàm hæreticus latro, plenè ad pœnitentiam prouocari.]

13. S. Abbo Floriacensis, vt habent eius Acta c. 10. consultus à [illegible] Bellilocensi Abbate, de pecunia quæ ab eo exigebatur pro Episcopatu [illegible]censi, sic respondit. [Quia te diuina pietas seruum suum [illegible]

15. Hincmarus Rhemensis magni suo seculo nominis Antistes, strenuè egit contra Simoniacos. Quod præter cætera monstratur illis Flodoardi de eo verbis l. 3. hist. Rem. Eccles. cap. 18. [Idem verò Præsul, de multis Regi (Carolo Caluo) necessariis sæpissimè suggerebat. Inter quæ scribit ad eum pro electione Beluacensis Episcopi post obitum Hildemanni, Præsulis ipsius vrbis. In qua epistola Regem studet à simoniaca Hæresi compescere asserens sibi multò amabilius esse istum Episcopatum secundum seculum dimittere quàm Episcopum contra Canonicam institutionem non tam benedicere, quàm æterna secum maledictione maledicere.] Idem agens de vnicè dilectum ac (vt vocabat) visceralem filium suum Lambertum, qui in Metensem Episcopum postulabatur, sic loquutus est referente ibidem Flodoardo cap. 24. *sub finem.* [Præcipuè monuit, pestem simoniacæ hæreseos in omnibus præcauere: quia proficere (inquit), in Ecclesiastico gradu non poterit, qui ad hoc vt hæreticus fiat, promouetur.] Et luculenter ibidem cap. 26. cum de Theodulpho Comite literis Hincmari reprehenso, quod matriculam Ecclesiasticam vendidisset, & in pretium accepisset asinum. Non solùm (inquit Hincmarus), criminaliter fecisti, quia contra omnes leges, Ecclesiasticum ministerium homo laicus vsurpasti, & eleemosinam idest misericordiam pauperum, ac per hoc Deum, qui misericordia miserorum est, sicut Iudas proditor vendidisti; sed etiam turpiter in hoc minis fecisti, qui de mendicitate de qua mendici viuere debent, Comes & honoratus Regis Consiliarius in pretio asinum accepisti; & omnes qui hæc audiunt, pensare possunt, qualiter de aliis causis pro amore & timore Dei, & reuerentia tui ministerij, iustè & rectè facis, qui de tali miseria, sine vlla verecundia, turpe lucrum requiris.]

16. Goffridus Vindoc. cum alibi acriter aduersùs simoniam in beneficio per illud tempus grassantem concitatur: tum nominatim Opusculo 3. & 10. & optimè l. 4. epistola 8. vbi agens contra quendam impium, qui per ambitionem factus erat Simoniacus, ait hanc esse abominationem desolationis stantem in loco sancto, & regnum Antichristi, ac mysterium iniquitatis, cui cum Enocho & Elia per martyrium sit obsistendum; ad quod duos Abbates fortissimè excitat, his præter cætera, quæ eius in Simoniam animos produnt. [Quia hunc ad augmentum iniquitatum suarum contra sanctam Ecclesiam arte Simonis Magi niti audiuimus, vtile valdè est, primò necessarium, quatenus auctoritate Simonis Petri ei in faciem resistamus. Cui si pro officij loco vehementer non restiterimus, cum ipso Simone Mago, qui hoc genus iniquitatis primus inuenit, nos habituros portionem, (quod Deus abnuat), nullatenus dubitemus. Nam quid prodest nobis orare? Quid prodest aliquando ieiunare? Quid etiam pauperes recreare? Vel quælibet alia bonitatis opera exercere, si Simoniacam hæresim à finibus nostris dissimulamus repellere? Quæ, vt B. Gregorius & dicit ante omnes alias in sancta Ecclesia subdolâ fraude irrepsit, & quasi prima & maxima, Ecclesiæ castitatem, fœda nimium pollutione contaminare præsumpsit. Igitur in Deum & propter Deum rogamus vos, & obtestamur, si habere partem in Christo vultis, vna nobiscum summoperè laboretis, vt tam sæua pestis quæ perlæpè dictum hæreticæ prauitatis ministerium in partibus nostris diabolica suggestione emersit, non quidem gladio ferri, sed gladio spiritus sancti pe-

nu[illegible] amputetur, ne nobis tacentibus in spiritum sanctum peccetur; quod neque in futuro sæculo remittatur.]

Robertus de Abruscellis eadem cum Gaufrido ætate vixit vt docent literæ ad eum à Gaufrido datæ, circumuento falsis rumoribus de Roberto, & iis fortassè literis implanatus, quas ab homine maligno (credo Roscelino hæretico) contra hunc hominem Dei confictas, testatur Petrus Abelardus; ad quem Gaufridi in fraudem acti concitationem, notauit Andreas Quercetanus. Vir igitur ætatis illius lumen, cum in omne nequitiæ genus euellendum ac dissipandum indefesso studio incubuit, (vt in Actis S. Bernardi Ponrinensis, accuratè præter cæteros tradidit Gaufridus Monachus, ac in ipsius Roberti vita Baldricus, Dolensis apud Armoricos Archiepiscopus: Tum nominatim in Simoniæ eradicationem. Verba Baldrici sunt aliquatenus obscura. [Quatuor annis apud Episcopum (Syluestrum Rhedonensem (ita Demeratus Archipresbyter (Robertus) pacem inter discordes reformando, Ecclesias ab infami laicorum ancillatu liberando, incestas Sacerdotum & Laicorum copulationes dirimendo; Simoniam penitus abhorrebat, omnibusque vitiis viriliter renitebat.] Qui vernacula lingua expressit Baldricum, per incestas copulationes, intellexerit incestas nuptias laicorum & sacrilega, nuptias Sacrorum hominum, quæ per illud tempus, ætate inquam Gregorij VII. nimirum quantum succreuerant. Sed verus sensus Baldrici, est de copulationibus Simoniacis Laicorum & Sacerdotum in eadem Ecclesia. Tunc enim per Gallias vt supra attigimus, & minutatim persequitur Tilesacus in *Querela Gallicanæ Ecclesiæ*, beneficia passim occupabantur à Laicis, ita vt Laici Magnates denominarentur Abbates, & Canonici, &c. quod erat Ecclesias cum infamia ancillari laicis. Et varia sub eodem tecto beneficia laici & Clerici permixtim obtinebant, quod erat copulare laicos & sacerdotes per incestum, siue voce *incestus* [illegible] pro sacrilegio Simoniaco, siue ita dicta sit ea consociatio, ob spiritualem cognationem laicis intercedentem cum Patribus suis spiritualibus à quibus geniti in Christo erant per baptismum. Omnes has Simoniacas malignitates, generosè suadebat homo Dei Robertus.

Specimen esto flagrantissimi eius hac in parte studij, fragmentum ex descriptione felicis eius transitus concinnata ab Andrea eius socio; vbi cum egisset de pacatione vrbis Carnotensis in quam sanctus ipse Bernardus Claraualensis [illegible]stra operam contulerat, dextrè ac feliciter per Robertum confecta, subdit. [Quæ verò vel quanta beneficia sæpe dictæ Ciuitati (Carnotensi) in illis diebus per seruum suum dignatum sit Dominus præstare, meæ non est possibilitatis indagare. Hoc tamen referre iuuat, quod Simoniaca hæresis quæ Carnotensem Canonicorum Basilicam diutissimè fœdauerat, concedente Gaufrido Episcopo, cuius vita, nostra quoque ætate, suauissimè redolet, atque concedentibus à maiore vsque ad minimum, eiusdem cœnobij Canonicis, in perpetua damnatione per Robertum nostrum extincta est. Et vt hæc pestis execrabilis in eadem Ecclesia, in sempiternum omnino damnaretur, votum quod fecerunt iuramento firmauerunt.]

S. Ioannes Gualbertus, deprehenso Abbatis sui simoniaco ingressu in beneficium, per pecuniam Episcopo Flo[illegible] [illegible]ratam, adiens Teuzonem virum

virum sanctissimum exquirendi consilij gratia, exhortatore, in foro medio, & Episcopum & Abbatem esse Simoniacos contestatus est, cum aperto vitæ discrimine, quod ægrè euasit, clam subductus partiariis Episcopi. Qua de re pleniùs in eius Actis, quæ iam superius c. 7. alia occasione allegauimus. Visam à se eiusdem Sancti Ioannis Gualberti epistolam ad Episcopum Volaterranum, qua illum fortiter aduersùs simoniacos agere hortabatur, scribit Baronius anno 1063.

17. Non verebor allegere in hunc numerum Pseudoaugustinum ad Eremitas, quandoquidem Concilium Aquisgranense eius allegatione vti non est dedignatum. Is serm. 37. ad fratres in Eremo, sic loquitur de mercatoribus & emptoribus præbendarum & beneficiorum, post alia in alias Simoniæ species. [Similiter fratres, qui Sacramentum emit, vel Ecclesiam, vel præbendas, vel Ecclesiarum introitus, vel seculari potentia hoc pro se procurauit, sciat quòd cum Giezi, & Iuda, iam damnatus est, iam leprosus factus est, iam de templo Domini expellendus est. Quare sic? Quia qui non intrat per ostium in ouile, sed ascendit aliunde, fur est & latro. Ideò reprehendendus est, quia ementes, & vendentes, Dominus eiicit de templo: repellendus est; quia leprosi, eiici iubentur.]

Ecbertus serm. 10. aduersus Catharos *sub finem* multus omnino est in sceleris Simoniacorum exagitatione. Sed longiorem eius disputationem præstat ibi legere, quàm huc aduocare.

Pij Laici, contra Simoniacos in beneficio, valdè animati.

18. IN laicorum ordine, ardens studium verbo & opere aduersùs Simoniacam beneficiorum aditionem, prodidere non pauci, sed nobilissimè & gloriosissimè Herlembardus Dux, Arialdi (de quo proximè), studiorum in hac prauitate insectanda & extirpanda, cooperatius, & eiusdem Herlembaldi Germanus Laudulphus, iste tamen citra mortem testimonium perhibuit veritati. Nam quamuis à sicario ad eum ante altare orantem necandum submisso, appetitus gladio venenato, tamen permansit illæsus. At Herlembaldus accepto ab Alexandro Papa vexillo aduersùs hæreticos, quibus hi Simoniaci tunc in scelere obfirmati accensebantur, cum per annos octodecim generosè ac fortiter demandato munere functus esset, & Simoniacam beneficiorum venalitatem verbis & factis insectatus diu esset, illustri denique martyrio eam ob causam interfectus, obdormiuit. Vir dignus cui Gregorius Septimus l. 1. Epistola 27. & 28. præclara panxerit elogia, vocans *strenuissimum Christi mililitem, prælia Domini prælantem.* Et sanè non morte duntaxat pro Christo obita clarus fuit, sed etiam vita ei fini congruente. Nam quod de Nebridio dixit S. Hieronymus, tanquam monachus sub paludamento vitam egit. Vt haud humano afflatu Alexander Papa, aliique viri sanctissimi, ex Hierosolymitana peregrinatione reducem, & monasticæ vitæ percupidum, perhibuerint corpore excedere è seculo, cui animo renunciarat; ne Ecclesia Dei tam vtili inter laicos operario, tàmque nauo Antistitum sacrorum administro, & in excindendis abusionibus cooperario, fraudaretur.

prandus & ex eo Baronius anno 933. fore vt in beneficiorum venalitatem eliminandam ſtrenuè incumberet, ſi victoria de Hunnis potiretur; tanta ſtrage eos affecit, vt planè deleuerit internecione. Qui eidem ad exequendum votum potentiſſimus ſtimulus fuit.

21. Henricum ſecundum Imperatorem, ſcribit Glaber l. 5. cap. 5. Epiſcoporum totius Imperij conuentum collegiſſe; & nauiter commiſſum eſſe; vt nundinatio Simoniaca, qua tunc beneficia Eccleſiaſtica paſſim venalia proſtabant, proſcriberetur ab Eccleſia. Cauſam odij quo flagrabat in eam profanitatem, & ſtudij quo de ea extirpanda erat ſollicitus, repetere poſſe videmur, ex Vvillelmo Malmesbur. l. 2. de geſt. Anglo. cap. 12. Scribit enim Henricum adhuc puerum, Conrado patre Imperatore ſuperſtite, tuliſſe à Clerico fiſtulam argenteam eiaculandæ aquæ vti inter pueros aſſolet; pactum reponere Clerico Epiſcopatum, cum foret ad Imperij culmen euectus. Quare cum eo ipſo anno quo ad Imperij gubernacula admotus eſt, Clerico pactum priſtinum vrgenti auſcultaſſet, dediſſetque Epiſcopatum, perbreui in grauiſſimum morbum incidit; ex quo triduo iacuit loquela & ſenſu deſtitutus: quo toto tempore (prout poſtea ſibi reſtitutus expoſuit,) Dæmones infeſtos contuebatur, flammam in ipſum iaculantes per fiſtulam; nec leuatus eſt, niſi aduentu iuuenis ſemiuſtulati, qui affuſa è calice aureo capaciſſimo aqua, ignes reſtinxit. Creditum eſt eum Iuuenem ſemiuſtum, fuiſſe Sanctum Laurentium, in cuius honorem Henricus, templo Sancti Martyris à ſe refecto, aureum calicem obtulerat. Ex eo ergo diuino viſo, haurire potuit Henricus flagrantiſſimum ſtudium quo æſtuabat Simoniacæ beneficiorum nundinationis eliminandæ: quod vtinam ad filium Simoniaco vitio præter cætera infamiſſimum, transfuiſſet. Encomium ſanè illuſtre Henrico ſecundo, ob exciſos ſuo tempore neruos Simoniæ, pangit Petrus Damiani Opuſc. 6. c. 36. comparans cum Daniele, Ioſia, Dauide, Conſtantino. Sed illud in eius laudibus ponit, quod de eius laudum cumulo deceſſiſſe, optandum ei fuerat: nempè, quod in compenſationem dimiſſarum Eccleſiarum inferiorum in veteri libertate, conceſſum ei ſit ſeruitium & mancipatio Eccleſiæ Romanæ, ſtatuendo vt nemo poſſet abſque eius nutu eligi in Romanum Pontificem. Hæc Matris captiuatio pro filiarum libertate, non video quàm glorioſa Henrico eſſe potuerit. Imo fuiſſe probroſam, ex eiuſdem Petri Damiani Opuſc. 4. ſatis conſtat.

Robertus Rex Francorum, vt ſcribit Glaber l. 5. c. 1.) cùm ab Abbate equum optimum accepiſſet, vt foueretur in præfectura ſimoniacè parta, iuſſit eum renunciare beneficio, & inueſtituræ ſigna immittere manui Saluatoris, indéque ea accipere. Eo facto conteſtans, quàm haberet exoſam Simoniam.

22. Potuiſſet in hanc ſeriem laicorum, aduersùs Simoniacam beneficiorum captationem ſtrenuè laborantium, eique valdè infenſorum, referri Athalaricus Gotthus. Eius quippe de Simonia iſta eliminanda, edictum proſtat apud Caſſiodorum l. 9. epiſto. 15. verbis meliore Principe & Catholico, dignis. [Patres Conſcripti (inquit), Senatus conſulta nobilitatis ſuæ memores condiderunt, quicunque in Epiſcopatu obtinendo, ſiue per ſe, ſiue per aliam quamcunque perſonam, aliquid promiſiſſe declaratur, vt execrabilis contractus cunctis viribus euacuetur. Si quis autem in hoc ſcelere deprehenditur fuiſſe verſa-

tus, nullam relinquimus vocem. Verùm etiamsi aut repetendum, aut quod acceptum est non reddendum esse crediderit, sacrilegij rem protinus habeatur, accepta restituens compulsione Iudicis competentis. Iustissimæ siquidem leges, vt bonis aperiunt, ita claudunt malis moribus actionem. Præterea quicquid in illo senatus decretum est consulto, præcipimus in eos modis omnibus custodiri, qui se quoquomodo per interpositas quascunque personas, scelestis contractibus miscuerunt.] Audin' *scelestos contractus & execrabiles* quos *effatari*, id est, nullarum prorsus virium esse, decernit? Inferiùs de hoc crimine tanquam perniciosissimo deferendo, quibusuis honestis personis vult esse potestatem, & concludit in hæc verba. [Quiescat igitur malignantium praua cupiditas. Quò tendunt, qui à fonte præclusi sunt? Recolatur, & timeatur Simonis iusta damnatio, qui emendum credidit totius largitatis auctorem.] Epistola denique 16. sequenti, mandat & hoc edictum, & Senatusconsultum, cuius meminit; ad auertendam in perpetuum hanc Simoniam, incidi tabulis marmoreis, & ante atrium Beati Petri Apostoli, in testimonium pub'icum collocari.

Hæc ab Athalarico laudabiliter gesta, non inficior: sed homo & Gothus & Arrianus limum putæ aquæ admiscuit. Nam quam ab aliis arcebat Simoniam, admittebat ipse. Eodem quippe Decreto quod Epistola 15. libri citati continetur, certam nec exiguam pecuniæ summam, pendi sibi ab electo in Romanum Pontificem statuit; & certam item, sed tertia parte minorem, ab electis in Patriarchas, vt electio rata esset: contestatus tamen eam pecuniam non redigendam in fiscum, neque vlli aulicorum, sed pauperibus cessuram. Hæc verò est excusatio in peccatis. Nam vt S. Gregorius optimè tradit, scribens ad Siagrium, & collegas Gallicanos Episcopos l. 7. Epistola 110. ac retundens hanc vanam quorundam illius æui Simoniacorum excusationem. [Hostiæ impiorum, abominabiles; quæ offeruntur ex scelere. Quicquid enim in Dei sacrificio ex scelere offertur, omnipotentis Dei non placat iracundiam, sed irritat. Hinc rursus scriptum est, *Honora Dominum de tuis iustis laboribus.* Qui ergo malè tollit, vt quasi benè præbeat, constat sine dubio, quia Dominum non honorat. Hinc quoque per Salomonem dicitur: *Qui offert sacrificium de substantia pauperis, acsi victimet filium in conspectu patris.* Quantus autem dolor sit, perpendamus, si in patris conspectu filius victimetur. Et hinc facilè cognoscimus, quantum apud Deum dolor exasperatur, quando & sacrificium ex rapina tribuitur. Nimis ergo declinandum est (dilectissimi fratres) sub obtentu eleemosinæ, peccata Simoniacæ hæreseos perpetrare. Nam aliud est, propter peccata eleemosinas facere; aliud propter eleemosinas, peccata committere.] Nec aliter Hildebertus, hunc ipsum Simoniæ prætextum excludens, Epistola 47. Hæc (vt paulò ante vocauerat S. Gregorius,) venena mortifera, eleemosinæ celata obumbratione, hodiéque hausisse nonnullos, compertum habeo: quibus proinde hoc ex Sancto Gregorio alexipharmacum propinasse iuuerit.

CAPVT

CAPVT DECIMVM.

Sitne aliqua ratio adeundi Ecclesiasticum beneficium, numerata pecunia absque Simoniæ scelere.

1. LIQVIDO monstratum est, quàm maligna, quámque virulenta sit Simonia in beneficio. Quia tamen beneficiorum captatio ob commoda temporalia quæ inferunt, adeò cordi est plerisque mortalium; ab iis autem qui ea possident, ægrè quandiu superstites sunt, aliter dimittuntur, quàm interueniente indemnitate, atque adeò numeratione pecuniæ; cuius etiam summus vsus est in flectendis voluntatibus eorum ad quos spectat quoquomodo beneficia Ecclesiastica alicui curare aliter quàm per renunciationem: Idcirco excutienda restat difficultas practica, vsus quotidiani, & maximi in hoc negotio momenti; an sit aliqua ratio captandi beneficium, numerata pecunia absque Simoniæ labe. Nemo enim est, qui si possit ad beneficij adeptionem absque Simonia pertingere, nolit eam viam inire, potiùs quàm cum animæ ruina per Simoniam frui optata præda, seu beneficio.

Varij modi numerandi pecuniam pro beneficio. Primus quo se habent vt merx & pretium, aperte reprobus.

2. MVltipliciter autem potest pecunia numerari pro adeptione beneficij absque aperta Simonia; imo vel honestè, vel cum honesti specie. Primò ex pacto, iustitiæ obligationem inducente, præuia facultate superioris legitimi, siue titulus pacti de licentia Superioris, sit commutatio mercis & pretij, siue sustentatio Beneficiarij abdicantis se beneficio, vt ferè contingit cum constituitur pensio pendenda resignanti, siue sit alia aliqua honesta causa. Ad hunc primum modum numerandæ pro beneficio pecuniæ, reducendus est is quo nouus beneficiarius, in gratiam donantis beneficium, suscipit in se aliquod onus pretio æstimabile, exequendum ex iustitia. v. g. docendi, siue sacras siue profanas literas. Nam hoc onus suscipere ex obligatione, perinde est ac pecuniam cui æquiualet, numerare pro beneficij adeptione. Secundò numerari potest pecunia pro adeundo beneficio, nulla interposita pactione, iustitiæ obligationem inducente, saltem immediatè; sed ex mera gratitudine: cui tamen controuersia est, an superinduci possit pactum, quo obligatione gratitudinis satisfaciendum sit ex iustitia. Nullæ aliæ occurrunt viæ, quibus pecunia numerari, siue honestè, siue cum honesti specie possit, vt adeatur beneficium. Illa enim alia ratio numerandi pecuniam quæ statim occurrit, nempe ex priuata conuentione & pacto, siue tacito, absque assensu idonei superioris; non est amplius hic reuocanda ad examen, sed ex hactenus dictis

manet explosa. Est enim pura puta Simonia, de cuius detestatione hactenus egimus. Circa alias ergo rationes propositas numerandæ pecuniæ ad beneficij assecutionem, potest esse difficultas, quam discussum venio.

23. Agendo ergo in primis de pacto rigoroso, verâque conuentione, licet cum facultate Superioris; negandum in primis est, posse ea interueniente fieri commutationem pecuniæ numerandæ, & beneficij; tanquam pretij & mercis; quicunque tandem sit ille Superior; id est, siue Episcopus, siue etiam Papa. Hoc enim esset vendere beneficium, quod ne per Papam quidem fieri potest: siue agatur de titulo spirituali, siue de bonis temporalibus ei consequenter annexis, atque adeò in spiritualium ordinem translatis, nec ex eo statu extractis per potestatem ad id sufficientem. Est in hac re nonnullum dissidium inter Doctores Canonum & Theologos; Non quidem quoad beneficij titulum, sed quoad bona consequenter annexa. Titulum enim simpliciter dictum, omnes fatentur esse inuendibilem, cum sit spiritualis, vt habetur c. *dilecto* de præbend. Nihil quippè aliud est titulus ille simpliciter dictus, quàm ius perpetuum, (nimalis onus & obligatio), ministrandi in Ecclesia, & exercendi spirituale officium. Estque ille titulus, vel ad inseruiendum duntaxat in diuinis officiis; vnde exurgunt quæ dicuntur beneficia simplicia; vel ad aliquam rerum Ecclesiasticarum administrationem absque iurisdictione; quo spectant beneficia quæ debent administrationem solam habere; vel ad exercendam spiritualem Iurisdictionem in foro duntaxat interno; vti sunt beneficia parochialia siue curata; aut ad eam quoque exercendam in foro externo & contentioso; vnde exurgunt beneficia maiora, vt Episcoporum, Abbatum, Archidiaconorum, aliáque huiusmodi. Nunc itaque titulum esse spiritualem, nemo non videt; cum sit facultas aut obligatio moralis ad functionem spiritualem Quæ causa est, cur huiusmodi titulus, ex parte personæ cui conferendus est, præexigat semper gradum aliquem sacrum Clericalem, saltem primæ tonsuræ, vt habetur ex *cap. quantum sit graue* de decim. & cap. *Clerici* 1. q. 2. Cum igitur spiritualia nullo temporali pretio sint adæquabilia, certum apud omnes est, titulum prædictum nulla ratione vendi posse, quæcunque facultas humana interueniat; quia Pontifex quoque subiectus est iuri diuino naturali, quo interdicitur rerum spiritualium commutatione pro temporali pretio.

Ipse Pontifex, si eo modo vteretur, esset Simoniacus, iuxta Theologos & Iurisperitos.

4. ET hinc obiter inferri potest, resolutio dubij vulgati, an Simonia circa beneficia cadere possit in Pontificem; de quo rogatum Lugduni (vbi tunc hærebat Pontifex,) Guiardum Cameracensem Episcopum, refert Cantipratanus l. 2. Apum c. 3. num. 5. intrepidè ipsimet Pontifici respondisse, certum sibi esse, posse Pontificem circa beneficia labe Simoniæ, etiam vilissimæ, inquinari: Nimirum si titulum vendat, & rem spiritualem, (cuiusmodi est titulus) pretio addicat. Et ita Diuus Thomas 2. 2. q. 110. art. 1. ad 7. Campegius opusc *an Papa possit esse Simoniacus*. Suar. de Simo. cap. 52. num. 3. Victor. relect. de Simo. p. 1. à num. 38. Lessius l. 2. cap. 35. dub. 5. & alios adducens Couarr. reg. *peccatum* p. 2. cap. 8. num. 8. Quæ tamen Petrus Damiani aliquoties

aliquoties versibus pro eo tempore receptissimis, iterat de ordinaria Simonia Romanæ Sedis, aliò pertinent. Libro 4. Epistola 9. sic habet.

Heu sedes Apostolica,
Orbis olim gloria,
Nunc proh dolor! efficeris
Officina Simonis.
Terunt incudem mallei,
Nummi sunt Tartarei,
Iusto Dei iudicio,
Fit ista conditio;
Vt quisquis Apostolicam
Sedem semel comparat,
Redimere non desinat
Donec malè pereat.

Hæc non ad veros Pontifices legitimè electos spectare, sed ad Simoniacè intrusos ab Imperatoribus contra verum Pontificem, docet series Epistolæ: & apertè etiam patet ex l. 1. Epistola 20. vbi iidem versus contra Cadaloum Antipapam intorquentur, his item additis:

Pressus anathemate
Tenet cum sacerdotibus
Christi peremptoribus.
Fit sibi terra ferrea
Cæli sedes ænea.

5. Pseudopontificibus ergo, ordinaria fuit Simoniæ labes. In veros autem Pontifices potuit cadere Simonia: sed cecidisse, non probatur. Ex quo autem semel iniuere sedem Apostolicam nihil facilius est quàm euitare Simoniam disponendo de beneficiis. Quod vnum volunt, qui Pontificem, circa beneficia omni Simoniæ suspicione exemptum volunt, vt Iulius Clarus l. 1. §. *Simonia* num. 5. Tantum enim intendunt affirmare, vix ac ne vix quidem Pontificem in hoc vitium prout iure naturali ac diuino illicitum labi, cum alio iusto titulo quàm venditionis spiritualis tituli, atque adeò absque Simonia possit idipsum præstare, ob quod alij vendentes ius percipiendi fructus, atque adeò etiam (& quidem priùs) titulum spiritualem vendentes, euadunt Simoniaci. Nemo autem nisi in profundum venerit, adeò nequam est, vt cum possit saluis sibi omnibus commodis, benè aliquid & sine peccato præstare, velit sciens idipsum cum peccato admittere. Et ob eandem causam nemo censuerit vnquam contingere, Pontificem fieri Simoniacum circa beneficia, nolendo secum vti ea industria in legibus positiuis humanis quibus aliqua Simonia inducitur. Cæterùm si Papa nollet ex malitia secum ita agere in huiusmodi legibus quantum vi directiua vigetur; vel si titulum spiritualem beneficij venderet, sine dubio esset Simoniacus, nec de hoc secundo, lis vlla est inter Doctores. Imo erro-

neum fore id diffiteri, ait, ex S. Thoma Binsfeldius ad cap. 1. de Simonia quæst. 2.

Etiam temporalium bonorum beneficio annexorum, venditio Simoniaca, de vtrorum Doctorum sententia.

6. SEd neque dissidium quod aiebam esse inter Doctores Canonum & Theologos, spectant quomodocunque bona temporalia, ad quæ percipienda ius spirituale suppetere diximus ratione tituli siue officij. Vtrique enim consentiunt, sine facultate, hæc bona, prout titulo Ecclesiastico siue iure beneficij perceptibilia, vendi non posse, & contrarium fore peccatum Simoniæ iuris humani. Et meritò. Nam eo ipso quod hæc bona sunt annexa iuri spirituali, & propter illud debita, induunt spiritualitatem quandam. Sicut enim quæ religionis adhærent religiosa censentur, vt habetur l. *quæ religiosis* ff. de rei vend. ita quæ spirituali iuri annectuntur, perfunduntur spiritualitate sui principalis. Quare si hæc bona commutentur pro pretio temporali, nulla interueniente Superioris facultate, qua exprimantur è Syllabo rerum spiritualium & annexarum iuri spirituali, non est dubium quin sit committenda Simonia, vt ferunt innumera iura, præsertim quæ habentur. 1. q. 3. & variis capitibus titulorum iuris Canonici de Simonia. Et suffragatur ratio, petita ex connexione horum bonorum cum spirituali titulo; ob quam connexionem, neutrum duorum illorum potest absque alio vendi. Sicut nemo vellus absque oue intonsa, vel ouem eandem absque vellere potest comparare: quod est in hanc rem exemplum Armacani l. 10. de qq. Armen. cap. 15.

7. Repugnarunt olim in hoc puncto aliqui, contendentes fas esse absque labe simoniæ vendere ius in istiusmodi fructus vt beneficio annexos, & vt percipiendos titulo beneficij: atque adeò etiam beneficium ratione eorum. Pro quo errore Petrus Dam. l. 1. episto. 13. refert duos Capellanos Gothfredi Tusciæ Ducis, Tudetchinum, & Ioannem, in quos ita conclamat. O nouum schismaticorum genus, & os sacrilegum æterni silentij censura damnandum? In vna siquidem hominis persona, duos esse constituunt: vt vnus sit sacerdos sub peccato venundandus, alter autem diues, sub taxatione pecuniæ comparatus. Iste velut alter Sardanapalus inter delicias eructet conuiuantium; ille tanquam Apostolus in regimine præsideat animarum. Hoc ergo modo, qui comparat agrum, puluerem terræ tantùm, non segetum dicendus est comparasse prouentum. Plagiarius etiam, qui distrahit hominem, non animam iudicandus est vendidisse, sed carnem. Immò cùm legamus, quia corpus hominis, quadragegesimo sexto die post maternæ conceptionis initium, plena formetur distinctione membrorum, atque mox diuinitus animetur, quoniam non anima sed caro duntaxat, ex paterno semine prodiit; ergò pater carnem tantummodò dicendus est genuisse, non prolem, quæ ex anima constat & corpore. Quod cum penitus absurdum sit, & meritò pater ille dicatur, ex cuius femore sola caro sit egressa, non anima: sic ille proculdubiò dicendus est mercator Ecclesiæ, qui per terrena quæ redemit, ad honoris culmen ascendit; & per corporalis commercium lucri emptor efficitur nihilominus Sacramenti.] Et inferiùs. [A te, qui

qui non Ecclesiam, sed Ecclesiæ prædia te comparasse gloriaris, inquiro. Sanè cùm baculum ille tuis manibus tradidit, dixitnè; *Accipe terras, atque diuitias illius Ecclesiæ*; an potiùs quod certum est, *accipe Ecclesiam*? Quod si bona Ecclesiæ sine Ecclesia suscepisti, schismaticus es, atque sacrilegus; qui bona Ecclesiæ ab Ecclesia diuidis; & quod alienum est, violenter in tui vsus iura conuertis. Quod si Ecclesiam suscepisti, quod omnino negare non potes, procul dubiò factus es Simoniacus: & priùs te vænalitas fecit hæreticum, quàm manus impositio redderet consecratum. Tunc enim consecrationem euidentissimè coëmisti, cùm id propter quod ad consecrationem promouendus eras, vænaliter accepisti. Sic enim vnum pendet ex altero, vt qui terrena Ecclesiæ bona suscipit, ad gratiam consecrationis aspiret: & qui consecratione perficitur, bona Ecclesiæ in vsus egentium & cætera pietatis opera dispensanda conseruet. Hoc itaque modo, licet Ecclesiasticæ facultatis mentio in ipsa manus impositione non fiat; is tamen qui consecratur, bonorum Ecclesiæ dispensator efficitur; & cum Ecclesiam suscipit, quamuis nihil tunc de consecratione dicatur, ad hoc tamen vt cõsecretur, eligitur.] Hæc & alia ibi Damiani, aduersùs hoc (vt vocat) *prædicatores Satanæ, & Apostolos Antichristi.*

8. In eandem sententiam validè paulo post Petrum Damiani, disputauit Paschalis Papa epistola de Simoniaca hæresi ad Ecclesiam Mediolanensem, cuius epistolæ longum fragmentum intexuit Luitprandus suæ Romanorum Pontificium historiæ, *in Paschali* verbis nonnihil discrepantibus ab allegatione fragmenti eiusdem epistolæ apud Gratianum cap. *si quis obiecerit*. 1. q. 3. vbi postrema quoque periodus additur; quæ apud Luitprandum desideratur. [Si quis obiecerit, non consecrationes emi, sed res quæ ex consecratione proueniunt, penitus desipere probatur. Nam cum corporalis Ecclesia, aut Episcopatus aut Abbatia, aut tale aliquid, sine rebus corporalibus in nullo proficiat: sicut nec anima sine corpore corporaliter viuit, quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum prouenit, neutrum inuenditum derelinquit. Nullus igitur emat præbendam, vel Ecclesiam, vel aliquid Ecclesiasticum. Nec pastellum, nec pastum, antea nec postea, pro huiusmodi soluat.]

9. Allegat & confirmat hanc Paschalis prædecessoris sui doctrinam Vrbanus II. cap. *Saluator* 1. quæst. 3. latè & ipse confirmans contra vrgentem tunc errorem, (qui Armenorum quoque fuit, vt habetur ex Armacano toto ferè libro 10. nominatim cap. 12. *initio*: & Græcorum teste Guidone Carmelita tract. de hæresibus Græcorum cap. 12.) falsò asseri, beneficium posse absque alia facultate pecunia comparari intuitu tantùm commodorum temporalium ei annexorum, siue fructuum beneficij; sicut calix ratione materiæ, impune & sine culpa venditur, quamuis iam sit consecratus. Sed est apertum discrimen. Nam materia calicis, est annexa rei spirituali antecedenter, cum sit subiectum cui postea aduenit consecratio. Vnde dummodò non pluris vendatur ratione consecrationis, potest absque Simonia distrahi pro pretio, quia venditur quatenus purè temporale, & non perfusum spiritualitate. At fructus temporales beneficij, annectuntur iuri spirituali consequenter, habéntque se vt proprietas spiritualis, vel vt aliquid inuolutum in proprietate spirituali, manante ex iure & titulo spirituali: ac proinde sine simonia vendi non possunt, nisi auto-

ritate eius qui ea ſpiritualibus iuribus annexuit, inde eximantur, & purè temporalia fiant: quo ipſo interueniet facultas, ſine qua dicebamus ratum eſſe apud omnes, hæc bona vendi non poſſe abſque Simonia. De hac diſtinctione annexorum ſpiritualibus, videndus Suares cap. 23. præſertim num. 8. Argumentatur quoque contra hoc ſubterfugium erroris propoſiti, Ecbertus Serm. X. in fine contra Catharos, & præter argumentum quod petit ex allegata autoritate Paſchalis Papæ, addit hanc ſimilitudinem concinnam. [Si tutor pupilli, fraudulenter vendat molentem quæ ſit hæreditas illius, viro conſcio fraudis ſuæ; iniquus eſt emptor, ſicut & venditor. Et quamuis nullam in conuentione ſua fecerit mentionem de aqua aluei pertinentis ad molentem; eadem nihilominus emptione, poſſideri illam dicitur: & tamen ſolus Deus, vt potè gubernator naturæ, hanc adminiſtrat nolenti, tum vt ſatisfaciat neceſſitati vtentium ea, tum etiam vt iniquum poſſeſſorem eius, tanto ampliùs culpabilem habeat, quanto largiùs fruitur beneficiis eius ad quæ acceſſit iniquè.]

Lis inter vtroſque DD. circa licitam pecuniæ numerationem pro ſolo iure ad fructus dirempta annuendo Theologis, negantibus.

10. IGitur diſſidium quod aiebam inter Iuriſperitos & Theologos feruere, quoad bona iuri ſpirituali annexa, conſiſtit in eo quod Iuriſperiti contendunt, beneficium Eccleſiaſticum intuitu temporalitatis, vendi poſſe abſque Simonia, dummodò adſit facultas à Pontifice, nec beneficium vendatur ratione tituli ſpiritualis primarij, de quo ſupra; ſed tantùm vendatur intuitu temporalitatis coniunctæ: iuris inquam percipiendi fructus temporales: quod ius coniunctum quidem ſit cum iure ſpirituali, ſiue cum onere & obligatione ad miniſterium ſpirituale; non vendatur tamen niſi ratione ſui: hoc eſt, ita vendatur, vt non vendatur ſimul ius ad miniſterium, nec ratione eius vendatur alterum ius primarium in beneficio contentum, quod liquet eſſe ſpirituale. Saluis his limitationibus, agnoſcunt Iuriſperiti beneficium de licentia Pontificis poſſe vendi, atque adeò venditionem eius vt ſic, ſine licentia factam, negant eſſe Simoniacam contra ius diuinum; tantúmque concedunt eſſe Simoniacam contra ius humanum. Ita Felinus referens alios c. *ex parte* 1. de offic. deleg. Nauarr. in ſumma cap. 23. num. 108. Iulius Clarius l. 5. §. *Simonia* n. 5. Garcias de benef. parte 1. cap. 2. num. 9. Leſſius l. de Iuſt. cap. 35. num. 26. Rationem petunt ex eo quod tametſi beneficium integretur ex iure ſeu potiùs onere miniſtrandi, ac iure percipiendi commoda, conſequente ius miniſtrandi; veriſſimumque ſit duo illa iura non poſſe reipſa ſeparari, aut tradi vel accipi vnum abſque alio; tamen optimè poſſunt ſeorſim æſtimari; ſicut ius patronatus adhærens fundo, non poteſt à fundo auelli; & tamen fundus abſque eo, licet coniuncto, æſtimatur & venditur. Item calix conſecratus venditur abſque Simonia; ratione materiæ, cuius pretium eſt taxabile ſeorſim à conſecratione. Denique matrimonij contractus prout ſpectat officium naturæ, vendi poteſt, & reuera paſſim venditur, vt S. Thomas 2. 2. q. 100. art. 2. tradit & confirmat Suar. cap. 10. num. 11. & cap. 11. num. 5. & 6. & c. 17. num. 6. quamuis ille contractus adhæreat Sacramento, eique ſuſternatur. Itaque dummodò intentos contra

contrahentium sit legitima, facile erit taxare valorem iuris secundarij quod est ad temporalia, dimisso iure spirituali per quod fundatur; deque solo iure secundario vendendo pasciſci, obtenta tamen priùs facultate quæ nunc iure humano exigitur, ne admittatur Simonia iuris humani.

11. Subscribendum tamen est contrariæ sententiæ, quæ est communis Theologorum. Ita Dur. in 4. d.25.q.5. Palud.q. 4. à num. 24. Victor. relect. de Simonia num. 44. Adrianus quodl. 9. *ad 5. principale.* Caiet. t. 2. Opusc. in 9. q 1. Suar.l.de Simo.c. 24. n. 32. Valent.2.2.d.6. q.16. p. 2.quæstiunc.7. Vasq. tract. de benef.c.2.num. 183. Layman l.4.tract.10.c. 8.num.44. Ex Iurisperitis Couar. reg. *peccatum* pag. 2. §. 8. num. 8. Abbas ad cap. *extirpandæ* §. *qui verò* num. 53. de præbend. & sibi non constans Felinus in c.1. de Simon. adducens alios. Videtúrque aperta mens Pontificum superiùs adductorum, cum probauimus fructus beneficij prout titulo spirituali percipiendos, non posse vendi sine facultate. Dicta quippè Pontificum, & ea in quibus fundantur, concludunt ne posita quidem facultate, ius posse vendi. Ratio cur hoc ius sit inuendibile, etiam per Papam, vel de eius consensu, est quia ius percipiendi fructus est spirituale, ac proinde est incommutabile pro pretio temporali. Ipsi quidem fructus, qui propter officium constituuntur beneficiario, secundum se spectati, sunt temporales: Ius tamen eos temporales fructus percipiendi, (quo propriè dicitur *præbenda* iuxta Innocentium c. *maioribus* de præbend. & aliquando etiam vocatur *beneficium* strictè sumpta *beneficij* voce, vt c. vltimo de rescrip. cum dicitur, beneficium dari propter officium:) spirituale est, quia est germen iuris spiritualis anterioris; nempe iuris primarij in beneficio inclusi, siue obligationis ad functionem spiritualem. Ex eo enim quod quis tali iure ministrandi spiritualia potiatur, & eorum præstandorum obligatione grauetur, consequens est, vt ei debeantur fructus temporales: quod debitum, est ius illud ad fructus, dimanans ex iure ad ministerium spirituale. Quanquam quia ibi non est ius ad fructus nisi mediante ministerio spirituali, ac propter illud, negat Caietanus loco citato, fatendum esse reperiri in beneficio plura iura, sed vnum duntaxat; quod spectat ad litem de nomine.

12. Hinc porrò euertuntur omnia Iurisperitorum argumenta pro contraria sententia. Assumunt enim, ius percipiendi fructus esse separabile à iure siue onere ministrandi; & quatenus tale, posse æstimari & pretio vendi, quod liquidò monstratum est falsò asseri. Nam quamuis secundùm conceptum, ius ministrandi possit secerni à iure percipiendi: tamen ita nexa sunt illa duo iura, quorum vnum est propter aliud, vt secundùm moralem æstimationem & taxationem, non sint habenda vt duo, sed vt vnum tantùm: in quo sensu Caietanus loquebatur; nec vnum dicendum sit spirituale, alterum temporale, sed vtrumque sit spirituale, tametsi non æquè primò, sed vnum per aliud, quatenus metaphysicè secerni possunt in vnum & aliud. Nec exempla iuris patronatus, & calicis, ac contractus matrimonij, vel certè corporum ad matrimonium interuenientium, quæ proponebantur, sunt ad rem. Nam fundus cui implantatus ius patronatus, vendi potest & calicis materia consecrationi substrata, & contractus sacramento præuius, vel corpora Sacramento illi substrata, vendi possunt; quia sunt annexa spiritualibus antecedenter; vnde in illarum materiarum prout

talium venditione, non venditur ius spirituale, neque functio illa spiritualis ad quam habeatur respectus in ea venditione materiæ aut fundi. At fructus beneficij, sunt annexi titulo spirituali consequenter; vnde non possunt vendi, nisi titulus spiritualis, & ius seu obligatio ad ministerium, æstimetur pretio temporali. Nam redditus beneficij non possunt vendi absque iure eos percipiendi. Ius autem tales redditus percipiendi, nititur iure ministrandi, tanquam medio & causa sua; Est enim ius percipiendi fructus mediante spirituali ministerio; ac proinde impossibile est vendere ius percipiendi fructus, absque venditione (saltem indirecta) ministerij, propter quod suppetit ius percipiendi; atque etiam absque venditione iuris ministrandi, quod cum eo ministerio est consertum; & indirectè saltem venditur, vendito spirituali ministerio, quod cum iure ministrandi complicatur. Hæc distinctio temporalium vendibilium absque simonia, habetur ex S. Bonauentura in 4. d. 25. dub. 5. *circa literam*, subscribítque Suarez l. de Simonia cap. 14. num. 22. & Layman. l. 4. tract. 10. car. 8. num. 44.

Prior generalis modus honestandi numerationem pecuniæ pro beneficio; siue auulsione temporalium à titulo.

13. HÆc tamen non obstant, quominus Papa concedere possit facultatem, ad præstandum idipsum quod præstaretur venditione iuris percipiendi fructus, si esset licita. Quod vnum videntur intendisse Doctores Canonum, cum asseruerunt Pontificem posse vendere beneficium, vel eius vendendi facultatem concedere, respectu habito ad solam temporalitatem. Quod aliter exprimens Lessius cap. 35. de Iust. num. 19. ait, idipsum posse Pontificem absque venditione beneficij, ac si beneficium venderet quia potest exigere pecuniam ab eo cui beneficium confert, vt relinquat ius percipiendi fructus annexum iuri ministrandi; vel vt ius illud percipiendi iam separatum, annectat iuri ministrandi. Sed hoc non videtur dici posse, quia exigere pecuniam vt ius spirituale non separetur, videtur esse Simoniacum. Nam hoc est vendere perseuerantiam; & esse continuatum iuris spiritualis; quod esse continuatum, non potest non esse spirituale. Igitur eius venditio pro pretio, est Simoniaca. Et eadem ratio formari potest de altero membro proposito; nempe quod possit Pontifex accipere & exigere pecuniam, vt fructuum ius auulsum, annectat iuri spiritualis ministerij. Ea enim annexio, habet terminum spiritualem: atque adeò est spiritualis. Igitur non potest vendi. Quare alia ratio vestiganda est, qua dicamus posse Pontificem absque beneficij venditione accipere pecuniam, perinde ac si beneficium venderet.

14. Potest ergo primò Pontifex, tanquam supremus moderator Ecclesiæ & bonorum ac iurium eius, concedere vt fructus beneficij transeant ad aliquem pro pecunia, separando fructus illos à titulo spirituali; vel per extinctionem tituli, vel per fructuum illorum extractionem à spiritualitate, quam inducebant ob coniunctionem cum titulo: si nimirum cum eo tametsi superstite non connectantur vlteriùs, vt fit cum pensio ex bonis spiritualibus & redditibus beneficiorum, laico ex iusta causa conceditur: Tunc enim ea bona mutant natu-

ram,

ram, nec sunt vlteriùs spiritualia. Si igitur Pontifex, vel titulum extinguat, (vt sanè potest, cum subest causa,) vel portionem fructuum beneficij quæ vendenda est, auellat à titulo spirituali, & reddat purè temporalem; nemo non videt venditionem quæ foret Simoniaca, si bona manerent alligata titulo, vacaturam labe Simoniæ; Et tamen ea venditio, planè æquè commodabit, ac si beneficium Simoniacè venderetur: quia totum commodum venditionis beneficij, prouenit ex venditione fructuum; quæ in hoc euentu æquè conceditur sine Simonia, ac si titulus venderetur; & Simonia admitteretur. Hic ergo modus exigendi pecuniam, dando beneficium, concedente Pontifice; nititur formali & pura separatione fructuum, (saltem quoad aliquam eorum partem,) à titulo spirituali: siue ea separatio fiat destructo titulo, siue auulsis fructibus à titulo non destructo. Vocaui *puram separationem*, quia tunc nihil aliud præstatur à Papa; quàm separatio fructuum à titulo.

Siue concessa redemptione pensionis; etiam cum datur beneficium.

15. VT autem veniam ad secundum modum, quo pecunia, annuente Papa numerari potest pro beneficio absque eius venditione; præmittendum est, prædictam separationem fructuum à titulo beneficij, absque beneficij venditione, fieri aliter posse adhibitis aliquibus. v. g. imposita pensione spirituali nixa alteri spirituali titulo, quàm beneficij à quo deciditur. Ea enim auulsio à priori titulo, & noui titulo creatio, non superat prouidentiam gubernatiuam Pontificis. Et ita sæpè facit, cum beneficium concedendo, imponit onus pendendi quotannis certam partem fructuum beneficij. Tunc enim Pontifex, vel fructus illos auellit à titulo beneficij, assignátque eos alteri tanquam aliquid purè temporale: vel eos concedit sub alio titulo spirituali, absque venditione tituli beneficij, quod confert exigendo illos fructus aut valorem illorum. Cum enim fructus illi nondum sint noui beneficiarij, v. g. resignatarij, qui nondum habebat beneficium; neque exigantur ex facultatibus illius, sed ex bonis Ecclesiæ vacantis; manifestum est, eos eorúmve valorem pecuniarium, non esse pretium beneficij quod conceditur sub onere annuo pendendi tales fructus; quorum administrandorum onus iniicitur nouo beneficiario, quia non auelluntur in perpetuum à beneficio, sed duntaxat ad vitam pensionarij.

16. Hæc autem oneris iniectio, siue vt passim loquimur *pensionis constitutio* regulariter loquendo, solius Pontificis est propria: quia licet Episcopi ex natura rei hæc attendendo, possent eo modo qui nunc propositus est, auellere partem fructuum à titulo, & eos alteri absque spirituali titulo, vel alio quàm beneficij titulo concedere: tamen iure communi, hæc facultas auellendi fructus à titulo beneficij cui annectuntur, reseruata est Pontifici; ob ingentia incommoda quæ consequerentur, si ea reseruatio non esset apposita. Et ita statuitur cap. *prohibemus* de Cens. & toto titulo *vt beneficia sine diminutione conferantur*, & cap. *maioribus*, & cap. *vacante*, & cap. *nisi*, de præbend. Tantum sunt aliqui rari euentus, in quibus iure communi conceditur Episcopis, constituere pensionem, vt cum fiunt transactiones circa litem, iuxta cap. *nisi*, de prebed

ex quo id confirmant Maior in 4. d. 25. ad 4. Gigas q. 6. de pensio. n. 3. & 4. Suar. c. 51. n. 17. qui rectè addit n. 18. contra Azorium t. 2. lib. 8. cap. 6. posse pensionem, absque alia Papæ autoritate, in euentu proposito imponi super ipsummet beneficium: ita vt duret ad vitam pensionarij, nec extinguatur morte eius qui beneficium sub eius onere consequitur, & de ea pendenda grauatur. Ita enim habetur ex cap. *de cætero* de transact. & ex cap. 3. de collus. deteg. Consonátque vsus receptus, qui est optimus legum interpres. Item verisimile est, posse Episcopum pensionem reseruare renuncianti beneficium; iam seni, & multis in Ecclesiæ vtilitatem perfuncto laboribus. Extra hos euentus; prohibetur Episcopus reseruare pensionem, & beneficium cum diminutione conferre, quod summus Pontifex præstare potest ex quacunque iusta causa.

17. Hinc eruo, qua ratione Pontifex concedere secundò possit, vt numeretur pecunia pro beneficio absque beneficij venditione. Quo enim iure Pontifex concedit pensionem à redditibus beneficij extrahendam, eodem concedere potest, vt ea pensio numerata pecunia redimatur post aditum beneficium. Nec desunt qui admittant, ex tacita Pontificis voluntate vsu confirmata, omnibus fieri potestatem redimendi suopte nutu absque alia licentia Papæ, pensionem semel impositam, vt supra cap. 2. retulimus: quamuis nemo ante eam constitutam à Papa, possit absque Simonia, pacisci de facienda redemptione, cum pensio fuerit constituta, vt ibidem diximus. Saltem verò obtenta expressa licentia, esse licitum redimere pensionem iam constitutam, nemo dubitat. Tunc autem reuenitur ad primum modum, quo dicebamus Pontificem posse extrahere temporale à spirituali. Pontifex enim pensionem extractam à primo titulo qui erat titulus beneficij, & implantatam nouo titulo alterius spiritualis ministerij; exuit omni titulo spirituali, facitque rem merè secularem; sicque per redemptionem pensio clericalis non venditur, prout est ius spirituale, (ad quem gradum eam prouexit Pius V.) sed venditur duntaxat temporalitas fructuum, seiuncta ad tempus à titulo, autoritate Pontificis. Onus enim quo beneficium grauatur cum pensio super eo imponitur, non est per se annexum spirituali titulo; imo illius oneris impositio, est auulsio partis annectendæ beneficij titulo, ab ipso titulo. Itaque non debet mirum videri, quod fas sit eam pro pecunia commutare, seu vendere, de licentia Papæ separationem illam facientis, & pensionem reddentis purè temporalem, cum annuit vt post aditum beneficium redimatur.

18. Neque verò duntaxat potest Pontifex annuere, vt pensio sic redimatur numerata pecunia post aditum beneficium, sed etiam inter conferendum beneficium potest eam pensionem & eius redemptionem taxare, & vt iam nunc valor illius numeretur, concedere. Si enim de licentia Papæ potest dari pensio; & postea redimi interuentu pecuniæ ad modum prædictum, quidni ex eiusdem licentia, fas sit simul & semel pensionem constituere, & vt redimatur concedere, per virtualem tantùm antecessionem constitutionis ad redemptionẽ. Eodem enim recidit, quod redemptio illa simul fiat, vel seorsim, & per actum formaliter distinctum à constitutione, vel per distinctum duntaxat virtualiter. Et ita recte admittit Adrianus quod l. 9. *ad 9. principale*, Soto l. 9. de Iust. q. 7. artic. 2 *sub finem corporis*, Suar. de Simo. cap. 24. & 25. & passim cœteri.

Imò

Imo Maior in 4. d.25.q.2.ad 2. idipſum tunc concedit Epiſcopis. Quod non placet, quia perſpicuum eſt, in hunc poſtremum modum concedendi numerationem pecuniæ pro beneficio, concurrere omnia anteriùs propoſita: quamuis concurrant abſque formali ſeiunctione, ſed cum ſola ſeparatione virtuali, & per vnam conceſſionem pluribus actibus æquiualentem. Nam & extrahitur portio fructuum ex beneficio, exuitúrque ſpiritualitate, vt primo loco dixi; & imponitur penſio, vt poſtea addidi, & redimitur, vt dixi tertio loco. Atqui ſeparatio fructuum à ſpiritualitate, eſt ſolius ſummi Pontificis propria. Ergo & hic modus concedendi numerationem pecuniæ, qui eam ſeparationem neceſſariò continet.

Pecuniam, quam Pontifex alij è beneficio poteſt decerpere, poteſt & ſibi: v.g. per annatas.

19. QVód ſi Pontifex, vno aliquo ex modis prædictis, ob iuſtam cauſam, puta ob aſſignandam conuenientem ſuſtentationem; ſtatuere poteſt vt abſque Simonia numeretur alicui tertio pecunia ab accipiente beneficium; æquè poterit idem pro ſeipſo ſtatuere. Poteſt inquam inter concedendum beneficium, decerpere ſibi partem fructuum eámque ſpiritualitate exutam velle pecunia commutare, quæ tunc pendatur abſque alia comperendinatione. Et poſſet etiam ſibi penſionem conſtituere, pendendam quotannis aut certo tempore, eiuſque redimendæ poteſtatem poſteà facere; vel ſimul eam penſionem conſtituere, & redemptam velle, & pecuniam pro ea tunc taxata exigere dum confert beneficium.

Ex quibus erui poteſt expeditiſſima ratio, monſtrandi quomodo Pontifex exigens annatas dum beneficia confert, liber tamen ſit à ſimonia, nec vendat beneficium pro quo conferendo eam pecuniam vult numerari. Aliqui ſanè minus erga Pontifices animati quàm deceret ſyncere Catholicos, morem quo Pontifex annatas, id eſt, primos beneficij annuos fructus ſibi depoſcit, allatrarunt tanquam Simoniacum, nec aliud eſſe quàm beneficij venditionem contenderunt. Ita Gerſo 2.p.tract.de Simonia, concluſ.vnica. Et in calce ſuppoſitionis ſeptimæ: qui admittit quidem deberi Pontifici ſuſtentationem condignam, & ſtatui ſuo condecentem, eámque ſuſtentationem, (niſi ſupponatur aliunde prouiſum Papæ fatetur poſſe decerpi ex beneficiis inferioribus; quandoquidem Papa eſt ſupremus beneficiarius & vniuerſalis, quippè qui inſeruit toti Eccleſiæ. Negat tamen Gerſo, modum decerpendi ex beneficio qui ſeruatur in exactione annatarum, eſſe admittendum: quippè quem putat Simoniacum, eo quod ab homine qui nondum iniuit beneficium; exigitur pecunia, vt poſſit inire beneficium: quod cenſet eſſe indiſpenſabiliter Simoniacum, contra ius diuinum prohibens venditionem ſpiritualis pro temporali.

20. Verùm hanc Gerſonis rationem manifeſtè euertimus, monſtrando hanc non eſſe venditionem vllius iuris ſpiritualis, ſed tantùm fructuum temporalium diſtractorum à quouis iure ſpirituali, qui ſub ea ratione meritò taxantur, & commutantur pro pretio, quod cedat in ſuſtentationem Pontificis, & decentis ſtatus tantæ dignitatis, cuius vtilitas & ſplendor redundat in vniuerſam Ec-

clesiam. sanè olim Episcopos fructus primos beneficiorum sibi plerisque locis reseruasse, autor est ipse Gerso ibidem obiectione 3. qui fatetur idem fecisse plerasque Ecclesias Cathedrales, nec non aliquas religiones, cum beneficia de quibus disponere poterant, tradebant suis. Multo autem iustiùs idem potest præstare summus Pontifex, pro quo titulus suppetit longè liquidior. Possumus quoque iustitiam annatarum confirmare ex iure admodum affini quod *Cathedraticum* appellabant. Hìc tamen secernendum est Cathedraticum quoddam Simoniacum, ab isto quod agnosco labis purum Igitur *Cathedraticum* intelligo non illud de quo in Nouella quadam Iustiniani Constitutione (est num. 123, apud Iulianum antecessorem 115.) Nam quod ibi Iulianus *Cathedraticum*, vulgata verò Iustiniani Latina versio, *Inthronisticum* nominat, erat Simoniacum stipendium pro consecratione in Episcopum: quale Iustinus à Sancto Anastasio Sinaita exigit, referente Euagrio l. 5. c. 5. & respondet *Pescesio* quod Turca ob delatum alicui Patriarchatum Constantinopolitanum, initio cōcrediti muneris exigit: cui postea successit annuum *Charatzium* eodem nomine exactum, vt videre est in Crusij Turcogræcia acerrimè à Sancto Ambrosio est reprehensum l. de dignit. Sacerdot. c. 5. Cathedraticum ergo quod aiebam annatis respondere, illud est de quo in Nouella Isaaci Comneni: qua statuitur quid quisque vicus per annos singulos debeat Episcopo nomine *honoris Cathedræ*, vel Episcopatus. Idem habetur ex can. 41. Nicæno inter expressos ex Arabico, & apud Photium in Nomocano. tit. 1. cap. 34. quibus locis mentio est de pensitatione facienda à beneficiariis, Patriarchæ. Legesis circa Annatas Campegium Opusc. de Annatis, & Gallesium ac Ferdinandum Cordubam de iisdem, Azorium t. 2. l. 7. c. 12. Gigantem q. 26. de pension. Echium in enchir. locor. com. tit. de annatis. Nauar. c. 23. n. 108. Petrum Gregorium l. 33. Syntag. cap. 13. Paulum Layman. l. 4. tract. 10. cap. 8. n. 46. Filesacum de Episcoporum autoritate cap. 16. §. 3. Nicolaum le Maistre parte 2. de bonis Eccles. l. 2. c. 2. Itaque iustitia annatarum est ex dictis manifesta.

21. Nec de ea iustitia dubitatum est in Concilio Basiliensi sess. 21. cum annatas, etiam Pontificias planè abrogauit. Illud quippè Concilium, tantùm ad remouendam mali speciem ita edixit. Quæ verò in quibusdam decreti illius Basileensis editionibus auctioribus aduersùs annatas conscripta habentur, non esse Concilij verba, sed assumenta Regiorum ministrorum sub Carolo VII. notauit Genebrardus l. de sacrarum electionum iure cap. 7. *sub finem*, obseruans quæcunque in ea sess. 21. titulo de Annatis à §. *voluit tamen hæc congregatio*, consequuntur; fuisse supposita, inter quæ est §. *item quod dicta quinta pars*; vbi & Regalia à quibus Concilium Basileense semper abhorruit, memorantur, & beneficia collata iure Regalium, à pendendis annatis eximuntur, iure non Concilij Basileensis pragmaticæ, sed Regij sub Carolo Concilij; à quo æquè assutis nonnullis, contaminatam esse Sancti Ludouici pragmaticam sanctionem, cum Sanctissimi Regis iniuria, infartis aduersùs sedis Apostolicæ iura & Ecclesiasticam libertatem plagulis, queritur ibidem Genebrardus. Quare annatarum iustitia non premitur Concilij Basileensis autoritate, vt Campegius in Concilium Basileense idcircò conclamans, existimauit Opusc. de institutione Annatarum. Quanquam cum non sit Concilium approbatum, non multum vrgerentur

tur eius autoritate, etiamsi verè eas reiecisset. Multo minùs solliciti esse debemus pro quibusdam petulcis eiusdem Pontificij iuris allatratoribus, habentibus velamen malitiæ libertatem; cuiusmodi præter apertos hæreticos est Franc. Duarenus l. 6. de sacris minister. & multi apud Michaelem Roussel in hist. Iurisd. Pontif. lib. 5. cap. 4. Sed neque Claudus Espencæus in illa Romanarum abusionum (vt ipse quidem censuit, veriùs temeritatum ipsius Espencæi) Camarina quam exhibuit in c. 1. epistolæ ad Titum digress. 2. annatas vellicare prætermisit. Verùm error eorum ex antedictis est perspicuus.

Iniectionem oneris pecunia æstimabilis pro beneficio, Qui Simoniæ notarint.

22. MOnstratum hactenus sufficienter est, qua ratione interueniente pacto obligationem iustitiæ inducente, ex consensu Superioris idonei, possit numerari pecunia pro adeptione beneficij, absque beneficij venditione. Nunc quia *pecuniæ* nomine quidquid est pecunia æstimabile; potestque habere rationem pretij quod pro alio tanquam æquiualente commutetur, attingendum superest, an & quomodò operum aliquorum temporalium exhibitio, & onus ad ea præstanda; possit absque beneficij venditione sponderi, aut suscipi pro beneficij traditione. Id enim superiùs attigi pertinere ad primum modum numerandi pecuniam pro beneficio, in quo primo modo adhuc versamur. Dignúmque visum est seorsim id discutere, quia non apparet, quomodò fructus beneficij cum in perpetuum addicuntur compensandis talibus temporalibus vel humanis operibus pretio dignis, extrahuntur à natura spiritualium; quandoquidem semper manebunt annexi beneficio, cuius vnio facta corpori vel collegio sacro v. g. onere docendi gratuito, est perpetua, vt sæpè contingit. Frustra autem dicentur habere rationem stipendij, & non pretij. Nam stipendium æquè datur pro munere, ac pretium; & æquè debetur ex iustitia. Quid quod commutatio beneficij pro pensione temporali, est inexpurgabiliter Simoniaca, vt concedit Suar. l. de Simo. cap. 33. num. 4. Quomodò ergo commutatio beneficij pro obligatione pretio æstimabili planeque temporali, non erit Simoniaca?

23. Hanc difficultatem eo libentiùs excutio, quod non ita ante multos annos, Prouinciæ nostræ Aquitanicæ præfectus, vir bonorum memoria dignus Gemma Oratorum Christianorum, & Galliæ Chrysostomus R. P. Petrus Cottonus, insimulatus est Simoniacæ fuliginis hac ex causa; cum ad fundationem Engolismensis Collegij pactus esset de certa summa pecuniaria, tamdiu per eam ciuitatem quotannis pendenda, quamdiu Collegio Ecclesiasticum beneficium cuius annuus census ad eam summam pertingeret, non curauisset: extinguenda verò eius pecuniæ quotannis persoluendæ obligatione, cum primùm ciues curassent vniri Collegio beneficium quale dixi. Cum inquam prædictus sapientissimus Pater ad eum modum pepigisset; non defuerunt qui eam totam pactionem Simoniæ inexpurgabilis insimularent. Hoc graues Theologi quatuor supra viginti, quorum censura typis edita est, adscriptis singulatim eorum nominibus, testificatione sua muniuerunt. Poppa Geneuensis qui ante paucos annos ex omnibus à constituta Societate IESV concinnatis in eam stro-

phis & iniquis iudiciis, *Mercurium Iesuiticum* (id libro nomen,) consarcinauit, & Geneuæ edidit anno 1626. eam censuram non prætermisit, sed ad longum qualis ab iisdem Catholicis edita erat, repræsentauit *pag.* 153. *& seqq.* Ne igitur tam grauis, tamque iactatæ censuræ fulmen frustra intortum videretur, non fuit prætermittenda huius puncti discussio.

Contrarium placet, exclusa ratione pretij, & posito assensu Superioris.

24. Aio itaque, dare & accipere beneficium cum onere exhibendi tale opus temporale, v. g. docendi Grammaticam, aut etiam Theologiam, quod sit veluti pretium beneficij, saltem promissum, Simoniam esse contra ius diuinum, nulla Pontificis concessione expurgabilem: æquè ac Simonia iuris diuini est, dare aut accipere beneficium in compensationem laboris anterioris in docendo insumpti; & loco stipendij ac pretij ex iustitia debiti ob ministerium exhibitum. Id enim esse Simoniacum, constat ex omnibus Theologis in 4.d. 25.& passim ex Iurisperitis ad c.*cum essent*,de Simonia;Estque ratio manifesta ad id probandum, quod tunc beneficium detur pro solutione debiti temporalis pretio æstimabilis. Perinde autem est debitum iam contractum soluere, dato beneficio, & pacisci de eodem postquàm contractum fuerit, compensando traditione beneficij; quod tunc se habet vt pretium. Vel potiùs (& eodem recidit quod attinet ad labem Simoniæ contrahendam) beneficium se habet vt merx, quæ emitur exhibitione actionis humanæ docendi, tanquam pretij: Consentiunt in hoc puncto Victor.relect.de Simo.p.1.num.6. Soto l.9. de Iust. quæst.5.art. 1. Suar. cap. 39. num. 8. Bonac. q. 1. de Simo. §. 1. num. 9. Videntur quidem nonnulli Iurisperiti agnoscere, beneficium posse dari loco pretij, nec tamen esse pretium. Vnde agnoscunt, pactum Episcopi cum suo familiari de dando ei certo pretio donec ei prouiderit beneficium quantitatis, vacare labe Simoniæ; quia datur temporale pro temporali, donec adueniat conditio elidens obligationem sic dandi. Ita nonnulli, quos refert & sequitur Gigas quæst. 25. de pension. num. 4. quod si admitteremus, suppeteret facillima ratio expediendi difficultatem propositam. Tamen ea doctrina mihi non probatur in euentu prædicto atque adeo eam huc accommodare non possumus.

25. Hæc quamuis ita sint, tamen nihil vetat quominus onus prædictum, tametsi spectat ministerium temporale, possit adiungi beneficio per legitimam potestatem; & sic adiunctum imponatur captanti beneficium,adhibita expressè ea conditione, vt talem sibi obligationem iniiciat. Potest enim ob bonum Ecclesiæ expedire, vt tale ministerium temporale exerceatur à sacris ministris, quibus titulo ministerij spiritualis conferendum est beneficium. Hoc autem non impediet, quominus fructus beneficij alio item titulo in Ecclesiæ bonum cessuro, hoc est propter temporale docendi, similéve humanum ministerium, assignentur ministro aliter quàm in pretium, dummodò & ministerium temporale non sit incompossibile cum spirituali, & fructus sint proportionati duobus illis oneribus, respectu quorum habent rationem non pretij, sed stipendij condignè debiti pro sustentatione ministri. Sed videmus, probante Ecclesia talia

onera

onera adiungi de nouo beneficiis vacantibus. Nam Concilium Tridentinum sess. 5. cap. 5. de reform. & sess. 23. cap. 18. iubet addici aliqua beneficia muneribus docendi. Et idem constitutum fuerat etiam pro docenda Grammatica cap. 1. & 4. *de Magist.* Et sicut adiunctio illa oneris ministerij docendi, (quod vtique temporale est & vendibile,) potuit posteà vacante denuo beneficio fieri per Ecclesiam, tanquam per dispensatricem idoneam talium bonorum ad vtilitatem suam; ita æquè potuisset adiunctio illa fieri in ipsa beneficij institutione.

26. Ex iuribus porrò allegatis patet, hanc adiunctionem oneris ministerium temporale spectantis ad beneficium, posse aliquando fieri per Episcopum, cui iura prædicta certis occasionibus id concedunt. Extra euentus verò prædictos, aliósve legitima consuetudine probatos, vetantur Episcopi tales adiunctiones facere; præsertim in commodum suum, v. g. ad præstanda ipsis domestica obsequia. Id enim iura excludunt, vt cap. *prohibemus* de Censibus, nisi in rarissimis quibusdam euentibus, qui desumi possunt ex cap. *constitutus*, de relig. dom. & ex cap. vnico *vt Eccles. benef.* ad finem. Patet quoque ex antedictis, hanc adiunctionem onerum fieri non posse nisi in beneficio; quia habet aliquid quod possit iustè assignari pro stipendio ministri, nempe fructus temporales. Nam si quis id onus vellet adiungere iuri purè spirituali, v. g. iuri eligendi, aut præsentandi, quibus vt sic nulli sunt annexi temporales fructus, atque adeò sunt iura purè spiritualia, manifestam Simoniam admitteret; quia ius purè spirituale quod non potest habere rationem stipendij sustentando ministro conuenientis, daretur tanquam stipendium temporalis ministerij, quod Simoniam continet, qua ius purè spirituale assignatur pro pretio operis temporalis. Sicut ergo pensio non potest absque Simonia assignari super ius merè spirituale carens fructibus temporalibus, quia sic daretur temporale pro spirituali; optimè autem potest constitui pensio super beneficio, cui annexi sunt fructus temporales; ita grauamina temporalia, de quibus agimus, possunt imponi beneficiis, ob annexam illis temporalitatem, non autem iuribus purè spiritualibus nullum habentibus adiunctum censum temporalem, qui possit in stipendium & ministerij spiritualis & temporalis assignari.

Ad rationes in contrarium.

27. QVæ in contrarium proposita sunt initio huius puncti, vacant difficultate. Etiamsi enim supponamus, beneficium onere docendi grauatum vniri alicui corpori perpetuo, v. g. Collegio Societatis, fructus tamen beneficij non desinunt esse idonei qui conferantur pro stipendio, & ministerij spiritualis pro quo beneficium primò constituitur; & huius præterea temporalis ministerij: Neque ad hoc vt possint ex iustitia tradi pro sustentatione, necesse est eos extrahi è statu spiritualitatis, & mutare conditionem suam. Id enim verum esset, si darentur in pretium, vt fit cum super beneficio constituitur pensio laicalis. Reuera autem fructus in euentu proposito, manent quales antea erant: hoc est annexi beneficio, atque adeò spirituales; nec dantur in pretium, licet dentur ex iustitia; sed tantùm dantur in sustentationem mini-

ſtri, grauati onere exequendi miniſteria ſpiritualia ſimul & temporalia.

28. Eſt enim longè diuerſa ratio ſtipendij & pretij. Nam pretium datur ratione rei; vt ſcilicet fiat æqualitas rei ad rem; ſuſtentatio verò datur ratione ſubiecti, ſiue perſonæ operantis, quæ ob iudigentiam congruæ ſuſtentationis digna eſt mercede ſua, vt dixit Apoſtolus, Corinth. 19. poſt Chriſtum Matth. 10. & Lucæ 10. & traditur c. *charitatem* 12. q. 2. & cap. *cum ſecundum* de præbend. Eſtque ratione naturali euidens, eam iuſtè deberi ac reddi, vnde poteſt deduci in pactum. Qua de re quamuis olim variatum ſit ſententiis, vt videre eſt apud Suarem cap. 46. num. 3. tamen receptiſſima nunc ſententia fert, tale pactum prorſus vacare labe; nec ratione eius ſtipendium tranſire in pretium, ſed manere quod eſſe ſupponebatur: proindéque in re noſtra, eſt ſemper ſpirituale annexum titulo ſpirituali: Vnde pactum de eo exhibẽdo, non eſt pactum de exhibendo ſpirituali pro pretio operis temporalis, quod eſſet Simoniacum; ſed eſt pactum de exhibendis fructibus ob annexionem ſpiritualibus, pro ſuſtentatione perſonæ miniſtrantis ſpiritualiter ſimul & temporaliter, quam ſuſtentari, dignum & iuſtum eſt. Itaque beneficium datur gratis, id eſt, abſque pretio: eius tamen collatio, grauatur onere miniſterij temporalis, ſupra ſpirituale; ad quod vtrumque, ſtipendium de quo fit pactio, eſt proportionatum. Similitérque miniſterium temporale adiunctum ſpirituali in re de qua agimus, datur gratis, id eſt, non vt pretium; vel ſi aliter ſtatuatur comparatio, non datur vt merx quæ beneficij fructibus tanquam pretio compenſetur: quia tales fructus dantur in ſubſidium perſonæ operantis, non in miniſterij temporalis pretium. Neque enim in hoc negotio *gratis dari*, ſumitur ſicut in negotio gratiæ, vbi donatio gratuita excludit meritum etiã congruum, & debitum quodcunque, etiamſi tantùm antidorale iuxta illud: *ſi ex operibus, iam non eſt gratia*: ſed in hoc negotio dicitur dari & exhiberi gratis, quod non datur ſub ratione mercis & pretij; ita vt nulla fiat retributio ratione rei acceptæ & commutatæ pro beneficio. Et nihilominus tam miniſterium temporale exhibetur ex iuſtitia, quàm ſtipendium beneficio conſertum ex iuſtitia rependitur: quia repenſio iuſta, non reſtringitur ad repenſionem pro pretio, & cum commenſuratione temporalis & ſpiritualis in ratione mercis ac pretij, quod patet fore Simoniacum: ſed latiùs funditur, pertinétque etiam ad functiones ſpirituales, & ad ſubſidium antidorale pro eis debitum ex natura rei, etiam ſecluſo pacto quocunque. Nam ſicut Parochus, ex iuſtitia tenetur obire miniſteria ſpiritualia ſuæ parochiæ; ita parochiani ex natura rei tenentur ex iuſtitia ſuppeditare illi cibum & vitæ neceſſaria; quod rectè agnoſcit D. Tho. 2. 2. q. 110. artic. 2. Scotus quodlib. 20. & alios referens Corduba l. 1. quæſt. 4. dub. 2. & paſſim qui agunt de obligatione pendendi decimas. Pactum itaque quod opponitur, non ſuperaddit nouam obligationem; ſed eam duntaxat explicat & determinat quoad quantitatem ſtipendij, & eius exhibendi modum.

29. Sufficienter ergo monſtratum manet, quomodò beneficij collatio cum onere etiam perpetuo docendi literas, ſiue humaniores, ſiue ſacras, non exigat extractionem fructuum è ſtatu ſpiritualitatis; & quomodò iidem fructus non ſint pretium miniſterij temporalis, ſed ſtipendium duntaxat, verèque dentur gratis, & tamen debeantur ex iuſtitia, vt ſubſidium perſonæ, non vt pretium

miniſterij

ministerij temporalis. Longè autem alterius rationis est commutatio beneficij pro pensione temporali, quæ ad calcem argumenti opponebatur. Nam ea commutatio esset vera venditio spiritualis pro temporali, tanquam mercis & pretij, quæ est negotiatio apertè Simoniaca. Hic autem spirituale vtile, ob annexam temporalitatem, datur in subsidium personæ exercentis ministerium pretio quidem æstimabile; quod tamen reuera non æstimetur, nec sub tali ratione per stipendium debitum compensetur.

Censura inofficiosæ censuræ.

30. EX his nullo negotio deprehenditur, quàm malè materiata fuerit censura qua contractus de curanda vnione beneficij quod æquaret iustum stipendium annumeratum, damnabatur tanquam Simoniacus. Nam quamuis verba concepta decreti censorij, tantùm ferant huiusmodi contractum esse illicitum & vitiosum: quique in conscientia iniri nequeat, si verò initus fuerit debere rescindi; tamen textus iuris, quibus prædicti Doctores nixi sunt, & eorum adscriptionibus subiiciuntur, nempe caput septimum & octauum de pactis & caput vigesimum tertium de Simonia, labem Simoniæ inuri prædicto contractui apertè feruunt. Huiusmodi igitur nota, tali contractui iustè & peritè fuisset inusta, si ministerium docendi habuisset se vt pretium ad beneficium, iuxta modum in prima nostræ resolutionis parte improbatum: de quo modo nunquam cogitarunt qui contractum illum inierunt. At eadem censura, prout cadens in contractum illum quatenus reuera celebratus est, planè illicita vitiosaque fuit, & in conscientia fieri non potuit, estque rescindenda. Nam quamuis stipendium quod primò dabatur, & cui cessanti postea ex pacto succedere debebat beneficium, admittatur habuisse rationem pretij, (vt sanè eam habere potuit, præsertim ex intentione pendentium); tamen beneficium succedens non habet vltra rationem pretij ratione fructuum ad ministerium docendi comparatorum, sed habet rationem meri stipendij iusti. Quod si placeret admittere habere rationem pretij, & ministerium docendi rationem mercis; adhuc liceret asserere, Pontificem, cuius autoritate beneficij fructus addicerentur compensando tali ministerio, extraxisse in perpetuum fructus è statu spiritualitatis & eos reddidisse merè temporales; quibus ad æqualitatem & commensurationē debitam inter pretium & merces, compensari posset ministerium temporale docendi. Id enim æquè potest Pontifex in perpetuum, ex causa idonea, atque ad tempus. Sed non est necesse eò recurrere. Veréque difficile esset, quoad plerosque fructus tueri eorum plenam temporalitatem, & deiectionem è statu spiritualitatis. Itaque sistendum est in doctrina proposita de stipendio & ministerio, de quibus solis inita est in prædicto contractu pactio iusta, non absque respectu ad futuram idonei Superioris concessionem: qui respectus, satis insinuabatur, cum fiebat mentio curandæ vnionis perpetuæ beneficij, quæ per solum superiorem fieri potest, vt latè prosequitur Sanches l.7. in Decalogum c.29. à n.145. & Garcias parte 12.c.2.§.1. Quare tota illa censura abit in fumum.

Alter generalis modus pecuniam pro beneficio honestè dandi, etiam in ipsa benef.cij acceptione, gratitudo praeuenta à beneficiario anteriore.

31. VEnio ad secundum modum generalem initio propositum, quo pecunia vel aliquid pecunia æstimabile ad beneficium consequendum dari aut accipi potest, aliter quàm sub ratione pretij, atque adeò absque Simonia. Is est quo aliquid tale datur aut recipitur ex mera gratitudine. Hæc porrò, duplex intelligi potest. Vna subsequens receptionem beneficij, quæ verè ac propriè est gratitudo altera antecedens beneficij receptionem, quæ rursus duplex distingui potest. Nempè vna quæ iam habet notum animum eius qui beneficium possidet, déque eo vult gratificari donatario, à quo proinde offertur antidorum & exercetur liberalitas, ad testandam grati animi significationem pro bona voluntate, quam is cuius est tradere beneficium, concepit erga donatarium; estque gratitudo quædam anticipata respectu traditionis beneficij, quamuis non respectu voluntatis illud tradendi. Altera quæ exercetur ad demerendum & demulcendum eum, cuius est beneficium tradere, vt sic abstractus & illectus obsecundet desiderio donatarij, eumque beneficij possessorem tandem constituat. Vnde quia ex hac donatione, speratur aut etiam intenditur gratitudo eius qui beneficio adhuc potitur, spectatúrque ex beneuolentia vi munerum vel obsequiorum concepta gratus futurus, & beneficium translaturus; propterea dicitur hîc interuenire titulus gratitudinis, vtique creandæ in alio.

32. Et de ea quidem donatione pecuniæ ex gratitudine, quæ subsequitur beneficium iam receptum, vix est dubitandi locus quin sit licita, in foro interno & coram Deo: quicquid sit de foro externo, quod semper præsumet Simoniam, quamdiu clarè non constiterit de mente dantis & accipientis pecuniam, aut quid simile, in gratiam traditi beneficij. In foro igitur interno id esse labis purum, constat ex Synodo Romana sub S. Gregorio Magno, cuius decretum quintum his verbis conceptum, refert Luitprandus l. de Rom. Pontificibus *in Gregorio*. [Constituit etiam, & sub vinculo anathematis prohibuit, ne aliquid ex ordinationibus, aut ex datione Pallij, aut ex traditione Chartarum accipiatur, sed si is qui ordinatus est, post deceptas Chartas, seu Pallium, aliquid offerre voluerit gratiæ tantummodò causa, id accipiendum non negat: quia eius oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ ex accipientis ambitu non procedit.] Eadem legere est apud S. Gregorium lib. 4. registri epistola 54. vnde ea exscripsi Gratianus c. *sicut Episcoporum* 1. quæst. 2. Continent porrò prædicta verba, rationem optimam cur huiusmodi gratitudo non sit illicita, nec sordeat labe Simoniæ. Traditio enim beneficij, iam supponitur perfecta absque influxu munerum quæ in gratiam talis beneuolentiæ rependuntur. Igitur non possunt dici habere rationem pretij, respectu rei spiritualis, siue beneficij iam traditi.

33. Ob proportionalem causam, quamuis æquè Simoniacum sit dare beneficium tanquam pretium laborum, ac dare pecuniam in pretium beneficij; tamen si quis animo syncero, non in compensationem laborum anteriorum, atque adeò per modum pretij illorum, sed ex mera pro eis laboribus gratitudine;

tradat alicui beneficium, non erit Simoniacus, vt rectè statuunt Soto l. 9. de Iust. q. 7. art. 1. & 3. Nauar. cap. 23. num. 106. Suar. cap. 45. de Simo. num. 6. & 13. qui alios in eam rem adducit. Quamuis faciliùs persuadebitur, beneficium tunc non tradi in pretium laborum, non sit negatum iustum salarium laborum illorum; sed insuper ad cumulum addatur beneficium. Nam cum nullum est numeratum stipendium, perfacile est, vt beneficium habeat rationem pretij ex natura rei laboribus susceptis debiti, nisi cessio voluntaria stipendij per donatarium beneficij, tam liquida sit, tamque defæcata ab omni specie onerosi contractus in ea susceptione beneficij, & cessione iuris ad stipendium pro anterioribus laboribus; vt meritò persuadeatur, beneficium purè gratis tradi & accipi.

34. Sicut ergo hæc remuneratio per beneficium, non vt pretium, sed vt antidorum, licita est, nec inquinatur labe Simoniæ: ita beneficij concessi remuneratio per pecuniam, non vt pretium concessionis factæ, sed vt antidorum, non potest reprehendi tanquam Simoniaca, aliterve vitiosa, per se loquendo; admittiturque à Bonifacio Papa in simili negotio c. *quam pio* 1. quæst. 2. Et in hac ipsa materia idem statuunt Nauar. in Summa cap. 23. num. 106. Cauar. 1. Var. cap. 20. num. 4. Suar. cap. 36. de Simo. num. 2. Alia videtur fuisse mens Sancti Ermenoldi Abbatis apud Surium VI. Ianuarij in append. vbi cap. 3. narratur, eum renunciasse Abbatiæ, ob donum gratis postea à fratre pro se datum Henrico V. Imperatori, à quo ad Abbatiam præsentatus fuerat. Sed responderi potest, cum S. Gregorio, bonarum mentium esse, ibi culpam agnoscere, vbi culpa non est. Quid si verò cum tantoperè tunc ferueret Simonia, subolfecit vir Sanctus, aliquid furuum circa suam præsentationem interuenisse? Vt vt sit, si munus illud fuerat merè gratis datum, non fuit cur vir Sanctus censeret se esse ea largitione contaminatum, vel inde vitium aliquod obrepsisse in suam aditionem beneficij. S. Anselmus, simile munus à se expetitum post suam consecrationem à Rege Angliæ, planè negauit, vt scribit Edinerus l. 2. *initio*. Non tamen est causatus Simoniam, sed inde secuturam expilationem suorum.

35. Nec tantùm pecunia, similéve donum antidorale, præberi potest receptum beneficium, (vt hactenus monstrauimus): sed etiam priusquàm beneficium tradatur, aut etiam inter tradendum beneficium; ita vt tempore se concomitentur, traditio beneficij, & numeratio pecuniæ, sub ratione antidori gratuitò & ex mera voluntate gratiam referendi, exhibitæ absque pacto. Quoad donum antecedens, ita apertè habetur ex cap. *etsi quæstiones* de Simo. vbi statuitur, donum priùs datum, nihil nocere, si ex circunstantiis & coniecturis præsumatur gratuitum fuisse; quas circunstantias & coniecturas mox attingam. Ratio autem cur ea donatio vacet labe Simoniæ, manifesta est: quia nulla ibi est ratio pretij, qua sola constituitur Simonia. Deest item quæcunque pactio & conuentio, quæ iniussu Ecclesiæ facta Simoniam humani saltem iuris induceret. Itaque non est vnde labes Simoniaca in huiusmodi donationem irrepat. Nec refert, quod non fieret donatio, nisi is cuius est beneficium tradere, suam mentem de eo dando iam expressisset, vel etiam promissione voluntaria se ad id astrinxisset. Nihilominus enim traditio pecuniæ, animo puro referendi gratiam, illi bonæ voluntati ad effectum postea exerendæ, innoxia prorsus est; quia

posito obiecto gratitudinis, & iusta siue rationabili eius occasione; mirum non est exeri gratitudinem alioqui non exerendam. Certè plerique Sacerdotes, sæpè non facerent Sacrum, nisi stipe porrecta ad id inuitarentur. Nemo tamen idcircò iure dixerit: eos admittere Simoniam sic celebrando, & faciendo quod ea occasione non posita, nequaquam facerent. Video obiici posse, in iure omnem ad beneficia ingressum interuentu præmiorum damnari Simoniæ. Verùm hoc accipiendum est non de præmio seu munere qualicunque, sed quod habeat rationem pretij. Præterquàm quod sæpè huiusmodi iura fundantur in præsumptione intentionis Simoniacæ, deprehensæ ex coniecturis aut indiciis de quibus paulo post. Nos autem supponimus, intentionem esse synceram; & loquimur in foro animæ quod præsumptione non nititur. Itaque illi textus non impediunt, quominùs antequàm beneficium tradatur, possit dari pecunia.

36. Quod inter tradendum beneficium, possit aliquid gratis præberi, siue pecunia, siue aliquid pecunia æstimabile, constat ex cap. *placuit* 1. q. 1. & ex cap. *dilectus* & ex cap. *tua nos* eod. Et ratio est planè eadem quæ in superiori puncto. Nempe quia deest ratio pretij, & quæuis pactio. Quanquam autem longè faciliùs præsumitur pecuniam tradi per modum pretij, cum eius traditio antecedit, vel cum comitatur traditionem beneficij, quàm si subsequatur planè gratuitam & prorsus irremuneratam traditionem beneficij; Simpliciter tamen loquendo, & rem hanc æstimando penes diuinum iudicium quod renes & corda scrutatur, abest ratio pretij, quoties qui dat pecuniam, siue ante traditionem beneficij, siue in ipsa traditione, eam non dat animo & intentione emendi beneficium per eam pecuniam; ac proinde eam non dat vt pretium: quod tunc tantùm censetur fieri; vel primò cum quis directè & formaliter intendit dare pecuniam loco beneficij, & in commutationem pro eo, quæ est ratio pretij constitutiua; etiamsi verbo pretij abstineatur, nec in actu signato fiat eius mentio. Vel secundò, cum quis absque interuentu alterius motiui honesti, inducentis ad dandam pecuniam ei qui tradit aut traditurus est beneficium, dat tamen pecuniam proximè & immediatè ad obtinendum beneficium, eiúsue intuitu; hoc ipso enim pecunia cum sub alia honesta ratione non tribuatur, datur vt pretium, vt insinuatur cap. *tua nos* de Simo. Quorsum enim daret pecuniam exclusa quacunque honesta causa illius tribuendæ præter adeptionem beneficij, nisi intenderet vt per hoc medium temporale quod subministrat, spirituale immediatè & proximè consequatur? At ea intentio, sin minùs formaliter & expresè, & saltem virtualiter & implicitè est intentio numerandi pretij pro beneficio; cuiusmodi non est intentio qua pecunia antecedenter vel concomitter numeratur ob aliquam extrinsecam causam honestam; puta ob testandum affectum illo antidorali munere, vel ad testandam animi generositatem quæ nolit vinci largitate, vel ad subleuendam egestatem cedentis beneficio in gratiam resignatarij. Communiter ergo, & circa traditionem pecuniæ ante datum beneficium, & circa eandem traditionem pecuniæ cum beneficium datur, attendendum diligenter est, an causæ prædictæ dandi pecuniam intercedant. Si enim hæ aliæve causæ interueniat, signum erit intentionem fuisse gratuitam, & abfuisse Simoniam; præsertim si nulla deprehendantur indicia contrariæ intentionis, ac nominatim nulla pactio, quæ in hoc negotio planè pugnat cum donatione.

natione gratuita; nulla item taxatio rei dandæ, quæ redolet contractum onerosum, & gratuitam oblationem comitari non solet: sicut etiam exactio quæ suboles Simoniam. Vt propterea eam specie munificentiæ in Regem, post promotionem in Episcopatum Cantuariensem, auersatus meritò sit S. Anselmus, vt scribit Edinerus l. 2. *ferè initio*, & iam supra notaui. His igitur ac similibus, deprauatæ intentionis pretium pro beneficio tribuentis indiciis ablegatis, & interuenientibus propositis causis honestantibus largitionem pecuniæ antecedentem, aut affectantem traditionem beneficij; nominatimque si personæ dantis conditio talis concurrat, quæ gratuitæ largitionis præiudicium creare soleat, vt est nobilitas, iuxta ea quæ de genio nobilium disserit Tiraq. l. de nobil. cap. 29. num. 37. pronunciandum est pro intentione labis Simoniacæ pura.

37. Nec refert quod hac ratione, idem absque Simonia & licitè præstetur, quod Simoniaci per simoniam sceleratè admittunt; sicque tota Simoniæ malitia videatur in dantis ac recipientis intentione benè deputata locari; atque adeò videatur occludi aditus ad quemquam perspicuè conuincendum Simoniæ, etiāsi pecuniam det aut accipiat, tradendo beneficium. Obiecit hoc iampridem Sigebertus Schismaticus in Chron. anno 1074. Ag[en]s enim contra Gregorium VII. Simoniacorum iuratum hostem, queritur; eos q[u]i illi adhærebant & Simoniam auersabantur, [notam auaritiæ honesto nomine prætexuisse, dum hæc quod se gratis dare iactant, sub *charitatis* nomine vendunt; vt de Montanis dicit Eusebius, sub nomine oblationis artificiosius munera accipiunt.] Sensus est, idipsum alio titulo fieri dando & offerendo titulo beneuolentiæ & gratitudinis, quod tantoperè displicet datum titulo pretij. Hoc admitto sequi. Sed nego esse incommodum, imò consonat iuri. Nam cap. *tua nos* de Simo. expendenda dicitur intentio dantis. Suntque aliæ per multæ materiæ, in quibus pro intentione varia operantis variè pronunciandum est de opere, præsertim quoad vsuram & mendacium: quæ peccata mutatis intentionibus non rarò declinantur, licet idem præstetur quod improuidi per vsuram & mendaciū præstant. Qua in parte aliqui ridiculè stupent ad nouam Theologiam, cuius subtilitate modum excogitatum dicunt qui omnes vsuræ & mendacij occasiones præcludat volentibus. Verùm hoc non tam crimini vertendum fuit nouæ doctrinæ, quàm felicitati nostrorum temporum tribuendum; cuius beneficio, quæ veteres desperabant admitti posse absque exitio animæ, possunt innoxiè mutata tantùm voluntate patrari. Similiter ergo contingit in re præsenti.

Pactum de implendo ex Iustitia debito gratitudinis, explosum.

38. SVboritur hoc loco pulchra difficultas, an non modò licitum sit dare pecuniam ante & post traditum beneficium, vel in ipso actu dandi beneficium, ad testandam gratitudinem bonæ voluntatis conceptæ vel exercitæ à tradente beneficium; sed etiam licitum sit, ad eam obligationem antidoralem, alterutra vel vtraque ex parte exurgentem, se obligare obligatione iustitiæ; superinducendo scilicet nouum pactum onerosum, non quidem immediatè de danda pecunia ob beneficium, vel dando beneficio ob pecuniam, quæ esset aperta Simonia; sed de recognoscenda & exoluenda tali modo (nempè rependendo be-

neficium, aut dando pecuniam), obligatione gratitudinis & antidorali, contracta per eum qui primus ab alio accepit donum gratuitum: vel per vtrumque, si ambo simul & concomitanter dederunt & dare voluerunt. Id quippè vacare vitio, censent Maior. in 4. d. 15. quæst. 29. ad 2. & Valentia 2. 2. d. 6. quæst. 16. p. 3. quæst. 2. *ad 2. dubitationem*; ex quorum sententia, nuper id in praxi vsurpauit quidam Guelfus, cum de beneficij Ecclesiastici aditione ageretur.

39. Sed hæc sententia quicquid sit de gratitudinis obligatione pacto superinducto firmata quoad alia spiritualia, tamen quoad beneficia nullo pacto ferri potest, vt Suares rectè aduertit l. de Simo. c. 45. num. 9. ac Layman l. 4. tract. 10. cap. 8. à num. 9. post Felinum c. *ad audientiam* num. 2. de rescript & Couarruuiam 1. Var. cap. 20. num. 4. Nam iura omnem planè pactionem circa beneficia de eo quod suapte natura non inest, reprobant & damnant Simoniæ. Constat autem nouam hanc obligationem, siue iustitiæ, siue fidelitatis, quam promissio iniicit, & potest esse etiam ciuilis si suppetant testes & alia ad eam probandam accommodata, non inesse ex natura rei, sed addi ex voluntate contrahentium. Igitur est Simoniaca, saltem iure humano. Quin etiam videtur Simoniaca iure diuino, atque adeò non tantùm materia beneficiorum de qua sola nunc agimus, sed etiam in quauis alia materia spirituali. Nam obligatio illa noua, est onerosa & pretio æstimabilis: firmat enim voluntatem longè arctiùs quàm obligatio gratitudinis; non modò secundùm existimationem hominum, sed etiam in conscientia, & apud Deum. Suscipere igitur eam obligationem pretio æstimabilem, pro beneficio aliáve re spirituali, & hæc tradere pro tali obligatione, est suscipere & tradere pro pretio; ac proinde est Simoniacum. Ea quippè traditio fit attendendo valorem rei acceptæ; ac proinde extrahitur à ratione gratitudinis, & transfertur in commutationem iustitiæ propriam, & venalitate admistam. Quæ verò potest excogitari apertior Simonia, quàm si quis dicat quidem se liberaliter dare pro beneficio Ecclesiastico pecuniam, eam tamen liberalem elargitionem nolit facere, nisi promissio valida exhibeatur de tradendo beneficio? Interuenit enim in eo agendi modo rigorosum pactum, à quo resilire non licet: proindéque donum illud non est ampliùs donum, sed verum pretium, nec datur liberaliter, sed verè ex necessitate commutationis; ac proinde est vera & clara Simonia; qualem committeret Episcopus, qui diceret, *dabo tibi liberaliter Confirmationem, sed tu da mihi liberaliter decem aureos, déque hac liberali donatione ineamus & firmemus pactum, à quo neuter nostrum resilire possit.* Hanc nemo non videt fore Simoniacam Confirmationis nundinationem. Idem ergo est de tali circa beneficium negotiatione. Nec refert quod immediatè pactio sit tantùm de executione obligationis antidoralis, non autem de traditione pecuniæ, aut beneficij. Hoc inquam non refert; quia ipsamet pactio infert onus pecunia æstimabile quod pro beneficio subitur; ac proinde perinde est ac si daretur pecunia; impossibiléque erit ostendere cur sit illicitum pasci immediatè de pecunia, si licet immediatè pascisci de onera quod æquiualet pecuniæ. Præterquàm quòd non metaphysicè sed moraliter & secundùm vsum humanum rem æstimando, pactio illa cadit in erogationem pecuniæ pro beneficio. Nihil porrò gratius posset accidere Simoniacis, quàm si per hu-

ius

ius subtilitatis tegmen, possent æquè securi esse de pecuniis, quas ex beneficij venditione affectant, ac si immediatè illud vendidissent. Sicut nihil gratius posset accidere vsurariis, quàm si dicatur, fas illis esse pecunias vltra sortem accipere; non quidem immediatè vi mutui, sed vi pacti superinducti de exoluenda numeratis pecuniis obligatione antidorali, contracta per mutuatarium cum mutuum recipit. Igitur ad populum phaleras. Rigorosas obligatio de dandis pecuniis quasi debitis ex obligatione gratitudinis, Simoniaca est & auersanda.

Gratitudo anterioris beneficiarij captata pecuniis, potest niti.

40. PErgo ad donationem pecuniæ quæ fit à Titio, ad captandam gratitudinem possidentis beneficium qui non cogitabat de beneficio tradendo Titio. Hanc aliqui habent valdè suspectam, quia specie gratitudinis creandæ in alio, induci videtur ad pretio vendendum beneficium. Imò nonnullos iurisperitos absolutè hoc damnantes Simoniæ, refert Suares cap. 45. num. 3. Sed contraria sententia est planè certa, & ferè omnium communis, traditúrque à Felino, & Couarruuia, ac Laymanno supra, nec non à Nauarro in summa cap. 23. num. 106. Sicut enim dare mutuum ad ingenerandam in mutuatario obligationem gratitudinis, & intendendo vt is sic illectus & obligatus rependat postea aliquid suopte nutu & merè voluntariè, non est vsurarium, sed omnino licitum, vt habetur ex Diuo Thoma 2. 2. quæst. 78. art. 2. ad 3. (Ex quo exemplo aperte habetur eam obligationem ad antidorum postea exhibendum, non esse pretio æstimabilem, nec habere rationem pretij vt etiam colligitur ex l. *sed etsi* ff. de petit hæred.) ita dare pecuniam, vt beneficiarius qui tunc de dando beneficio non cogitabat, inflectatur animo erga dantem, fiátque ei gratus ad prædictum modum; idque intendere, & expectare, non est simoniacum, aliterúe vitiosum, per se loquendo. Reuera enim malum non est, demereri illum qui potest erga nos esse beneficus. Eo ipso autem quod ei aliquid dando demeremur illum, exurgit in eo obligatio gratitudinis, consequens receptionem doni exhibiti. Intendere igitur vel expectare, vt eius obligationis executio, determinetur ab ipso ad beneficium Ecclesiasticum per nos concupitum, quod ipse potens est dare; malum non est: non quidem obligatio è temporali munere orta, sit suapte natura accommodata vt spirituali munere exoluatur; ita vt ex vi gratitudinis eò se debeat determinare; sed quia id ipse potest præstare, & nobis commodum foret; vbi nihil cernitur sordens. Alioqui omnis captatio alicuius boni expectati ex præuentione benefica, esset illicita; quod nemo dixerit: cum ipse quoque Deus, captet sibi à nobis gloriam, eo titulo quod nos creauerit, aut redemerit. Meritò ergo in hanc sententiam conspirarunt communiter Doctores, prelertim Soto l. 9. de Iust. q. 7. art. 1. & Suarez c. 45. num. 4. & seqq.

41. Neque verò duntaxat licitum est expectare vel intendere talem gratitudinem ab eo quem tali præbitione demeremur; sed etiam licitum est, per se loquendo, verbis exprimere, mentem nostram eò collimare; imò petere vt ita fiat, & vt gratitudinis obligatio muneris acceptione contracta, sic exoluatur.

Quod apertè docet Diuus Thomas art. illo 2. cum docet, fas esse petere & exigere, (vtique petendo duntaxat,) vt mutuatarius tali retributione nobis commoda, liberet se obligatione antidorali quam contraxit sumendo mutuum. Ratio verò est perspicua, quia exprimere, se cupere quod iure naturæ obligaberis exequi, si te demerear præbendo munus; vel eo munere accepto, poscere vt tali modo alioqui licito te liberes obligatione antidorali, seu gratitudinis, quam contraxisti; non potest esse vitiosum: quia petere id ad quod teneris, eo tantùm modo quo teneris, & nulla Ecclesiæ prohibitione interueniente, labe vacat, vt per se liquet. Igitur dummodò syncerè agatur, & mens donantis ac recipientis abhorreat ab intentione pretij & mercis, nulla erit Simoniæ labes in prædicta expressione & petitione beneficij Ecclesiastici, tanquam muneris antidoralis, rependendi ab eo quem suis muneribus demeretur vel demeritus est qui beneficium cupit. Nulla porrò Ecclesiæ lege Simoniam in huiusmodi petitione obrepere, quamuis in quibusdam materiis spiritualibus alterius generis, petitio, imò etiam aliquando admissio muneris gratuiti sponte oblati, sit Simoniaca, monstrat Suares cap. 49. num. 7. Tantùm curandum est, vt intentio sit syncera, de quo minùs facilè in hoc euentu liquebit in foro externo suspicionibus admodùm obnoxio hac in parte; nec abs re, ob immensam humanæ cupiditatis calliditatem in aggregando circa se densum lutum. In foro tamen interno, cum prudenter constat de intentione quam diximus, res habet vt statuimus; saltem quantum attinet ad labem Simoniæ. Neque enim negare velim, quin munera hæc hamata, (vt Seneca vocat), sordes plerumque alterius generis contineant, vt dico, cùm de liberalitate.

SECTIO

SECTIO SECVNDA

De aliis illicitis bonorum Ecclesiasticorum captationibus, ratione Beneficij.

1. TETERRIMAM & virulentissimam captandi beneficij rationem, quæ simoniaca eorum nundinatione continetur, executi hactenus sumus. Nunc tractandæ sequuntur aliæ quædam, beneficiorum seu potiùs bonorum temporalium eis consertorum captationes illicitæ, quibus plerique in mala bonorum Ecclesiasticorum se induunt. Eiusmodi sunt intrusio, ingressus per portam carnis & sanguinis defectus voluntatis hærendi in statu Clericali impura intentio in captatione beneficij, eius prehensatio absque doribus beneficiario necessariis, nimiáque beneficiorum multiplicatio in eadem persona. Quæ in his beneficiorum aditionibus, & bonorum Ecclesiasticorum per ea captationibus, labes cernatur; quanto item animæ exitio coniungantur, explicatum venio. Vnáque obices adeundi beneficia attingam, quos plerique omnes præ cæca cupiditate vel ambitione à se aut à suis amoliuntur, tegentes variis prætextibus & excusationibus, defectus quibus iure à beneficiis arcendi essent, vt fictè prosequitur Ioannes Sarisberiensis lib. 7. polycrat. cap. 19.

CAPVT PRIMVM.

De Intrusione in Beneficium Ecclesiasticum.

1. VARIOS omnino modos Intrusionis in beneficium, numerant Iurisperiti, de quorum plerisque non est consilium hic agere. Octo profert Rebuffus in regulam *de subrogandis collitigantibus* Glossa 4. Ad quatuordecim recenset Zerola in praxi Episcopali, v. *Intrusus*, quæsito 1. Præcipuæ & huius loci maximè propriæ intrusiones, quippè frequentiores, & cum animarum periculo cui mederi & prospicere hac tractatione cupimus, magis coniunctæ; sunt, ea qua beneficium occupatur absque vllo titulo, via facti; siue interueniente manu potenti & brachio excelso potestatis secularis, siue priuata vi absque vllo planè iure ad beneficium: cuius intrusionis mentio est cap. *præterea*, de iure patron. cap. *ad aures*, de excess. prælat. & cap. *eum qui*, de præbend. in 6. Ea item intensio admodùm fœda est, qua beneficium sola præsentatione absque institutione aditur. Cui gemina

est, qua electus, omissa confirmatione & aliis iure requisitis, inuolat in beneficium. Nec dispar ea intrusio qua quis legitimè deiectus è beneficio, insistit tamen semel captatæ possessioni, nec vult beneficio excedere, & in eo per vim se firmat & stabilit. Quocunque ex his modis quispiam beneficium captet aut teneat, perspicuæ & maximè propriæ intrusionis reus est. Eius intrusionis virulentiam sic aperio.

Maculæ intrusionis in beneficium.

1. Omnis huiusmodi intrusio, sacrilego furto, vel etiam rapina sordet. Nam si fiat occultè & non adhibita violentia, est furtum sacrilegum. At si aperta vi grassetur, & beneficio se ingerat, rapina est quam esse furto teteriorem, optimè demonstrat S. Chrysost. homil. 10. in 1. ad Thessalo. habetúrque etiam ex S. Augustino c. *pœnale* 14. q. 5. Tuncque verè accidit quod ait Blesensis tract. in Iobum *sub init.* [Si Ecclesia regnum Dei est, secundum quod legitur *regnum Dei intra vos est*, cum ipsi Ecclesias vel violentia, vel venalitate inuadunt, securè infero, quòd regnum Dei vim patitur, & violenti diripiũt illud.] Porrò vtrouis ex prædictis modis inuadatur beneficium, oritur obligatio restitutionis fructuum ea via perceptorum, vt habetur c. *grauis* de restitut. spoliat. *Et ratio est*, quia fructus illi sunt res planè aliena; respectu cuius inuasor non potest eximi obligatione restitutionis, quod interim nullus fortè sit Dominus legitimus, vt cum beneficium vacans occupatur, & in illud quispiam sine titulo intruditur. Nihilominus enim fructus illi sunt aliquid alienum, atque adeò non possunt acquiri aut retineri in conscientia; absque alia vel condemnatione vel declaratione præuia. Tantùm fas est, expensas perceptionis fructuum deducere, eo quòd æquè faciendæ fuissent à vero Domino. Restitutio autem in eo euentu quo deesset legitimus beneficiarius, facienda esset Ecclesiæ vacanti, vt in eos quorum intererat prouidere, vel qui iure aliquo ad beneficium potirentur; & vi illata arcerentur ab aditione plena iuris sui, ea quoque iniuria satisfactione condigna esset compensanda, aut etiam restitutione, si non fuisset nuda iniuria, sed fuisset coniuncta cum damni irrogatione, pro qua sola exigitur presse dicta restitutio. Quæ omnia prætermitto confirmare pluribus, quia pendent ex generalibus principiis de restitutione pro damno dato, & satisfactione pro nuda iniuria. Tantùm dico, in hoc negotio, & damnum datum, & iniuriam in personam cum interuenit, longè tetriùs sordere; quia non sunt culpæ qualescunque, sed sacrilegia, cum & bona ipsa quæ occupantur sacra sint, & personæ quibus vis & iniuria inferri potest, sint sacræ; saltem sub eo respectu sub quo illis iniuria in hoc negotio irrogari potest. Specialiter verò quod iniuria, quæ in hoc genere infertur Ecclesiæ, priuando eam iure suo in eligendo, teterrima sit, & intrusum Deo exosum & sibi ac aliis planè inutilem reddat, grauissimè contestatur Goffridus Vindoc. l. 3. epistola 11. *in fine* & Ionnes à Cochier in Vindiciis libertatis Ecclesiasticæ parte 2. cap. 3. & 4.

Contra

Contra laicas beneficiorum inuestituras.

3. HInc vides, haud abs re, plerosque Pontifices & insignes in Ecclesia viros, conclamasse aduersus Inuestituras beneficiorum Ecclesiasticorum per laicos. Ita vocabant intrusioné aliquarum in beneficii per potestatem laicam. Nam *vestitura* idem sonabat quod *possessio*, vt ex multis locis Capitulariorum monstrat Sirmondus ad Capitul. Caroli Calui tit. 39. Inuestitura ergo idem erat quod immissio in possessionem: quæ quoad Episcopatus & Abbatias, fiebat dato per Principem annulo & virga. Sicut aliæ inuestituræ, peragebantur interdum dato baculo, aut cultello, vel regula S. Benedicti, aut chirotecis, vt monstrat Sirmondus ad lib. 1. Goffridi epistola 6. Plura de variis ad inuestiendum instrumentis, Iuretus ad epistolam 8. Iuonis. Cœterum eo ipso quod talis potestas inuestiens, laica erat; non poterat legitimum titulum occupandi beneficia conferre, non modò quoad spiritualem potestatem ministrandi, sed etiam quoad bona spiritualia ei annexa, quæ etiam perfunduntur spiritualitate. Vnde qui sola institutione per laicos potiebatur beneficiis Ecclesiasticis, res verè alienas faciebant suas, nullo iure & nullo titulo suppetente, quæ erat prima labes furti sacrilegi à nobis annotata. Accedebátque etiam vt plurimùm labes altera; nimirum violentiæ illatæ, siue iis quos legitima potestas induxerat in beneficia, vis autem potestatis laicæ, ad subrogandos intrusos, inde pellebat; siue ipsimet legitimæ potestati, vt inhiberetur liberè vti iure suo in beneficiorum collatione, arrogata sibi per potestatem laicam. Interuenisse hanc vim, perspici abundè potest ex asperrimis & diuturnis Pontificum contentionibus cum Principibus ob inuestituras, quæ magnas clades importarunt Ecclesiæ per duo præsertim secula; videlicet ab anno 1077. ad annum 1169.

4. Quod multo anteriùs, nimirum sub annum 774. ius inuestiendi Carolo Magno ab Adriano primo concessum fuisse dixit Sigibertus in Chronico, figmenti reuincit Baronius anno 774. vtcunque Gratianus figmenti nescius, id intruserit in dist. 63. c. *Adrianus.* Et figmenti argumentum duci potest ex l. 6. capitul. Franc. cap. 294. vbi dicitur, nusquam legi attributam vnquam fuisse facultatem laicis, aliquid disponendi de Ecclesiasticis facultatibus. Est item validissimum argumentum, quod ducitur ex epistola Adriani à Gretsero edita ad Carolum Magnum, qua hortatur ne se his negotiis immisceat. Est 85. in Gretseri Collectaneis. Ipsemet Carolus l. 1. Capitular. cap. 84. ait, se Canonum non ignarum, annuere vt electiones liberè fiant: quem locum allegat ista confirmans Iuo epistola 102. & optimè inde in hanc rem disserens Hincmarus postea referendus epistola ad Ludouicum 3. Itaque nolim asserere abusionem intrudendi viguisse sub Carolo Magno. Esto aliquando, siue obiter, siue ex mera violentia, veluti in legem ac ius ordinarium transeunte, aliqui ante Carolum sint intrusi in beneficia per manum laicam.

Hoc pacto acipi potest quod S. Romanus Rothomagensis, vt habent eius acta, accepto à Clodouæo Clotildis marito sub annum 623. baculo pastorali, inthronizatus dicitur. Et similiter accipio quod habent acta S. Pauli Leonensis §. 3. de baculo pastorali eidem tradito per Childebertum Regem, his ad eum verbis

vsum. [Suscipe pastoralem gradum,quo officio queas prodesse saluti plurimorum].Sed & Charipertum Francum Clotarij filium,intrusos per manum laicam fouisse,& ab Leontio aliisque eius Coëpiscopis depositos,sedibus è quibus pulsi fuerant,restituisse multatis pecunia Episcopis,qui eos deiecerant, scribit Gregorius Turonensis l. 4.hist.cap.26. Hæc omnia significant, abusum intrudendi irrepsisse in Ecclesiam ante Carolum Magnum. Id quod etiam intelligitur ex Canonibus Septimæ & Octauæ Synodi aduersùs hasce prædationes tanquam iam inductas intortis, in Septimo quidem Synodo anno 787. can. 3. in Octaua autem anno 869. cap.22.

5. Florebat eo tempore Hincmarus Rhemensis cuius in hanc abusionem disputatio, rem quoque conficiet quoad temporis notam. Hincmarus ergo Epistola ad Ludouicum 3. Regem Francorum c. 3. sic habet. [Si quod à quibusdam dicitur, (vt audiui), quando petitam apud vos electionem conceditis,illum debent Episcopi, & Clerus, ac plebs eligere quem vos vultis, & quem iubetis; (quæ non est diuinæ legis electio, sed humanæ potestatis extorsio,) si ita est, vt dici à quibusdam audiui, ille malignus Spiritus qui per serpentē primos parentes nostros in Paradiso decepit,& inde illos deiecit;per tales adulatores in aures vestras hæc sibilat : quia hoc in scripturis tam veteris quàm noui Testamenti non continetur,neque in Catholicorum dictis, vel sacris Canonibus, nec etiam in legibus à Christianis Imperatoribus ac Regibus promulgatis, hoc scriptum vel decretum inuenitur;sed talia dicta,infernus euomuit.Christus enim per Apostolum loquens,talem iubet eligere, *qui potens sit exhortari in doctrina sana,& eos qui contradicunt reuincere.* Et si quis contra hoc loquitur, iniquitatem contra Dominum loquitur, & inter blasphemos à S. Spiritu computatur. Sic etenim atauus vester Carolus, & Abauus Ludouicus Imperatores, intellexerunt:& ideò in primo libro Capitulorum suorum,promulgauerunt scribentes; Sacrorum(inqniunt)Canonum non ignari,vt in Dei nomine S. Ecclesia suo liberiùs potiatur honore, assensum ordini Ecclesiastico præbemus; vt scilicet Episcopi per electionem Cleri & populi, secundùm statuta Canonum, de propria Diœcesi, remota personarum & munerum acceptione,ob vitæ meritum & sapientiæ donum eligantur:vt exemplo & verbo,sibi subiectus,vsquequaque prodesse valeant.Notandùm est sanè, quod dicitur, *secundùm statuta canonum eligantur,vt exemplo & verbo,sibi subiectis vsquequaque prodesse valeant.* Et sacri Canones dicunt.Primum enim illi (*quin Clerici vniuscuiusque Ecclesiæ*) reprobandi sunt,vt aliqui de alienis Ecclesiis meritò præferantur. Et item. Vt Episcopi, iudicio Metropolitanorum,& eorum Episcoporum,qui circum circa sunt, prouehantur ad Ecclesiasticam potestatem; hi videlicet qui plurimo tempore probantur, tam verbo fidei, quàm rectæ conuersationis exemplo. Attendendum est igitur, qualiter hoc Imperiale Capitulum, sacris regulis; & Antiquorum Imperatorum congruat; ostendens,quoniam sicut & leges & regulæ dicunt, *In electione Episcopi, assensus Regis sit, non electio. In Episcoporum verò executione, sit electio, sicut & ordinatio.*] Vides referente ac referente Hincmaro, nonnullos, cum ipse scribebat,abusionem quam exagitamus,fouisse.

Studia.

Studia Pontificum contra inuestituras.

6. QVare non est in rigore verum, quod Genebrardus l. de iure sacrarum electionum cap. 1. censet. Primùm inductum in Ecclesiam hunc abusum fuisse ab Henrico IV. Imperatore: Falsus tamen inter Græcos Nicephorum Phocam ex lib. 1. Iuris Orientalis & ex Zonara tom. 3. sub annum 970. id sibi arrogasse. Et durasse post multa secula intes Græcos, liquet, ex Codino libro de Officiis cap. 26. longè item ante Phocam, Constantium Arrianum sibi arrogasse ius intrudendi Antistites, notauit Habertus Archieratico, cum de ritu Electionum apud Græcos obseru. 4. addens in sequentibus qui præterea Imperatores, hac in parte grauauerint aut oppresserint Orientalē Ecclesiam Verum tunc maximè inferbuit violentia Tyrannorum iura Ecclesiæ sibi præter fas arrogantium, cum discusso seu metu, seu langore quo vigor anteriorum Ecclesiæ Rectorum emarcuerat, ausi sunt qui ad Ecclesiæ clauum sedebant, iura eius sarta velle.

7. Præstitit id non impigrè S. Leo IX. qui anno 1049. sedem iniuit. Eiúsque diligentiam aliquot deinceps Pontifices sanctè sunt æmulati. Sed palmam ea in parte omnibus præripuit Leonis quondam alumuus S. Gregorius Papa eo nomine septimus, infracti roboris & indefessæ constantiæ Antistes: cui cum Ecclesiam horrendis sacrorum hominum turpitudinibus deformatam reperisset, accinxit fortitudine lumbos suos, & facto flagello de funiculis, non modò simoniacos, quorum tunc erat immensus numerus, depulit fortissimè ex Ecclesia, sed etiam Concubinariorum Clericorum petulantiam eadem animi fortitudine fregit, & sanctè ac dignè altaribus assistere coëgit. Laicos verò, & quidem magnos & maximos in terra, qui vsurpatam beneficia Ecclesiastica conferendi potestatem mordicùs retinebant, vibratis Ecclesiasticarum censurarum fulminibus potenter repressit, & quantumuis renitentes longáque & vehementi violentia Ecclesiæ infestos, etiam vsque ad scissionem eius per schisma, & suppositiorum capitum inuectionem; per vexationes & ærumnas immensas, ab hac grassatione in iure Ecclesiæ auocauit. Quod vt omnibus deinceps seculis, magno plausu ab omnibus recti & æqui amantibus exceptum est, (vt vulgatis plusculis pro hoc Gregorio Lucubrationibus monstrauit Gretserus, & Baronius variis locis inter narrandum, quæ sub eius Pontificatu acciderunt:) ita apud illius æui Politicos Henrico Pseudo-Imperatori adblandientes, & postea etiam apud alios in quibus mysterium iniquitatis operatum esse constat; ac nunc quoque apud clancularios Pontificiæ autoritatis sub larua nominis Catholici hostes, (vt de apertè hæreticis sileam) indignissimè & calumniosissimè est proscissum. Et miror Onuphrium, qui in additionibus ad Platinam summè collaudat Gregorium VII. alibi tamen vt ex eius Pentabiblo de rebus Gregorij VII. refert Iuretus ad Epistolam 233. Iuonis, sæuire in hunc sanctum Pontificem. Sed bilem omnium iustissimè ciet Sigibertus pseudomonachus, cum aliàs, tum in Chronico anno 1074. vbi studium Sancti huius Pontificis malignissimè interpretatus, ait ex Gregorij facto tam graue ortum esse scandalum, vt nullius hæresis tempore Sancta Ecclesia grauiori schismate scissa sit. Verùm hoc esse scandalum passi-

uum quod meritò flocci faciendum sit, nemo non videt. Optimè enim S. Bernardus epistola 78. tale scandalum negligendum esse docet, allegato S. Gregorio. An verò debuit Pastor ouilis Christi, irrumpentibus canibus aditum liberum præbere, ne allatrationibus complerent omnia? Par inquam fuit, Simoniacis sacrorum conculcatoribus, spurcis altaris ministris, qui mundari & nitere super solem & astra iubentur; denique laceratoribus Sanctæ Ecclesiæ iurium, permittere Ecclesiam, vt non audiretur in terra clamor eorum qui in excelso audiebatur, & Deum ad iracundiam concitabat? Sic muti Pastores, non valentes vel audientes obsistere, disperdunt omnia. At longè aliter vigil & nauus super Christi gregem excubitor. Animosè igitur ac strenuè obiecit sese, & coactis multiplicibus Synodis, virgam ferream à principe pastorum collatam, exeruit aduersùs varium illum malignantium cœtum; Simoniacos (inquam) Sacerdotes Concubinarios, & scilicet Ecclesiasticorum iurium prædones laicos, arrogantes sibi beneficiorum inuestituras; eorúmque contumaciam sacerdotali constantia domuit.

8. Quanquam quia applaudentibus indignissimè Ecclesiasticis palponibus, plerique in scelere obduruerant, illisque robur & æs triplex circa pectus erat, non vsque adeo potuit eos Gregorius conterere, quin aliquid successoribus reliquerit in eo genere perficiendum; Victori III. Vrbano II. Paschali II. Innocentio II. Alexandro III. à quibus coactis de more variis Synodis, & congeminata Ecclesiastici fulminis vibratione, in donantes & accipientes eo modo beneficia, omni studio laboratum est, vt Ecclesia ab huiusmodi grassatoribus indemnis perstaret, ablegatis profanis sacrorum iurium prædonibus, omnia in Ecclesia iustè & decenter ac secundùm ordinem fierent. Perstrinxit horum Pontificum studia in ea causa Genebr. l. de iure sacrarum elect. c. 1. nominatim verò historiam Paschalis secundi quoad inuestituras, fusè ex variis prosecutus est Iuretus ad Iuonis epistolam 236. Et addenda sunt quæ Ptolomæus Lucensis in Chronico digessit ab anno 1100. vsque ad annum. 1114.

Qui Pontificum strenui in eo opere adiutores.

9. COoperati tantis Pontificibus ea in parte sunt, eximij illius æui Doctores Ecclesiastici. Insigniores inter eos fuerunt, Petrus Damiani qui sub Alexandro secundo vixit, & Hildebrandi postea Gregorij VII. perstudiosus fuit. Extat eius de hac re epistola ad Alexandrum, quæ est 13. libri primi. Deinde sub Vrbano secundo scripsit librum Deus dedit Cardinalis tituli Sanctorum Apostolorum, *quod ad Regem vel Imperatorem non pertineret potestates Ecclesiasticas constituere, nec electionem summi Pontificis confirmare.* Recitat ex eo opere fragmentum Turria. l. 1. pro Episto. Pont. cap. 21. S. Anselmus contra Imperatorum Germanorum Ecclesiastica iura rapientium licentiam, strenuè egit, vt habetur ex eius epistola ad Valcramum, Henrici III. Imperatoris perstudiosum. Posteà etiam sub Paschali contra Henricum Angliæ Regem certans, in causa inuestiturarum agitata in Londinensi Concilio cui præerat; multipliciter idcircò vexatus, constans semper & infractus hæsit in tuitione iurium Ecclesiæ: & patientia sua ac constantia peruicit, vt Rex denique

inuesti

inuestituris renunciaret, liberumque ei faceret regressum in Angliam, vt videre est apud ipsum S. Anselmum l. 3. Episto. 110. Eius infractum in hac parte pectus, videre est l. 3. episto. 40. & 88. ac 95. rursúsque epistola 70. eiusdem libri, vbi describit perfidiam Archiepiscopi Eboracensis, & aliorum quorundam Anglicanorum Episcoporum, in falsò referenda Paschalis Papæ mente, vt S. Anselmo imponerent, eúmque dolis saltem, ad Regis voluntatem inflecterent subiiciturque ibidem epistola Paschalis Papæ, nunquam sibi in mentem venisse quod Episcopi retulerant, affirmantis sub Sacramento; ipsósque mendaciloquos Episcopos excommunicantis eam ob causam. De quibus etiam expostulat epistola 140. eiusdem libri. De S. Thomæ Cantuariensis in hac causa studiis, liquet ex iis quæ in hunc modum scribit Guilielmus Britto l. 8. Philippeïdos, narrans quæ Philippus Augustus Rex Gallorum, recuperatis Prouinciis quas Henricus Anglus occupauerat, indulserit Ecclesiis circa electiones ad beneficia, suppressis inuestituris.

Præterea motu proprio nullo supplicante,
Indulsit Monachis & Clero, vt fiat ab illis
Canonico deinceps Pastorum electio ritu:
Nam Rex Anglorum, ius vsurpauerat illud,
Vsque adeò vt solus Pastores ipse crearet.
Nam quoties Pastore carens Prælatica sedes
Ciuili letho naturaliue vacasset,
Protinus Ecclesiæ bona cuncta vacantis, ab ipso
Vsurpata, suos conuertebantur in vsus.
Sicque Dei sponsam, viduam quantum ipse volebat,
Cogebat placito sibi demum nubere sponso.
Istáque causa fuit aliis specialiter, ob quam
Ense trucidauit Thomam trux ille beatum,
Qui tam peruersos ritus abolere volebat.

10. IAm Goffridus Vindocinensis, variis Lucubrationibus suum in hac causa sensum ac studium abundè testatus est, præsertim l. 1. epistola 11. & opusc. 2. ac 3. & 4. quibus locis eadem verbatim plerunque iterat. Epistola illa 7. est ad ipsum Paschalem Papam, qui cùm post longam in veritate permansionem, tandem in carcere, violentiæ Henrici cessisset, & metu malorum quæ ipse epistola ad Guidonem Viennensem enumerat, Ecclesiam inuestituris in Henricum Imperij corona auctum translatis, spoliasset; Goffridum expertus est ea epistola non palponem, sed sincerum iuris & æqui amicum; à quo ad palinodiam posteà subsecutam, potenter est inuitatus. Id quod æquè strenuè fecere Guido Viennensis postea Papa, & Gerardus Engolismensis, ac Ioannes Lugdunensis. Vnde incredibilis mœror Paschalis. Vide Iuretum ad Iuonis epistolam 237. Sub iisdem Paschale & Henrico, S. Ottho Bambergensis, & verbo & opere monstrauit quod statueret in ea causa: cum votum vouit, se non nisi Pontificio, nutu, absque Regia inuestitura futurum Episcopum; & ea ex causa Romam profectus, insignia Episcopatus & inuestituræ ab Henrico delatæ, ab-

iecit coram Paschali. Sancti denique Bernardi studium, & libertas aduersùs Lotharium Germaniæ Regem, qui tempore vtens, Pontificem Innocentium Roma pulsum pro inuestiturarum abrogatione vrgebat, ex Sancti viri actis à Bernardo Abbate conscriptis l. 2. cap. 1. licet agnoscere. Non piger his quoque accensere. Pseudoaugustinum Ser. 37. ad Eremitas. Nam eo tempore cusus videtur, quo vigere cœperunt hæ intrusiones. De eis ergo sic pronunciat. [Non intrat per ostium ad Ecclesiam, qui per laicalem portam intrat. Non enim laicis spiritualia dona tradita sunt, sed Domini vicariis. Vicarij Domini sunt, qui vicem Apostolorum tenent. Castella autem, & villas suas laici dispensent: bona autem Hipponensis Ecclesiæ, vigilanter attendant, ne tangant.]

Dissidium apparens Petri Damiani atque Goffridi, in causa inuestiturarum.

11. VRgent hi Patres aduersùs has inuestituras per laicos, intrusionem: quanquam non omnes eodem modo. Nam Goffridus Opusc. 4. inuestituras intrusione sordentes, restringit ad collationem tituli spiritualis per laicos. Vnde quod Episcopi & Abbates, annulum & virgam spiritualis resferas pietatis à Principibus acciperent, ad hæresim pertinere existimat: eo modo quo supra declarauimus in simili circa Simoniam. Nec minus esset heresis, si quis contenderet, Iurisdictionem spiritualem posse ab origine laica dimanare, atque adeò non esse spiritualem & supernaturalem, sed merè temporalem. Et ita significat Iuo epist. 236. *in fine.* Quod tamen temporalium Ecclesiæ bonorum inuestitura, à laicis hoc est à Principibus secularibus fieret, negat Goffridus videri criminosum, postquàm præcessit consecratio & concessio spiritualis tituli per Ecclesiam. Quamuis enim iam ea bona essent Ecclesiæ, nec possit iteratò per inuestituram laicam dari quod præhabebatur, tamen ea Principis inuestitura quo temporalia bona, subsequens aditionem tituli ab Ecclesia concessi, pertinebit ad protectionem Ecclesiæ per Principem; ita vt aliud non sit talis inuestitura secularis, quàm concessio securitatis, præstandi in tempore auxilij & defensionis. Hæc summatim ex Goffrido, cuius fortassis suggestione aut consilio factum est, vt quod narrat Malmesbur. l. 2. Pont. Anglorum, Paschalis Papa litem de Inuestituris ita cum Henrico Rege Angliæ composuerit, vt dimissa inuestitione per virgam & annulum, quæ Iurisdictionis spiritualis concessionem indicarent, contentus esset homagio, pro temporalibus per Episcopos & Abbates iam inauguratos præstando; vtique pro traditis, (non quidem Ecclesiæ, sed isti in Episcopum vel Abbatem proximè promoto,) temporalibus bonis, quæ Ecclesia à Principibus, aliisve laicis Principum subditis, pridem acceperat. Hoc ipsum igitur Principibus concedi absque noxa potuisse, sentire videtur Goffridus: damnare autem duntaxat videtur & Simoniæ & hæreseos, inuestituram per virgam & annulum, qua traditio spiritualis potestatis per Principes insinuaretur. Et idem videtur velle Iuo Carnot. epist. 236. & Vultramus tract. de Inuestituris, quem adducit Iuretus ad Iuonis epistolam 157.

12. At Petrus Damiani, hoc ipsum quod à Goffrido concedi vidimus laicis, omni ratione abrogare videtur; ea epistola 13. libri primi: acriterque agit in duos quos ibi adducit Gothfredi Tusciæ Ducis Capellanos, qui bonorum Ecclesiæ

Ecclesiæ dispensationem à Principibus accipi posse contendebant; dummodò ipsa Ecclesia & Ordo, non à laica manu, sed Canonicè acciperetur. Videtur planè in ea sententia fuisse Iuo Carnot. episto. 65. acriter idcirco correptus ab Vrbano II. vt videre est apud Baronium anno 1099. num. 14. quæ reprehensio æquè videtur cadere in Recentiores; vt Rosellum in histor. Iurisd. Pontif. l. 2. cap. 5. à num. 22. Capellanorum illorum assertionem, Petrus Damiani damnat hæreseos, negans bonorum Ecclesiasticorum acceptionem diuelli posse ab acceptione tituli spiritualis ad ministrandum, cui ea bona sunt annexa; vt proinde qui vnum accipit, alterum quoque accipere necesse sit. Quod autem Politici dispendia, Principum sublato illis iure disponendi de bonis temporalibus Ecclesiæ causarentur; opponit è contrario Petrus Damiani, exemplum Henrici Regis, de quo sic scribit Opusc. 6. c. 36. [Quia non defuerunt, qui regalibus Soliis prædiii commissum regimen administrare se posse diffiderent, si Ecclesiarum venalitatibus publica æraria non augerent; ecce omnipotens Deus, in cuius manu est victoria triumphantium, & sceptra regnantium; absque huius acquisitionis inhonestæ stipendiis fideli famulo suo plerasque nationes cæteras subdidit, tyrannicam aduersantium feritatem sub eius ditione perdomuit, superborúmque hostium tumentium sibi colla substrauit. Barbaras debellare per circuitum gentes, & rebelles infideliter subiectorum dedit calcare ceruices. Vt liquidò pateat, quia victoria de cælo est, & non probatur ex donatiuus pendere pecuniæ, sed ex supernæ gratiæ descendere largitate.] Itaque videtur inferri posse, inter hos duos Cardinales Petrum & Goffridum, dissidium fuisse non exiguum, in causa inuestiturarum.

13. Verùm aliò prorsus spectauit Petrus Damiani, quàm spectaret Goffridus; idcóque propriè non dissident. Imo si censura qua Petrus Damiani ferit doctrinam propositam, æquè caderet in doctrinam à Goffrido datam, retorqueretur ea damnatio in Paschalem Papam; quem vidimus cum Henrico Anglo de inuestituris composuisse, iuxta adductam ex Goffrido sententiam. Negat ergo Petrus Damiani, bona Ecclesiastica titulo spirituali annexa, emi posse à Principibus, seorsim à titulo administrandum, & antequàm iste titulus conferatur: quod illi Capellani quibuscum conflixisse se refert, perniciosè affirmabant. Est enim in eo facto aperta Simonia: quam licitam velle asserere, hæreticum est. Goffridus autem neutrum titulum, siue ad ministrandum siue ad fruendum fructibus, vult assignari à potestate laica, præsertim ante acceptum ab Ecclesia ius plenum ad ministerium, & constituta pro eo ministerio bona. quoque lib. illo 3. epistola 11. monstrat, non vacare Simoniæ labe abusionem Optimè illam de inuestitura per virgam & annulum; quod laici ea inuestitione planè quærant, vel pecunias ab inuestito emungere; vel personæ subiectionem, quæ sunt idonea simoniæ materia. Tantùm ergo annuit Goffridus, vt ex consensu Ecclesiæ, beneficiarius in quem ipsa eam spirituali titulo bona temporalia eidem consequenter annexa transtulit, recognoscat beneficentiam, quam olim vel Principes vel obnoxij Principibus populi ergà Ecclesiam vsi sunt, ditando illam bonis temporalibus. Quæ clientelaris prædij professio annuente Ecclesia, errore & culpa vacauit; eámque duntaxat Goffridus concedi autor fuit, vt schisma vitaretur, & bono pacis consuleretur.

Quæ Ecclesiarum Aduocatia laicis innoxia.

14. QVia tamen illud ipsum quod Goffridus laicis concessum optauit, erat quasi complementum in beneficio, eo quod institutio anteriùs facta non esset rata & valida, priusquàm accederet istiusmodi recognitio per potestatem laicam: propterea defensio illa aut protectio Ecclesiæ, quam Goffridus laicis, tribuendam censuit, longè discrepauit ab ea defensione à qua aliqui, quibus id à Pontifice committebatur, dicebantur *defensores*, vt est apud S. Gregorium frequens; ex quo id notauit Baronius anno 508. Nec aliud reuera fuisse Patriciatũ, qui inter Caroli Magni titulos memoratur, ostendit Alamanius dissert. de parietinis later. c. 10. Longè item discrepauit ea à Goffrido assignata *defensio*, ab ea protectione vel iure custodiæ Ecclesiarum, quod plerisque laicis in vsu olim fuisse, videre est apud Ioannem à Cochier tract. ad praces Cæsareas *in principio*, & p. 2. Vindic. Libert. Eccles. cap. 7. Nam quia res Ecclesiæ armis & ferro per Ecclesiasticos non defenduntur, obnoxiæ semper magis fuerunt iniuriis: inde factum, vt Ecclesiæ tutelæ magnatum mediatè vel immediatè se committerent, protectionis vel aduocationis (vt habetur l. 2. Epistolarum Gregorij VII. in 14.) aut custodiæ, vel vt aliqui barbarè loquebantur, mundeburdis aut guardiæ nomine. *Mundeburdem* enim idē sonuisse quod defensionem, constat ex Marculfe lib. 1. cap. 24. Alibi dicitur *mundeburdus*. Loca signat Sirmondus ad titulum 26. capitul. Caroli Calui. Fusè de his & aliis Aduocationis nominibus, Martinus Magerus in Opere de Aduocatia cap. 2. Huiusmodi autem protectio & defensio, est aliquid merè profanum. Et cum initio pro pietate Magnatum esset merè gratuita, nullis loci sacri facultatibus in compensationem decisis, quod monstrant quæ habet Molanus l. 2. de Canonicis cap. 46. postea ea defensio facta est protectori quæstuosa, vt monstrant exempla quæ collegit Rouerius in illustrationibus historiæ Monasterij Reomensis not. 164. Posse tamen huiusmodi defensionem vendi absque simonia, cum sit quid purè temporale, rectè statuit Suar. de Simo. cap. 28. num. 3. Nec refert quod cap. *quia Clerici* de iure patron. aduocatiæ vendi prohibentur. Ex ratione enim quam ibi reddit textus, constat aduocatiam sumi ibi pro iure patronatus; cuius vnus actus, nimirum præsentatio, spiritualis est, nec vendi potest.

15. Cum autem Aduocatia degenerasset in prædationem, vt constat ex Adreualdo l. 1. de mirac. S. Benedicti cap. 24. & Anonymo ei subiuncto l. 4. cap. 6. & aliis, quos deflorauit Martinus Magerus in Opere de Aduocatia ornata cap. 1. à num. 199. ad 21. nec non Ioannes à Cohier in Vindiciis libertatis Eccles. parte 2. cap. 6. à num. 9. & cap. 8. toto. Denique hinc factum, vt huiusmodi protectiones, (quippè Ecclesiis onerosæ & damnosæ), vel legum seueritate coercitæ, vel variis locis prorsus sint abrogatæ. Ordò certè Cisterciensis, à Conrado Romano Rege anno 1240. obtinuit carere aduocato. Quo etiam pertinet illa frœnatio Aduocatiæ. (Sic enim ibi vocatur) Monasterij Lacensis, quam exhibet Miræus diplom. l. 2. cap. 25. qua præter cætera cauetur, ne Aduocatus sumptibus immoderatis & procuratione iusto auctiore donetur: & vt præcipuam

cipuam sibi à Deo remunerationem expectet, admonetur. Et in Concilio Salisburgensi sub Martino IV. in Constitutionibus Ioannis Tusculani, est vna satis prolixa, qua hi Aduocati coërcentur. Vides ergo hanc defensionem fuisse defensori quæstuosam; & quidem citra noxam dummodò moderatus esset quæstus, quod de ea defensione quam Goffridus laicis permisit, cum esset complementum institutionis, & functio iuris spiritualis ab Ecclesia concessi, certum est dici non potuisse absque Simonia; ac proinde valdè discrepabant (vt affirmabam) duæ illæ protectiones; meritóque in vita S. Aboni, Flor ac. cap. 10. Aduocatio duplex statuitur; vna temporalis, alia spiritualis. Quam Gaufridus concedi volebat, spiritualis est: alia verò est temporalis, sola vendibilis; sola licitè quæstuosa.

Confirmatio per laicos, quatenus sordens, aut nitens.

16. Complementum item aliquod institutionis, erat ea confirmatio quam Imperatores olim quoad Romanum Pontificatum, partim obtinuerunt ab Ecclesia, partim vsurparunt per violentiam. Aliquando enim quod ita iudicaretur ferre Ecclesiæ bonum, ad comprimendas factiosorum machinationes, & schismata auertenda, concessum est Imperatoribus, nè electio rata haberetur, quousque ipse tam suffragatione sua & auctoritate firmaret; nihilque obrepsisse indecorum aut inualidum, testaretur. Quod Henrico Regi Germaniæ concessum refert, & ratum habet Petrus Damiani Opusc. 6. cap. 36. Aliàs autem siue Imperatores, siue Exarchi eorum vicarij, per vim & Tyrannidem illud veluti ius vsurparunt renitente Ecclesia; quæ tandem coacta est, omne illud siue concessum, siue prætensum, siue vsurpatum ius abrogare. Id quod etiam pij Imperatores vltrò remiserunt, vt Constantino quarto factum constat. Latè in hanc rem vniuersam disserit Thomas Campegius Opusc. de potestate Rom. Pontif. cap. 21. Latéque etiam Lupoldus Bebemburgius l. de zelo veterum Germaniæ Principum cap. 8. Et quamuis ea confirmatio non pertinebat ad collationem iuris & potestatis administrandi, sicut pertinet confirmatio Pontificia pro iis beneficiariis quos confirmari per Pontificem necesse est; tantúmque erat roboratio & approbatio institutionis intrinsecè consummatæ, ne aduersus eam obstreperent Schismatici aut factiosi, tamen laicis competere absque Ecclesiæ concessione non potuit; fuítque gemina eius complementi institutionis, quod Goffridus potestati laicæ per Ecclesiam ad bonum pacis tribui autor fuit.

17. Reipsa autem spectata rerum natura, nihil planè iuris esse Imperatoribus & Principibus seculi, in electiones sacras, esséque id planè alienum ab eorum munere, æquè ac conficere Sacramenta, & alia Pontificalia munera obire, contestatus est de discrimine Imperatorum & Pontificum disputans Gregorius secundus epistola 2. ad Leonem Isaurum. Et quadrant item optimè in eam rem, illa Nicolai I. Epistola 24. qua Corbeiensis in Gallia Monasterij priuilegia confirmat. [Neque Rex, (inquit) neque potestas aliqua, vllam monasterio Corbeiensi præponat personam quam nō fratres ipsius elegerint Monastesterij. Debent enim mundi Principes, honorem præstare Deo, quem sibi vo-

lunt præstari à Deo: Videlicet vt quemadmodùm cupiunt à Deo sibi collatum regni honorem conseruari, sic Ecclesiæ Christi, suam non dedignentur seruare legem. Non enim decet neque iustum videri poterit, vt sibi militantibus, de Ecclesiæ Christi possessionibus mercedē restituant, & quid de Republica sua retribuere debent, id reddere velint de his quæ collata sunt Deo.] Insigniter verò in rem hanc vniuersam, & quod Principum siue assensus siue cooperatio, ad Ecclesiastici beneficij legitimam aditionem non sit necessaria, prosequitur Florus Magister, scriptor suo æuo celeberrimus, & Vsuardo in Martyrologij præfatione laudatus, & luculenter à Valafrido carmine ad Agobardum Lugdunensem, post cuius opera fragmentum huius Flori editum est hoc titulo. *Collecta à Domino Floro, ex sententiis Antiquorum Patrum.* Eo satis longo fragmento demonstrat Florus, ab initio Ecclesiæ per multa secula, ordinationes & pronotiones Beneficiariorum, factas esse nullo Principe consulto. Quod autem postea alicubi suo tempore induci cœptum fatetur, vt scilicet Princeps præuia Cleri electione consuleretur, negat factum ex necessitate; vel quasi Principis sit dare Beneficiario potestatem & Iurisdictionem; quod arbitrari, ait fore in Principe grauem culpam: *Cum ministerium suæ potestatis, in huiusmodi negotio peragendo, adiungere debeat non præferre.* Legesis cætera in hanc rem insignia, à Floro ibi adducta.

CAPVT SECVNDVM.

Aditio Beneficiorum Ecclesiasticorum per nominationem laicam, an idem cum inuestitura Henriciana, *disceptatum cum Genebrardo, atque negatum: Et quatenus tamen circa illam Beneficij aditionem periculum incurri, aut peccari à nominante, vel nominato contingat.*

1. EXTRVSA ab inuestituris & intrusionibus in sacros titulos laicorum ambitio, vel auaritia, opponentibus se muros pro domo Dei Sanctis Pontificibus atque Conciliis; omnem lapidem mouit, vt aliqua tandem ratione bonis Ecclesiasticis insistere, & eos qui illa adirent deuinctos sibi habere posset. Itaque Magnates nunc recognitionis aut homagij per beneficiarios præstandi nomine, vt cum Henrico Anglo compositum à Paschale Papa, vidimus; nunc titulo adhibitionis in consilium aut iudicium cum suffragia per Ecclesiasticos conferrentur, vt sub annum 970. fecit Otho sic primùm inuestito Landouardo Mudensi Episcopo, vt est apud Krantsium l.3. metrop. cap. 33. nunc titulo aduocationis aut defensionis, (eo quippè nomine Philippum Augustum mediam sibi partem prouentuū Sancti Andreæ Matiscocensis experiisse, è Reomænsi tabulatio scri-

bit

bit Rouerius illustratione 164. histo. Rëom.) aliis denique nonnullis modis, reiecta illa apertè iniqua intrusionum forma, intentum assequi, & quo collimabat, pertingere conati sunt.

Laica Nominatio ad beneficia, quid, & quàm antiqua.

2. EOs inter modos, vulgatissimus nunc est, qui nominatione Principum continetur, eo differens à concessione per Paschalem Papam Anglo Regi facta, & à defensione per Goffridum suggesta, quod non subsequitur collationem tituli, vt illa concessio atque defensio; sed antecedit, estque velut designatio subiecti, cui Pontifex titulum validè possit imprimere; & applicatio materiæ circa quam Prælatus Ecclesiasticus operetur. Vnde laicus ad eum modum nominans aliquem, non est dicendus propriè loquendo eum eligere, quia electus non accipit ab eo titulum, sicut profani illi intrusores putabant se tradere; sed tantùm dicendus est designare (in rigore loquendo), ad impressionem tituli aliunde faciendam. Quanquam si vox *eligendi* laxiùs sumatur, nec dissentanèe à Scripturis, vt ostendit Turrianus l. 1. contra Magdeb. cap. 17. nihil vetabit, nominationem quoque vocare electionem. Exemplum habemus electionis Papæ. Quis enim non dicit eum à Cardinalibus eligi? Et tamen in rigore non eligitur, sed tantùm nominatur, siue designatur & præsentatur, vt rectè statuunt Azor t. 2. l. 4. c. 3. quæst. 9. Nanclantus Opusc. de potestate Papæ *sub init.* Driedo l. 1. de libert. Christ. Suar. disp. 10 de fide s. 4. num. 3. Haud secus enim hîc accidit, quàm si Rex quispiam proregem eligens pro regione longinqua, ediceret placere sibi, vt eo mortuo Prouinciales alium ipsi sufficerent, cui ex tunc concessam vellet eandem potestatem quàm ipsemet à se primùm designato concederet. Neque verò potestas Pontificia, quæ est ipsamet Christi potestas in eius Vicario residens, potest esse ab humana electione; & inde deriuari ad successorem Pontificis demortui: sed necessariò à Christo manat qui ne radicaliter quidem est in inferioribus. Sic igitur proportione seruata, dicendum est, nominationem ab electione presse accepta discrepare, quamuis luxato rigore vocis, posset nominatio dici electio.

3. Inualuit admodùm nominationum vsus his temporibus, vt videre est in variarum nationum Concordatis, quæ exhibet Piacessus in Praxi: & quotidie diffunditur: ita vt cum iuxta pacta conuenta cum Sede Apostolica, pleraque beneficia Regularia subducerentur nominationibus, vt latè prosequitur Choppinus l. 2. Monastic. tit. 1. num. 3. & Michael Roussel l. 2. histor. Iurisd. Pont. cap. 6. à num. 15. sensim ex iisdem non pauca, fiant nominationi obnoxia. Quo autem pacto Principes viam sibi ad nominationes fecerint, quâ artibus, quâ meritis, quâ violentia, latè aperit Roussel l. illo 2. cap. 5. 6. 7. quoad Galliæ, Hispaniæ, Angliæ, Scotiæ, Daniæ, Bohemiæ, Hungariæ, & Poloniæ Reges, & alios quosdam supremos Principes. Idem versat Corsetus Tractatu de potestate & excellentia Regia quæst. 11.

4. Quando huiusmodi per laicos nominatio cœperit, haud prorsus liquet. Pauci id dicunt Concessum Clodouæo I. in Synodo Aurelianensi, post debellatum Alaricum, quod ex Vincentio Bellouacensi referunt. Sed nihil tale ha-

betur in ea Synodo, quæ hodiéque extat. Probat quidem Iuretus ad Epistolam 157. Iuonis, Clodouæum inuestiuisse Episcopos. Sed non probat id iure factum, etiamsi inuestitionem sumamus pro nominatione. Permulti id referunt ad Caroli Magni priuilegium ab Adriano Papa concessum. Sic enim accipiendum putant quod c. *Adrianus* à Gratiano refertur, vt Carolus Magnus iure tantùm nominandi sit potitus ex eo priuilegio, non autem iure inuestiendi. Verùm illius Capituli tanquam ab Henricianis confictі veritas mutat, vt multis prosequitur Nicolaus Alamannius dissertat. de parietinis Lateranensibus instauratis cap. 10. & rectè quoque Bellarminus cap. 6. Apolog. contra Regem Anglum, atque Baronius anno 774. Confirmat idipsum Primus in vita Adriani II. ad Conciliabulum Romanum sub Benedicto quinto, agens de simili priuilegio concesso Othoni Imperatori à Leone VIII. Pseudopontifice, vt refert Gratianus dist. 63. cap. 23.

5. Fortius est quod Lupus Ferrariensis episto 81. quæ est ad Amulum Lugdunensem scripta, nomine Guenilonis Archiepiscopi, & Gherardi Comitis, contestatur honorem esse è Papa Romano maioribus Caroli Calui tunc regnantis, & Regibus & Imperatoribus concessum, vt sua largitate & Episcoporum promotione, præficerent Ecclesiis, quos idoneos censerent. In quam rem Lupus allegat responsum Zachariæ Papæ in Synodo, cui Sanctus Bonifacius Martyr interfuit, datum Pipino, *vt acerbitati temporis, industria sibi probatissimorum, decedentibus Episcopis mederetur.* Quæ verba Baronius anno 752. num. 8. Binius t. 5. Conc. in notis ad vitam Zachariæ, ac Ioannes Filesac l. de sacrilegio laico, cum de temporibus Caroli Calui disserit, censent continere liquidum ius nominationum iam à tempore Pipini. Sed non subscribo: Ipséque Filesacus sententiam plane retexit Opusc. de sacra Episcoporum autoritate cap. 7. §. 5. Agnoscendi Pipinum, & Martellum Patrem, tyrannicè & sacrilegè intrusisse in beneficia, non nominasse. Concilium enim quod præsente Sancto Bonifacio est habitum, nihil tale habet quale asserebatur, nec sub Pipino, sed sub Carlomanno est celebratum. Deinde si ita res habuit, quomodo tempore contentionum cum Henrico Imperatore, nihil tale est allegatum; sed tantùm prætensum priuilegium, tributum Carolo Magno probatum est? Quid quod verba ex Lupo allegata, longè aliud sonare possint, quàm ius nominandi, vt scilicet industria virorum probatorum qui ad id interponerentur, curaret Pipinus, vt quorum erat ius eligendi, ritè ac conuenienter partes suas obirent? Ad summum verò inde elici potest, factam potestatem Pipino, quasi personalem dum ea temporum acerbitas duraret, non quidem nominandi Episcopos, sed assensum præstandi, vt non eligerentur nisi probati Antistites, & eo loco digni: (quanquam ius personale, vt assolet, diu postea retentum est vt commune.) Qua ratione summus Pontificatus quamuis suffragiis Cleri soleret deferri sub Gotthis; Tamen confirmatio Principis, satis diu requisita est, non modò postea sub Gotthis, sed etiam iis pulsis, sub Imperatoribus Orientis, aut etiam Exarchis; qui tamen non dicebantur nominare Pontificem, sed confirmare. Sicut nunc in locis, vbi Antistites electione creantur, Pontifex qui eos confirmat, non dicitur illos nominare. Hac ergo ratione, videri possunt aliqui prisci Reges Francorum post Pipinum, non quidem Antistites nominasse, sed tamen consensisse

senſiſſe in eorum electionem. Ita planè ferunt illa Fulberti Epiſtola octaua. [Subſtitutus eſt Franco, eligente Clero, ſuffragante populo, dono Regis, approbatione Romani Pontificis, per manuum Metropolitani Senonenſis.] Aymo. Floriac. l. 2. de mirac. Sancti Benedicti cap. 17. ait Amalbertum à Lothario cum electione fratrum regimen Abbatis Floriacenſis ſuſcepiſſe. Quod cap. 18. iterat de Oylboldo & de Abbone l. 3. cap. 1. & in eius vita cap. 8. & Hincmarus non diſſimiliter epiſto. 4. cap. 45. [Conſenſu Principis terræ qui res Eccleſiaſticas diuino iudicio tuendas & defenſandas ſuſcepit, electione Cleri ac plebis, quiſque ad Eccleſiaſticum regimen abſque vlla venalitate prouehi debet.] Similia Concilium Aurelian. 4. cap. 9. Et quintum cap. 10. Imo cum Rex Francorum neglecto ordine prædicto, violenter intruſiſſet vnum quemdam, grauiter de iniuria queſti & nullitatem conteſtati ſunt Canonici Canotenſess ſcribentes ad Leuthericnm Senonenſem. Eſt epiſtola 131. inter Fulberti epiſtolas. Exemplum item in hanc rem optimum ſuppeditat Petrus Clun. l. 1. epiſtola 29. agens de Canonicis Lingonenſibus, quos ait elegiſſe ſibi Epiſcopum. Ait ergo Petrus ſcribens ad S. Bernardum.] A Domino Rege Francorum, electum ſuum, quantum in ipſo erat, confirmari rogauerunt, & obtinuerunt. Nam audita Rex electione, & viſa, quæ fortè tunc ad me venerat perſona, quod de ea Lingonenſis Eccleſia fecerat, collaudauit: & de regalibus (ſicut ſolet fieri) manu propria ſolemniter inueſtiuit. Cum itaque Cleri, populi, Metropolitani, ipſius quoque (vt dixi) principis in hanc vnam ſententiam, in hunc vnum electum vota conuenerint, &c. En Rex non niſi firmat & ratam aſſenſu ſuo habet, electionem ab aliis factam; nec niſi de regalibus inueſtit. De huiuſmodi per Principes laicos approbatione & aſſenſu, exempla conſtipat Choppinus l. 1. monaſt. (*pag.* 15.) num. 10. Itaque argumentum pro nominationibus Regiis ex epiſtola Lupi ad tempus Pipini relatis, non eſt firmum: ſed citra Principum nominationem, electio fiebat à Clero.

6. Alio à *Clero*, quia quod populus in aliquibus teſtimoniis allegatis, dicitur *elegiſſe cum Clero*, (id quod æquè habent alia loca quæ ſignat Simondus in præfatione ad Appendicem Tomi 2. Conciliorum Galliæ, poſt Pithoeum in Gloſſario ad Capitularia Caroli Magni. v. *Epiſcopus per electionem Cleri & populi*:) non eſt ita accipiendum, quaſi populus vnâ cum Clero elegerit. Sed *electio* eo loco ſumitur pro *Cheirotonia* vt loquebantur Græci ex Balſamone ad Canonem. 1. Apoſtolorum, & ibidem Zonara; id eſt, pro elatione manuum ad poſtulandum aliquem in Antiſtitem: atque adeò poſtulatione, aut aſſenſu vel ſuffragatione plebis, bonum teſtimonium perhibentis ei, qui eligendus erat, vt intelligitur ex S. Cypriano Epiſtola 68. vbi quod num 10. dictum erat, *plebem maximè habere poteſtatem dignos Sacerdotes eligendi, vel indignos recuſandi*, mox num. 16. exponitur de electione per Clerum, præſente plebe quæ ſingulorum vitam pleniſſimè nouit, vniuſcuiuſque actum de eius conuerſatione perſpexit. Ibi Pamelius fusè illuſtrat eum ſuffragandi modum à plebe adhibitum, ſolo Clero eligente. Id quod etiam inſigniter docet S. Leo epiſtola 89. cap. 4. cum queſtus de Hilarij Arelatenſis audacia in ſufficiendo Epiſcopo, loco Proiecti ægrotantis, deſcribens legitimum modum ſubſtituendi Epiſcopum, ait. [Expectarentur certè vota ciuium, teſtimonia populorum; quæreretur hono-

ratorum arbitrium, electio Clericorum, quæ in sacerdotum solent ordinationibus ab his, qui norunt Patrum regulas custodiri, vt Apostolicæ authoritatis norma in omnibus seruaretur, qua præcipitur, vt sacerdos Ecclesiæ præfuturus, non solùm attestatione fidelium, sed etiam eorum qui foris sunt, testimonio muniatur; neque vllius scandali relinquatur occasio, cum per pacem, & Deo placitam concordiam, consonis omnium studiis, qui doctor pacis futurus est, ordinatur. Et mox cap. 6. Per pacem & quietem, sacerdotes qui præfuturi sunt, postulentur: Teneatur subscriptio Clericorum, honoratorum testimonium, ordinis consensus & plebis. Qui præfuturus est omnibus, ab omnibus eligatur. *Ordinem* intelligit, Magistratus seculares, quorum testimonium & consensum exigit S: Leo: idque vocat *electionem*, vtique latè sumendo *electionis* vocabulum. Nam electionem strictè sumptam solius Cleri esse, vidisti ex cap. 4. Similiter Cœlestinus Primus epistola 2. consensum & desiderium plebis & ordinis deposcit in Episcopi ordinatione. Formulam consensus à ciuilibus præstiti, ex qua liquet consensum illum non esse: electionem propriè dictam, exhibet Marculphus lib. 1. cap.7. Eum modum creandi Antistites, etiam in Romani Pontificis creatione diu fuisse seruatum monstrat Pamelius ad Epistolam 52. Sancti Cypriani num. 29. & Hieronymus Platus l. de Cardinalis Officio & dignit. cap. 5. Sed hæc obiter, occasione loci ex Lupo allegati, pro nominationibus Regiis iam à tempore Pipini vsu receptis; quod inde non haberi, satis monstratum est.

7. Primus ergo vsus nominationum laicarum ad beneficia, videtur referendus ad Theodoricum Gotthum Arrianum, qui longè antè Pipinum vsurpauit ius nominandi Romanum Pontificem, vt habetur ex Epistola Athalarici eius nepotis apud Cassiodorum l. 8. epist. 15. nominato primùm Felice quarto; Nam quod anteriùs Constantius Felicem alium infeliciter nominauarat, absque lege in vsum deinceps reuocanda factum, non debet pro antiquiore nominationum iure proferri. Porrò ea iuris nominationum vsurpatio, non priuilegio concesso, sed per vim facta, pessimè cessit Theodorico autori, cui exinde omnia retrò sunt sublapsa. Qui verò Catholici Principes, nominatione quoad alia beneficia sunt, vsi, à Rom. Pontifice ius illud sunt adepti, per priuilegiũ quo nunc per varia Concordata maxima pars Principũ potitur. Non enim ex natura rei omnes Principes habent ius patronatus in Ecclesiis Cathedralibus, vt rectè cõtra Arcdihiaconum & paucos palpones, statuit Anastas. Germon. l. 3. de Immunitat. c. 12. n. 26. In Gallia, primus qui & accepisse huiusmodi priuilegium, & admisisse proditur, fuit Carolus VII. Huic enim Clemens VII. in schismate sedens contra Vrbanum VII. ius nominationum haud abnuenti contulit. (Sanctus quidem Rex Ludouicus idem priuilegium acceperat, teste Broymaro vel Bromiardo; & aliter Ludouicus Crassi successor, si vera de isto scribit Walsinghanus. Sed vterque delatum Roma non petenti huiusmodi priuilegium recusauit.) Ante Carolum verò VI. vsurpatioue variorum Regum idem sæpè factum constat, vt aliqui Regia authoritate beneficiis donarentur. Sed ea intrusio veriùs fuit, quàm nominatio, cuius facultatem primus Carolus VI. delatam à Clemente pacificè obtinuit; mox autem ius illud ob Clementis Pseudopontificis vanam autoritatem collapsum, ac Pragmaticæ sanctionis interpositione euersum, Leo

Decimus

Decimus Concordatis cum Francisco primo initis, redintegrauit, & in hunc diem firmauit. Legesis minutè ista persequentem Rousselum in historia Iurisdict. Pontif. l. 2. cap. 6. qui de simili iure postmodùm Hispanis Regibus per Adrianum VII. concesso meminit; de simili quoque aliorum multorum Regum priuilegio agens sequenti capite. Reges Hungariæ, ab ipso Sancti Stephani Regis tempore (vt videtur), eo iure nominandi potitos, ei renunciasse rogante Paschali II. Papa, testatur Ptolomæus Lucen. in Chron. anno 1112. qui malè, hoc eorum ius antiquum, vocat *inuestituram.*

Nominationem laicam, idem esse quod inuestituram Henricianam toties damnatam, sententia Genebrardi.

8. ADuersùs hanc nunc receptissimam Ecclesiasticorum beneficiorum aditionem omnibus neruis contendit Genebrardus libro de sacrarum electionum iure & necessitate, quem anno 1593. edidit. Confirmat autem imprimis eo opere Genebrardus cap. 1. idipsum esse nominationes Principum ad beneficia, quod inuestituras Henricianas: rem eandem subesse duobus nominibus. Hanc ipsam inquam esse, illam Gregorij VII. ætate decantatissimam Heresim Henricianam, tot Pontificum & Conciliorum decretis confessam. Ita habet cap. 2. num. 1. vbi num. 4. addit inuolui in huiusmodi nominationibus multiplex sacrilegium, cum interuersione voluntatis fundatorum, & testamentorum conuulsione coniunctum: nec aliud esse sic intrudere in beneficia, quàm cum Dathane & sociis eligere Chore abiecto Mose, eique adempta electione, conflare Ephod in perniciem domus suæ cum Gedeone; cum Saule sacrificare non expectato Samuele; cum Oza extendere ad arcam manus; cum Ieroboam euehere in Sacerdotes, qui erant de extremis populi; cum Rege Ozia arripere thuribulum; omnia denique susdeque miscere; & diuinæ vltioni se obnoxium facere, quam expertos esse qui nominationes induxerunt, confirmat cap. 3. exemplo præsertim Francisci I. & stirpis Valesiæ, quæ temerata ab auo mystica iura. luit intra annos non multos, vt ex eo loco sigillatim prosequitur, estque vulgatissimum. Tandem cum cap. 4. 6. & 7. demonstrasset, electiones ad beneficia exclusis nominationibus laicorum, esse de iure diuino, Euangelico, Apostolico, Ecclesiastico, Ciuili, Ordinario, & omnibus antiquis Christianis ætatibus perpetuo; concludit c. 8. eas esse de iure ad integritatem Religionis necessario: Nominationes autem è contrario, omnibus illis iuribus improbari, disertéque à Sancto Lucio Papa & Martyre anno Domini 154. à Sancto Leone anno 442. à Concilia Antiocheno anno 340. celebrato can. 19. à Toletano celebr. 626. can. 18. à quarto Concilio Constantinopolitano, & Lateranensi Oecumenico, aliísque definitum esse, iura hæc tanquam spiritualia in laicos, cadere non posse; idque etiam agnouisse Iulianum Apostatam epistola ad Arsarium Pontificem: & à Diuo Chrysostomo l. 3. de sacerd. pro monstroso haberi, vt vocent hi ad Ecclesiasticas præfecturas, qui nihil norunt nisi de temporalibus iudicare: vnde consequatur pessimos quosque præficiendos, optimos negligendos.

9. Idem Genebrardus in Chronol. anno 1110. hæc verba habet de hoc nego-

tio. [Polydorus lib. 4. de Inuent. rer. cap. 10. & lib. 11. histo. Angl. notat, circiter hæc tempora, Principes vbique gentium cœpisse sibi ius declarandorum Episcoporum & Abbatum vendicare; cùm hactenus partim penes Clerum, partim penes populum, partim penes Monachos, partim penes hos omnes, fuisset. Hoc hodiè Principes de Simonia nihil solliciti, post Conciliorum censuras, mordicus tenent, detestabiliori etiam modo, & libidine. Nam hic remanebat quædam antiquæ electionis species, nec erat simpliciter liberum Principibus, quem vellent, nominare. Testis Vincentius lib. 26. cap. 10. hisce verbis. Priuilegium de inuestitura Episcopatuum, vel Abbatiarum, tam per annulum, quàm per virgam, erat, vt regni eius Episcopis, vel Abbatibus, liberè, præter violentiaam, & Simoniam electis, inuestituram virgæ, & annuli princeps conferret. Post inuestituram verò canonicè consecrationem acciperent ab Episcopo ad quem pertinebant.] Itaque electio hæc vel potiùs designatio personarum ad beneficia Ecclesiastica per designationem laicam, si Genebrardum audimus, eadem est cum inuestitura Henriciana tot confessa fulminibus Ecclesiasticis, vel etiam ea terrior, ac proinde non minori studio est auersanda. Genebrardo subscribere ex parte videtur Ioannes à Cochier in Vindictis Ecclesiasticæ libertatis parte 2. cap. 5.

Refellitur, & magnum chaos esse inter nominationes & inuestituras ostenditur.

10. HOc iudicium Genebrardi, de nominationibus ad beneficia per laicos, admittendum non est. Pleraque enim continet à verò abhorrentia, & meritò improbanda. Imprimis autem quod ait, idipsum esse nominationes quod Inuestituras & hæresim Henricianam, est planè falsum. Toto quippè cœlo differunt Inuestituræ ab Henrico tanta obfirmatione captatæ, & nominationes. Nam per inuestituras illas, beneficiarij titulum spiritualem & omnia ad beneficium spectantia, accipiebant à laicis, renuente & pro viribus refragante Ecclesia. Vnde consequebatur, vt qui beneficio ea via potiebantur, essent fures & latrones per vim intrusi, nullam habentes ministrandi potestatem, nullum ius fruendi stipendiis ei potestati adiunctis. At qui nominatur à laicis, annuente & hanc illis facultatem concedente Ecclesia, accipiunt ab ea potestatem ministrandi, & ius fruendi fructibus; à laicis autem tantùm præsentantur, vt fit ab omnibus patronis laicis, circa beneficia quorum iure patronatus potiuntur. Nihil enim aliud reuera est hæc nominatio, quàm præsentatio concessa magnatibus ab Ecclesia, & quasi ius patronatus in beneficium: quia quãuis ius patronatus, cuius frequens est vsus, supponat dotationem siue fundationem beneficij fuisse à patrono: plerique autem magnatum nihil minus fecerint circa beneficium, quàm illud fundare aut dotare; sed quod Genebrardus c. illo 2. n. 10. demonstrat, fundationes & dotationes beneficiorum ferè omnium, saltem antiquorum, à priuatis occœperint. Esto fundationes aliquas fecerint Principes, vt videre est apud Choppinum l. 2. monast. tit. 2. à n. 18. Tamen Ecclesiæ Rectores, penes quos est fidelis & prudens dispẽsatio omnium Ecclesiæ bonorũ, possunt ex iusta causa v. g. ad testandam gratitudinem conuenientem pro ingentibus erga Ecclesiam benefactis, creare patronos laicos vbi non fuerant, eisque iura omnia

patronatus

patronorum concedere: atque adeò etiam nominationem siue præsentationem ad beneficium: Quam patronorum, etiam laicorum, prærogatiuam labe vacare, indubitatum est; agnoscitur enim in primo Consilio Arausicano cap. 10. sub nomine *gratiæ* & cap. *quoniam*, de iure patron. Imo. Innoc. in c. *præterea* 2. de iure patron. prærogatiuas patroni (inter quas ista numeratur), non tam ex gratia donatas, quàm debitas asserit,

11. Ad hanc argumentationem nostram, velut ad scopulum, naufragant omnia quæ præterea pro se adducebat Genebrardus. Præsentatio enim est actio competens laicis, si ipsi beneficia fundauerint aut notauerint, aliterve per voluntatem Ecclesiæ constituti sint eorum patroni. Ea porrò actio est functio iuris spiritualis. Tale quippè est ius patronatus; vnde eius venditio est Simoniaca, vt omnes Doctores fatentur, constatque ex c. *quia Clerici* & c. *de iure* & c. *præterea* de iure patron. Imo Suares c. 28. de Simo. n. 7. existimat, post factam ab Ecclesia institutionem iuris patronatus, ipsum ex natura rei, & ex iure diuino naturali esse inuendibile absque Simonia. Nimirū hoc ius, & est spirituale ab origine, cum æquè manauerit ab institutione Ecclesiastica, ac institutio beneficiorum, quæ vtique sunt spiritualia: & est etiam spirituale penes terminum, cum per illud, beneficium Ecclesiasticum, & potestas spiritualis obtingat. Denique actus ille iuris patronatus quem nunc attendimus, nempe præsentatio, est actus spiritualis quo completur idoneitas personæ ad beneficij susceptionē, & eius (si cætera adsint,) instituendæ necessitas iniicitur. Nam absque præsentatione institutio est irrita; posita autē præsentatione (si alias persona præsentata polleat conuenietibus doribus,) non potest non admitti, vt habetur variis capitibus tituli de iure patronatus. Ius igitur patronatus, quod est veluti potentia moralis ad præsentationem quæ est actus spiritualis, non potest non esse ius spirituale cum tendat ad obiectum spirituale per spiritualem actum, æquè ac ius eligendi.

12. Hinc porrò infertur, ius nominandi, etiamsi sit spirituale, vt benè asserunt Genebrardus; posse tamen laico competere, vt benè tradit Aluarus Pelag. l. 1. de planc. Eccles. art. 57. *litera H & I.* Nam cum sit potentia moralis, potest etiā moraliter inexistere laico, ex Ecclesiæ concessione; sicut ius eligendi & præsentandi sunt iura spiritualia, & tamen possunt cadere in laicos, si Ecclesia velit hæc iura ad illas diffundere, vt constat diffudisse quoad præsentationem. Et de eligendi facultate aliquando laicis cōcessa, mētio est apud Gratianum dist. 63. Annuuntque plerique Doctores, à quibus traditur, laicū ex cōcessione Ecclesiæ posse habere ius conferendi beneficia, vt refert Gigas q. 21. de pensio. n. 5. Quamuis ergo iuris diuini, & Apostolici, & Ecclesiastici, & ciuilis, & ordinarij, sit, vt laici absque Ecclesiæ priuilegio, in actum nominandi quippè spiritualem, non se ingerant, & cōtrarium facere sit sacrilegè interuertere omnia iura, & fundatores frustrari, ac conuellere testamenta, nec non asciscere sibi diuinā vltionem imitatione Ozæ, Ieroboami, Oziæ, ac similiū; omnibus denique anathematismis per Pōtifices & Concilia quæ allegabantur intortis, obnoxium se reddere. Tamen ex quo priuilegium Ecclesiasticum interuenit, omnia prædicta incommoda euanescunt. Certè nō inficiatur Genebr. c. 1. Carol. Magnum ab Adriano I. hoc ius accepisse, vt habetur c. *Adrianus* dist. 63. Et existimo quidem, vt superiùs ex Baronio an. 774. monui id falsum esse; & tum demū à Sigeberto & similibus excogitatum esse illud caput,

cum ita tulit causa Henrici Imperatoris contentiosissimè pugnantis pro inuestituris. Vnde Gratianus vt alia pleraque simpliciter illud caput excerpserit, non aduertens figmentum: cuius vehementior suspicio infigitur ex c. *Sacrorum canonum* d. 63. vbi Carolus Magnus mandat secundùm instituta Canonũ beneficiarios eligi nulla præsentationis suæ mentione facta. Quamuis igitur id falsum existimem, quod Carolus Magnus eo priuilegio nominandi & præsentãdi ad beneficia Ecclesiastica sit potitus, tamen cum Genebrardus admittat, id illi licèt laico, per priuilegium Ecclesiæ licuisse, quomodò vrgere potest contra nominationes per magnates ad beneficia, quod magnates huiusmodi, laici sint, nec possint potiri facultate Spirituali, & functionibus eius; cuiusmodi est nominatio, ex priuilegio rationabili & idoneo per Ecclesiam concessa? Cœtera quæ Genebrardus vrget contra nominationes, vt quod nominentur indigni, per imperitiam vel malitiam nominantium; æquè vrgerent contra patronos quoscunque, nec non etiam contra electores. An enim semper eliguntur digni? Quare ratum esto, aditionem beneficij Ecclesiastici per nominationem laicam, iure ab Ecclesia concesso factam, labe vacare posse ex eo capite.

Vnde sordere aliunde possint Nominationes laicæ, penes Nominatorem.

13. Neque tamen inficiari volo, aliunde huiusmodi nominationes ad Ecclesiastica beneficia per laicos aut vacare periculo, aut aliquando sordere culpa. Vtrumque enim tam ex parte eius qui nominat, quàm eius qui nominatur, timendum est, nec fortassis est infrequens. Periculum quidem nominantis, inde potest esse perspicuum; quod nemo per quem alius ad sacra ministeria quomolibet admouetur; securus est ob apertum & tamen iustum metum communicandi peccatis alienis, vt loquitur Apostolus 1. Timo. 5. Sanè Leo vt ex Sophronio recenset Baronius anno 461. à S. Petro per reuelationem didicit; per interpellatam Sancti Apostoli interuentionem, omnia peccata obliterata illi benignè fuisse diuinitus; tantum de peccatis quæ admisisset, aliquos ad sacra ministeria promouens minùs dignè & accuratè, forè vt seuerissima exposceretur ab eo ratio. Idque sine dubio est vnum ex Pontificiæ dignitatis grauissimis & vix portabilibus oneribus, prospicere vt præficiantur sacris idonei ministri, quos internoscere est adeò operosum, vt intelligitur ex iis quæ in hanc rem disputant Naz. apol. 1. & Sanctus Chrysostomus in opere de Sacerd. In partem igitur huius periculi venit Nominator laicus; imo solus ferè illud subit, quia cum Ecclesia plerunque ac ferè semper cogatur eius nominationi subscribere; & nisi fœdo schismate scindi cum animarum exitio velit, cogatur nominatum donare spirituali titulo; (nisi si aliquando ob manifestam eius indignitatem nulla tergiuersatione celabilem, possit citra turbas illum recusare;) clarum est, iniuriam & damna inferenda Ecclesiæ per indignum ministrum, refundenda esse apud Deum in nominantis caput: reddendámque fore vtrique de sacro ministerio malè obito rationem, longè exactissimam. Optimè in hanc rem Pet. Dam. Opusc. 22. cap. 4. his præter cœtera. [Principibus & quibuslibet ordinatoribus Ecclesiarum, summoperè cauendum est, nè sacra loca non considerato diuino iudicio, sed pro arbitrio, & ad libitum præbeant;

præbeant; ne ad suam confusionem, diuinæ legis ordinem, & sacrorum Canonum statuta confundant. Nam quisquis Ecclesiam Dei non regulariter sed potentialiter ordinat, in promouentis caput, omnia illius qui promotus est, mala redundant. Vnde Prædicator egregius cum dixisset, *Manus citò nemini imposueris*, prestò subiunxit: *Nec communicaueris peccatis alienis*. Alienis quippè peccatis communicare conuincitur, quisquis indignum, & improbum, atque ideò cupidum ad regimen prouehere non veretur. Et cum Ecclesia Christi non habens maculam, neque rugam, reproba cuiuslibet ordinatione fœdatur, in ordinantis animam omnis illa lethiferæ contagionis lepra transfunditur.] Et cum *ordinans* iuxta sæpè dicta, intelligatur quilibet influens in promotionem alicuius, sanè etiam in animam præsentantis atque adeò nominantis, ea pethifera lepra transfunditur.

14. Et quanquam error quoque & deceptio (vt omnes homines sumus) obrepere interdum potest aliis quàm laicis Nominatoribus; est tamen longè facillimum, vt laicis imponatur, tum quia minus facti sunt ad res sacras, quippè laici: & alias plerunque dotes, pro more laicorum, spectant in beneficiorum captatoribus, quàm quæ secundùm Deum, & è re Ecclesiæ, spectandæ essent: tum quia præ negotiorum multitudine quibus magnates hac nominandi prærogatiua potientes opprimuntur, ægerrimè possunt ad omnia attendere. Et cum innumeros habeant, quorum temporalibus obsequiis & ministeriis multa debent, nihil procliuius est, quàm vt eorum, vel cognatorum, aut amicorum enixè ipsos rogantium, postulatis agantur in transuersum. Præter illecebras propriorum ipsius nominantis affectuum, per quos in huiusmodi subiectis, omnia ad arbitrium nemine refragante, vel etiam obstrepente disponentibus, obnubilari non raro posse iudicium, ad optimum quemque designandum, nemo non videt. Et tamen admodùm recepta doctrina est, ob periculum ingens creandum animabus ex inidoneorum ministrorum sacrorum delectu, peccatum mortale esse, promouere aliquem ad beneficium Ecclesiasticum cui coniuncta sit cura animarum, aliáve functio magni momenti, nisi sit dignissimus omnium qui in promptu sunt, & æquè possent promoueri. Et quamuis Vasq. tract. de benef. cap. 2. num. 78. ad omnia planè beneficia, etiamsi curam animarum non habentia id extendit; tamen hæreamus sanè in beneficiis curatis, in quibus quod dixi est receptissimum. Hoc de Episcopatibus, (qui ferè sunt nominationum laicarum maximè à Principibus expetitarum materia,) definitum est à Tridentino sess. 24. cap. 2. de reform. & ex cap. 18. idem habetur de beneficiis curatis. Subscribunt Patres, vt Orig. hom. 6. in Leuit. (& refertur cap. *licet* 8. quæst. 1.) S. Gregorius l. 4 in 1. Reg. cap. 4. & 5. Hieron. in cap. 1. epistolæ ad Titum, August. epistola 28. *sub finem*. Consentiunt Scholastici post Diuum Thomam 2. 2. quæst 63. art. 2. ad 3. & Summistæ v. *Electio*, vel v. *Acceptio personarum*. Multos latè referunt Rebellus 1. p. l. 3. quæst. 4. num. 11. Less. l. de Iust. c. 34. n. 62. & 64. Binsfeldus in Enchir parte 4. cap. 2. conc. 4. & Couar. reg. *peccatum* 2. §. 7. num. 4. qui à num. 3. ostendit, in foro quidem externo, vt promotio non sit irrita vel irritanda, sat esse, vt qui ad beneficia de quibus egimus promotus est, dignus sit, iuxta decretum Tridentini sess. 7. cap. 3. de reform. In foro tamen conscientiæ aliter rem habere, vt eum qui

promouit dignum prætermiſſo digniore qui æquè ad manum erat, peccaſſe mortaliter, per ſe loquendo, & extra quoſdam infrequentes euentus, quos attingunt partim Nauarrus Miſcell. 43. de orat. num. 79. partim Rebellus q. illa 4. & Malderus tract. 9. cap. 2. dub. 7. Notántque hi Doctores, & Leſſ. ſupra num. 64 grauem hanc ſub mortali obligationem promouendi digniſſimum inter omnes qui æquè ſunt ad manum, iniici, cum aliis qui ex parte ſua aliquem promouent ad prædicta beneficia; tum ſignatè iis qui nominant; Nam ij maximè influunt in promotionem beneficiarij quandoquidem cæteri coguntur eorum iudicio ſtare, niſi cum apertiſſimè hallucinantur, aut per malitiam tentant lupos manifeſtos pro paſtoribus inducere. Nec refert quod patroni laici, (iuxta quorundam ſententiã, de qua c. ſequenti,) non teneantur præſentare digniſſimos ſed tantùm dignos è ſua familia: cum fundationis leges id ferunt, vt ex ea tantùm familia præſentetur quis ad huiuſmodi beneficium: hoc inquam ad rẽ præſentem non refert. Tum quia etiam patroni laici, ſaltem mediati, id eſt, ſucceſſores eorum qui primi fundarunt, iuxta pleroſque Doctores, tenentur inter conſanguineos eligere digniſſimum: Tum quia ius nominandi laicorum, de quo nunc agimus, non eſt admetiendum ad ius patronatus ortum à collatione propriorum bonorum, funditúrque ad omnes præſentandos qui ex aliquo toto regno aut natione ſunt, & omnino aliam habet originem, cum ſit ex priuilegio, quàm quod competit certæ familiæ, per maiores qui in id contulere ſua bona prout libuit. Atque ita quoad huiuſmodi patronos ex priuilegio, Couarr. reg. peccatum part. 2. §. 7. num. 5. & Vaſq. de benef. cap. 2. numero 73. tradunt quod diximus.

15. Quantus igitur & quàm iuſtus metus, quibuſlibet ad maiora illa quæ propoſui beneficia Nominatoribus iniicitur, cum tam facilè ſit, non nominare digniſſimum inter omnes alicuius totius regni aut nationis qui occurrunt; atque adeò peccare mortaliter; & obnoxium ſe reddere æternæ damnationi? Non eſt hæc Doctorum ſiue Scholaſticorum, ſiue Moralium, ſiue Iuriſperitorum Patrum iudiciis ſubnixa ſententia, vel ſeueritatis vel minoris ſoliditatis inſimulanda, cum aperta ratio ſuffragetur. Fidelitas enim, quam Nominator in re tanta debet Eccleſiæ, & graue damnum quod animabus imminere poteſt ex electione minùs digni, tametſi abſolutè digni, ſuadent (per ſe loquendo, eundum eſſe in promotionem optimi atque digniſſimi; præſertim cum non rarò ij ipſi qui digni vtcunque habentur, poſtea progreſſu temporis deprehendantur minùs habentes, ac ne digni quidem. Vt autem de Collatoribus ex cap. *quàm graue nimis* de præbend. notauit Adrianus in 4. tract. de reſtit. quæſt. de diſpenſat. benef. (& ex rationis paritate omnimoda, ad patronos quoque ſiue nominantes extendendum eſt cum Leſſio cap. 34. de Iuſt. num. 56.) non ſufficit Nominanti, vt neſciat eum quem ad prædicta beneficia deſignat, eſſe indignum; ſed planè tenetur ſcire eſſe eius notæ, cuius eſſe debent, qui ad ea beneficia promouentur: atque adeò conſtare illi poſitiuè debet quod digni ſint; ac etiam iuxta ſupradicta, quod ſint digniſſimi, quia ex officio tenetur curarare, vt Eccleſia quàm optimis animarum rectoribus inſtruatur.

16. Quod ſi digniores, (per ſe loquendo) nominandi ſunt ad maiora beneficia, vt diximus cum communiſſima ſententia, peccatque mortaliter, qui in aa

parte

parte labuntur, & quod Vasques cum Caietano & Paludano asserit tract. de benef. cap. 2. num. 117. ad restitutionem damnorum digniori inde consequentium tenentur; quæ apud Dominum pars erit eorum], qui indignos præsentant siue nominant ad beneficia? Hi nemine refragante peccant mortaliter, vt benè confirmat Nauarr. Miscell. 40. de orat. & ad restitutionem Ecclesiæ faciendam tenentur; de quo neminem dubitare, aut supra Vasques num. 116. Nec hærebit in eo iudicio, qui deprehenderit) quod Ioannes Leslæus lib. 10. de gestis Regum Scotorum egregiè prosequitur,) omne colium hæresem & scandalorum in agro Patrisfamilias ad hanc diem enatorum, inde ferè succreuisse in tritici cladem, quod ager dominicus, dormientibus hominibus; inidoneis inquam & iudignis cultoribus commissus sit, interuentu eorum qui præsentauerant, vel quomodocunque promouerant. Hæc autem quantis lachrymis sint deflenda, res per se loquitur. Quàm verò facile est, vt inter eos qui nominantur, (præsertim si ad varia & multa beneficia multi & varij sint nominandi,) obrepant aliqui non modò minùs digni, sed etiam indigni, etiamsi demus virtutem nominantis nunquam eueruari aut infringi, vt victa blanditiis aut obsequiis, aut mediatorum deprecationibus, sciens ac volens indignum neminet, vt factum à Philippo I. sub annum 1060. cum puerum esse Pastorem voluit; & fœdiora de Roberto Northmanniæ Comite legere licet apud Iuonem episto. 178. 179. 181. Taceo quæ Sanctus Basilius & Collegæ, ad Italiæ & Galliæ Episcopos produnt epistola apud Basilium 69. de Episcopatibus per Principes delatis in præmium blasphemiæ, ita vt præfecturæ Ecclesiasticæ fierent iniquitatis & scelerum compensationes. Hac maximè via subeunt, qui à Naz. oratione 21. num. 7. dicuntur adulterini & adscriptitij. [Præsules; qui cùm nihil priùs ad sacerdotium attulerint, nullas ærumnas virtutis causa pertulerint, discipuli simul magistríque pietatis creantur; aliósque ante purgant, quàm ipsi purgati fuerint.] Scitè Eustathius in S. Eutychij Constantipolitani Actis, huiusmodi Antistites simul ait esse satos & editos, vt fabulæ Gigantes fingunt, & repentinos, ac die vno tanquam è luto formatos populorum Præsules, repentè ad eum gradum venire monet, quia gradus illos non sequitur, sed ipsi gradum persequuntur; contra quàm scriptura faciendum edicit, & recta ratio postularet. Sed vt rei nostræ insistam, per huiusmodi nominationes impleri plerunque sedes indignissimis hominibus, vt taceam posteriora, patet luculenter ex querelis Concilij Valentini sub Lothario cap. 7.

Qui laici ius Nominandi respuerint, aut extimuerint.

17. Minus itaque mirum videri debet, si magnates plerique religiosi ac pij, tot periculum scientes, delatas vltrò ab Antistitibus nominationes ad beneficia, auersati referuntur. Valentinianum Imperatorem scribit Theodoretus 4. hist. cap. 6. cum Episcopi ad eum detulissent, vt ea electione qua Sanctus Ambrosius electus est loco Auxentij demortui, Episcopum Mediolanensem nominaret, respondisse. [Maior res est, quàm vt nobis conueniat. Vos autem gratia diuina præditi, & illius splendore fulgentes, meliùs eligetis.] Videndus simile eiusdem Valentiniani factum recitans Sozomenus l. 6

histor. cap. 7. Ludouicus Iunior Ludouici Crassi filius, eius qui aliquando à Sancto Bernardo Herodes audiuit, quod se promotionibus ad beneficia Ecclesiastica immiscuisset, & peruicaciam aduersùs sancti viri in eam rem monita, luit morte primogeniti, per suis occursum equo deiecti & allisi, iuxta Sancti viri vaticinium. Hic inquam Ludouicus paterno doctus damno, reuersus de expeditione Hierosolymitana contra Saracenos, allatum à Clerico Româ diploma, quo priuilegium quarundam nominationum consequebatur; diploma confestim igne consumpsit, dicens, *Malo has literas hic comburere, quàm si propter illas in inferno comburerer.* Ita refert Thomas Walsinghanus in hypodigmate Neustriæ, ad annum 1148. Quid Sanctus Ludouicus? Broimardi Cancellarij testificatione in Sanctissimi Regis vita, constat cum aliquando Legatus Roma rediens, attulisset à Pontifice diploma, quo ius nominandi ad beneficia concedebatur; responsum in hæc verba dedisse legato. *Quod mea negotia strennè obieris, laudo. Quod mihi à Pontifice munus hoc attuleris, non probo. Intelligo enim quanto cum periculo animæ meæ & regni, id susciperem.*] Ac protinus (inquit Broimardus) diploma in ignem coniecit.] Vrgentibus quoque nonnullis, vt se nonnullorum ad quædam Ecclesiastica beneficia promotionibus immisceret, respondisse fertur. [Sat mihi est, coram Deo, de temporalibus mihi creditis, non etiam de spiritualibus rationem reddere.] Ita habetur in virga directionis pag. 21. Franciscus I. qui electiones in Gallia abrogauit, ex Concordatis cum Leone X. grauiter indoluisse idcircò dicitur, & Cancellario à Prato ea ex causa succensuisse; Sub mortem verò protestatum esse Henrico filio, qui postea Rex eo nomine secundus fuit, nulla se ex causa plus angi animo, & conscientia fodicari, quàm quòd nominationes in se suscepisset, vt scribit Michaël Roussel l. 2. histor. Iurisd. Pontif. cap. 4. num. 15.

Nominatorum à laicis, pericula & damna.

18. IAm periculum eorum qui per laicos nominantur ad beneficia Ecclesiastica, non est planè exile, tametsi ea ex parte minus est, quod dummodò se dignos agnoscant probabili opinione, nec ex cæco de se iudicio, & vana (vt assolet) existimatione; possunt nominationem non respuere, & ad eam se offerre; quamuis sciant adesse digniores quibus fortè præferantur, vt rectè statuunt Rebellus 1. p. l. 3. 6. num. 4. Less. l. de Iust. cap. 34. num. 70. & Torres 2.2. t. 2. disp. 22. dub. 3. num. 8. Hac ex parte melior est, & minùs periculo obnoxia Nominati conditio, quàm Nominantis. Nec tamen nominatus vacat prorsus periculo. Eóque in primis quod S. Basilius epistola 69. suo & Collegarum nomine aperit; nimirum mancipationis ad eius voluntatem per quem nominatus sit ad beneficium: vnde eneruatio vigoris, & perfectæ libertatis detritio, quæ Ecclesiasticum Rectorem mirum quantum dehonestant, & tantùm non de gradu deiiciunt; vt Chrysostomus in opere de sacerdotio, Naz. in Apologetico, & alij dotes Christianorum pastorum exponentes, præclarè ostendunt. Idque spectasse censuerim Glycerium Imperatorem, eo seuero edicto aduersùs promotos per fauorem potentum, quod descripsit Luitprandus l. de Romanis Pontificibus *in Felice tertio.* Videtur enim spectasse, quod qui ita promouentur

mouentur, fiunt serui eorum per quos sunt promoti; vnde ereptio libertatis loquendi, & agendi pleraque pro virtute & bono communi. Quæ ratio æquè vrget circa nominationes laicas. Emarcuisse vigorem omnem in quadraginta Pontificibus, qui à Formoso ad Damasum vsque secundum per annos centum quinquaginta Romanæ Ecclesiæ præfuerunt; vixque inter tot ac tantos vnum vixisse Ioannem vndeuigesimum, qui ab aliqua virtutum gloria celebrari potuerit, multi notarunt: Tametsi notandus & suffigendus meritò sit Platina, qui de more pectoris amarulentiam fundens, *Apostaticos*, non *Apostolicos* denominandos tot Christi Vicarios & Petri successores obgannire non exhorruit. Causam marcoris illius refert Genebrardus cap. 8. de sac. elect. num. 2. in nominationem tot pontificum à magnatibus, qui dominam gentium per illud tempus captiuarant. Vnde ex iniquitate patronorum & nominantium, affusa nominatis frigida, & diuini roris parciùs in eos defluuium, quod ariditas animorum & marcor excepit, ingenti cum dispendio totius Ecclesiæ. Verùm hæc quidem minus timenda videntur in hodiernis nominationibus, quas non Tyrannis extorsit, vel violentia aperta vsurpauit, vt toto eo tempore circa Romanorum Pontificum delectum, per magnates laicos contigit. Exitium Ecclesiæ ex hoc pestifero fonte circa præsentationes ab alia beneficia dimanare, multi monstrarunt. Videndus Nider l. 2. formic. c. 2. & Ludouicus Maioranus l. 3. de vero Dei cultu cap. 20. *pag.* 180. 181. 182.

Quin communiter, & nominatis, & nominatoribus timendum.

19. Illud potiùs iure circa nominationes hodiernas timendum vtrisque, hoc est Nominatoribus & Nominatis censuerim; ne absque numeratione pecuniæ nominantibus facta pro nominatione, (quàm certum est fore Simoniacam, vt benè monstrat Suares l. de Simon. cap. 28. num. 6.) contingat interuenire veram Simoniam. Cum enim nominatio siue præsentatio ad beneficium Ecclesiasticum sit functio & actus iuris spiritualis, vt supra monstratum est; totidem modis circa eam admitti potest Simonia, quot circa alias actiones quibus quis ad beneficium promouetur, v. g. circa resignationem, aut electionem, vel collationem. Vnde sicut Simoniacus est, qui confert beneficium, sin minùs pro pecunia numerata, at saltem pro numeranda; (v. g. in compensationem ac pretium obsequiorum anteriorum, vel vt ea ratione deuinciat sibi plusquàm ex amicitia & gratitudine, cum cui beneficium confert; quia eo modo beneficium cum onere pecunia æstimabili permutatur, fitque verè illius oneris pretium:) ita Simoniacus est, qui aliquem nominat ad beneficium, easdem ob causas. Nimirum vt beneficiarium eiúsve cognatos compenset, negato eis alio laborum vel obsequiorum stipendio. Vt si Princeps, ducem qui multis bellicis laboribus in eius gratiam perfunctus esset contentum ea remuneratione, quod filium vel fratrem ad pinguem Abbatiam vel Episcopatum nominasset; idque vellet illi esse pro pretio. Hanc enim esse veram Simoniam, negare non possumus. Quod Suares cap. 39. de Simo. num. 7. ea ratione confirmat, quod huiusmodi seruitium quod Principi à Duce illo exhibetur, (quem ad maiorem rei euidentiam, non indigenam, sed externum esse supponamus,) non est

ex eo obsequiorum genere quæ exercentur absque vllo pacto expresso aut tacito inter vtrumque, ita vt nulla inde oriatur obligatio iustitiæ in Principe ad tribuendam mercedem: circa talem enim posset præsentatio ad beneficium habere locum absque Simonia, quia & seruitium exhiberetur simpliciter gratis, etiamsi cum aliquo respectu gratitudinis, & præsentatio quoque ad beneficium esset planè gratuita. Sed exhibitio obsequij in euentu de quo agimus, est ex eo obsequiorum genere in quo interuenit pactum saltem implicitum; quia est obsequium necessarium, & ex officio: ex cuiusmodi obsequio voluntariè acceptato, nascitur obligatio iustitiæ ad rependendam, exhibiti obsequij mercedem. Vel ei igitur, pro mercede talis obsequij dare beneficium, ad quod qui ita laborauit eiusve cognatus aut filius præsentetur, Simonia est: quia spirituale emitur per temporale obsequium, & seruitium temporale soluitur per beneficium quod est aliquid spiritiuale. Quod perspiciens Alexander II. Remigium Episcopum Lincolniensem deposuit, quod à Vuillelmo Notho Angliæ Rege, Episcopatum illum bellicis laboribus esset nundinatus, vt notauit Baronius annô 1071. Fœdissimum ex hoc capite Angliæ statum sub Guilielmo II. exhibet Ordericus Vitalis l. 4. rerum Northman. anno 1070.*pag.* 523.

20. Inde quoque Simoniam ex parte nominantis & præsentantis ad beneficium timere licet, quod vt ratiocinatur Goffridus Vindoc. l. 3. epistola 11. non multùm curarent laici se immiscere promotionibus ad beneficia, nisi inhiarent suo alicui commodo temporali quod ex promotione captant, saltemque subiectioni & quasi captiuationi personæ ad beneficium promotæ ipsorum opera; ita vt non sit eis obstricta tantùm ex gratitudine, sed etiam arctiori vinculo; quod cum sit onus temporale & pretio æstimabile, iniici alicui non potest per præsentationem ad beneficium, quin Simonia interueniat. Ex omnium quippè Doctorum mente, vt ait Binsfeld. in Enchir. p.c.5.concl.7.nihil temporale accipi potest pro præsentatione, absque Simonia.

Esto verò, Nominator excutiat manus & voluntatem suam ab omni munere, ita vt neque pecuniæ, neque obsequiis exhibitis rependat pro merce beneficium Ecclesiasticum: necdum tamen præsentatio & nominatio libera semper erit à lue Simoniæ, penes adiunctum siue concausam Nominatoris; hoc est penes aliquem mediatorem inter eos qui assistunt Nominatori. Nam si Aulicorum vel Principis domesticorum quispiam, non vt ostium beneficij candidato eiúsve suffragatoribus reseret, vel vt molles aditus ad nominationem præbeat, accipiat pecuniam, vel quippiam temporale pretio æstimabile; sed vt precibus, vel consilio, aut suasione promoueat, curétve nominationem apud Nominatorem; tota illa negotiatio erit Simoniaca: quippè pendens à pecunia tanquam à causa in præsentationem influente: quæ est communissima doctrina, quam ex Scholasticis & Iurisperitis confirmat Suar. l. de Simo. cap. 53. à num. 14 & latè Nauar. in Manua. cap. 23. num. 106. & consil. 56. ac 57. de Simo. ac comment. de datis & promissis not. 32. num. 45. Quid tamen frequentius est magisve quotidianum, quàm vt domestici & familiares magnatum, ad aliquid Dominis suis quoad nominationem suadendum in gratiam tertij, se interponat pro pecunia data aut promissa?

21. Hoc tamẽ postremum Simoniæ præsentationẽ respergentis periculum, ad

ominatum

nominatum potiùs pertinet, qui mediatorem adhibet ac veluti conducit, quam ad Nominatorem, qui potest esse totius huius negotiationis ignarus. Sunt vero penes eundem nominatum eiúsque partiarios, aliæ præterea pedicæ & labēdi in Simoniam occasiones ob præsentationem non infrequentes. Nam si ipse nominatus temporale aliquid ex pacto faciat, vt nominetur ad beneficium, aperta Simonia erit. Item si aliquid spirituale ex pacto præstet, vt ad beneficium præsentetur, æquè erit Simonia, vt patet exemplo Episcopi conferentis beneficium cuipiam, ne displiceat Principi à quo postea ad pinguiorem Episcopatum sit nominandus. Sordebit enim ea negotiatio labe Simoniæ, si Episcopus ex inuoluta ibi promissione lucri consecuturis per præsentationem ad beneficium pinguius, conferat tenuius: vt Soto rectê censuit, nec abnuit Victoria, vt ostendit vtrique subscribens Suares cap. 37. num. 17.

Denique iuxta doctrinam Petri Damiani l. 2. epist. 1. & Opusc. 22. c. 2. vix vllus est aulicorum, qui nominantur per magnates ad beneficia, qui Simoniam declinet in præsentatione per tales patronos; Etiamsi pecuniam illis pro præsentatione non annumeret. [Enim verò (inquit priore loco) facilioris exitus fuerat, si pro honoribus vænaliter acquirendis, pecunias semel appenderent, quàm tot laborum, tot pressurarum molestias sustinerent. Nam cum Propheta de viro iusto dicat: *Qui excutit manus suas ab omni munere*, quis cum à munerum præstatione defendat, qui & semetipsum alienæ seruitutis imperio subiugat, & insuper in diuturnæ expeditionis impensas, facultatum suarum lucra profligat? Planè prophetica illa sententia sic exponitur, vt tria dicantur munerum genera, scilicet munus à manu, munus ab obsequio, munus à lingua. Siquidem munus à manu pecunia: munus ab obsequio obedientia subiectionis; munus à lingua fauor adulationis. Est cum ab vnoquoque horum manus excutiendas Propheta denunciet, omnibus his manus implicasse conuincitur, qui nanciscendæ dignitatis ambitu, potestatum sublimium castra sectatur. Nam dum in vehiculis acquirendis, diuersorúmque sumptuum apparatibus, non modica summa profunditur, hic proculdubio datæ pecuniæ obnoxius inuenitur: qui etiam nulli dubium, quin ei & obsequium præbeat, cui factus assecla sub tanto laboris & itineris fasce desudat. Postremò dum Domino suo blandiri, eiúsque voluntati congruere per omnia nititur, sæpè sibi quibusdam adulatoriis fauoribus assentatur. Porrò autem quisquis in dandis accipiendísue dignitatibus Ecclesiasticis vna duntaxat earum, quæ prædictæ sunt, peste corrumpitur, Simoniacæ hæreseos teneri crimine iudicatur. Quam ergo sui afferent excusationem, qui licet verbis non contraxerint vænalis pacta commercij, operatione tamen, non vno, sed omnibus his probantur laqueis, irretiti? Verumtamen iactant se, & eo gloriantur innoxios, quia nullam talenti summam pro suscipiendis honoribus se pepigere daturos. Sed dic mihi, à Clerici, quisquis es, si redempto quolibet aureo vase, vel prædio, distractor exigeret, vt retenti apud te vice pretij, huiusmodi sedulitatis impendium exhiberes, nunquid non postmodùm constanter assereres, te quod acceptum est, iusto pretio comparasse? Non videlicet quia pecuniam persoluisti, sed quia seruitium præbuisti. Diceres enim, & non fortassis impudenter astrueres, cariùs emi, dum tanto me labore vexarem; dum toties facultatum mearum sumptus expenderem; quàm si semel præ-

fixæ quantitatis pecuniam numeraſſem. Nequaquam ergo ſibi innocentiam ſpondeant, & à ſimoniacæ hæreſeos maculis ſe mundos eſſe confidant, qui licet metalla vibrantia non appendunt, pretium tamen pro ſuſcipiendis honoribus per ſubiectionis & obſequi;quædam quaſi talenta perſoluunt. Hæc aduerſùs eos dicta ſufficiant, qui negant ſe vænalis reos eſſe commercij, dum tamen fuerint pro dominationis ambitu dura diu ſeruitute grauati.]

21. Vberior etiam ac plenior eſt, in ea aſſertione firmanda, alio loco notato: vbi *ſub finem* ita ratiocinatur. [Ponamus v. g. duos Clericos, centenas nummorum libras non diſpari peculio poſſidentes, quorum aliter curiam Regis adeat, ſenſimque in proprios vſus, quod in ſudario latet, inſumat, alter cum Iacob in tabernaculis maneat, nec alutam ære turgentem ſellere compellat. Vtrique poſtmodùm, vno die ſua cuique delegetur Eccleſia. Et hic quidem totum æs quod crumena ſeruabat, in ſacrilegij pretium funeſtus negotiator effundat; alter verò quia ſeruiuit, in Curia, nil nouiter tribuat, ſed ad percipiendum Eccleſiæ villicatum, tanquam gratuitus mercator accedat. Qui horum quæſo cariùs emit Eccleſiam? Nunquid non ille, qui licet patrono nil dederit, tot ærumnis & laboribus preſſus, quicquid habebat in tam grauis & diuturnæ expeditionis ſumptus expendit; & iſte vilius, qui ſine labore ſuam venditori pecuniam numerauit? Nam perſpicua ratio perſuadet, quia pluris emit Eccleſiam, qui ſua omnia cum laboribus perdidit, quàm is qui quietus, & otioſus, præfixæ quantitatis pacta perſoluit.]Sic Damiani,cui quamuis ſubſcribere congruum non ſit,ſi labores & impenſæ ac obſequia ex quibus argumentatur, non ex pacto ſaltem tacito, ſed ex mero arbitrio, ad conciliandam beneuolentiam, & ingenerandum in Nominante gratitudinis debitum referantur: Tamen admodùm procliue eſt, vt quod implicitum & tacitum pactum in longa conſuetudine & diuturnis obſequiis obrepat:ſaltémque labes non vna alterius generis quàm Simoniæ, eius ſeruilem præſentationis ad beneficium captationem comitatur, quod ſaltem euincit ratiocinatio Damiani. Et hanc eſſe omnium abuſionum in Eccleſia hodie vigentium,omniúmque hæreſeon Eccleſiæ proximo ſæculo infeſtarum cauſam, conteſtatur Ioannes Michael, Theologus Pariſienſis, libro cui titulus eſt, Anatome corporis Politici cap. 28.

Quare certum eſto, nominationes laicorum aliquem ad beneficia Eccleſiaſtico præſentantium, præcisè ex eo quod nominationes laicorum ſunt, vitio vacare poſſe, & longè diſcrepare ab inueſtituris Henricianis: quamuis negari non poſſit, quin aliundè præſentationes illæ interdum ſordeant, & cum periculo Nominatoris ac Nominati coniungantur.

CAPVT

CAPVT TERTIVM.

De aditione Beneficij per portam carnis & sanguinis.

1. HÆc est alia nec infrequens nec modica mali labes, in beneficiorum Ecclesiasticorum captatione, aduersùs quam differit Armacanus l.10. de qq. Armeno. cap. 1. 2.3. quanquam quæ disputat aliò potiùs pertinent, quàm ad præsens institutum.

Sepositi Beneficiariorum liberi, & nobilium nothi.

SVpponimus enim Beneficiarios ex antiqua & inconuulsa lege debere cœlibes viuere, quod adeò receptum est, vt iis coniugatis demptis qui vnicam & virginem duxerint, cum qua deinceps castitatem perpetuam vouerint, ex Boiclio in cap. *diuersis* de Cler. Coniug. num. 1. aliàs beneficium coniugatis deferri nequeat validè ex cap. *sanè* & cap. *quo ad te*, de Cler. Coniug. latéque confirmant Lambertinus de iure patro. l.2.p. 1.quæst.7. art. 3. & Flami. tract. de resig. l.4. quæst. 2. num. 28. & 29. ac 99. & 100. Carolus de Grassis adducens alios tract.de effect. Cler. effectu 15. num. 19. Quinetiam qui iam beneficiis potiebantur, si coniugium ineant, beneficiis excidunt. In quam rem legendus Sanchez l. 7. de Matr. disputat. 42. & 43. Garcias de benef. parte 11. cap. 8. Lessius de Iust. cap. 34. dub. 21. & Ricciullus de Apostasia à Clero l.7. de iure personarum &c. cap. 1. 2. 3.4. Inde igitur fit, vt non sit timendum, ne beneficiarij ad liberos suos transfundant Ecclesiastica beneficia via hæreditatiis & successionis secundum carnem: quam tamen viam videtur excludere voluisse Armachanus. Et quanquam aliquando contingit, beneficiarios ex legitimo connubio prolem ante obtentum beneficium suscepisse, non est tamen eam ob causam timendum hæreditariæ successioni beneficiorum; tum quia rara sunt ea coniugia beneficij aditione anteriora, tum quia ius Canonicum, ei incommodo, si quando accideret, satis prospexit, cum cauit ne filius, etiamsi legitimus, promoueatur ad easdem præbendas quam pater *constitutus* & cap. *ad extirpandas* de filiis presbyter. præter ea quæ Conc. Trid.sess. 25. cap. 15. de reform. constituit de illegitimis. In quam rem latissimè differit Garcias parte 7. cap. 5.

2. Est & alia labes circa beneficiorum aditionem per portam carnis & sanguinis, cui non est hoc loco insistendum. In plerosque enim quod sint creti è nobili sanguine, & sublimi quapiam prosapia oriundi, etiamsi non futuri admodùm vtiles Ecclesiæ, aut etiamsi sint maculatis natalibus, conferuntur beneficia, nec rarò congeruntur. E quatuor filiis quos ex Hermentrude susceperat Carolus Caluus, posteriores duos Carlomannum & Lotharium, Abbatiis oneratos Clero addixit: Nam de Carlomanni Abbatiis, testis est Aymonius l. 5.c. cap. 24. de Lothario idem significatur ab Adone in Chron. anno 866. Tertius

vitæ, quam redderet Deus diligentibus se, quomodo hæc quæritur & affectatur, quam à multis obtineri permisit negligentibus se?] Subdit plurima de beneficiorum Ecclesiasticorum breui flore, & celeri caducitate, ac transitu ab vno ad alium.

4. Huic caducitati consultum cupientes plerique omnes beneficiarij, quod lex Ecclesiastica generatione carnali eos prohibuerit, nec liberos habere possint in quos beneficia transmittant; aduocant cognatos. Itaque à patruo ad nepotem transmittuntur beneficia omni cum diligentia & studio; ita vt etiamnum vegeto & valido, Coadiutor titulo tenus & omni prorsus adiutorij adhibitione prohibitus curetur; & patruus beneficiarius quî hoc prætermitteret, inconsultus & domesticorum curam non habens audiret; nec deesset qui iuxta Apostolicas voces ad seculi sensum distortas, non Deo, sed carne & sanguine reuelante diceret, talem negasse fidem, & esse infideli deteriorem. Adeò enim incarnatæ necessitudines (vt cum Saluiano loquar,) dementant plerosque mortalium, vt quoscunque viderint aliter ad propinquos affici, quàm ipsi sanguini & carni immersi afficiantur, de luxato iudicio, & mente non satis constante, criminentur. Estque ea erga cognatos & sanguine iunctos procliuitas, adeò secundùm naturam connata & concarnata vnicuique nostrum, vt ægerrimè etiam à perfectæ vitæ studiosis, auellatur: quod egregiè prosequitur S Gregorius VII. mor. 14. aliàs 17. Videndus etiam Petrus Cellens. epistola 22. & pulchrè quoque in eam rem Cassiodorus lib. de amicitia cap. 45. & 56. Ex ea igitur vitiata radice prouenit, vt patrui nepotes, cognati cognatos, eiusdem carnis & sanguinis pellecti illecebra, sufficiant sibi pro viribus in Ecclesiasticis beneficiis: & vicissim nepotes & cognati, ad ea suorum beneficia, non secus ac ad rem iure hæreditario debitam connitantur. Quam esse labem non modicam aditionis beneficiorum, imo multorum & magnorum malorum in Dei Ecclesiam fontem, monstratum venio.

Dare beneficium cognato, non est Simoniacum, imo potest illicite esse.

5. NOn dico aditionem beneficij via cognationis, (id est quod quis det vel accipiat beneficium quia consanguineus est,) Simoniacam esse; tametsi non defuerunt qui ita sentirent, vt Armacanus l. 10. de qq. Armen. cap. 9. & Cantor Parisiensis adductus ab Altisiodorensi l. 2. Summæ tract. 27. cui item tribuitur ea sententia: sed infideliter, vt notat qui eam latè confirmat Maior in 4. d. 25. quæst. 3. ad 1. Sed est singularis doctrina, quæ meritò reiicitur à Couarruuia 1. var. cap. 5. num. 4. vbi plures refert, & à Gutierre l. 2. qq. Canon. cap. 23. à num. 60. Victoria relect. de Simo. p. 1. num. 27. Suarez cap. 37. de Simo. num. 6. Vasque tract. de benef. cap. 2. num. 193. Bonac. quæst. 1. de Simo. num. 7. Nec reuera dissentiunt plerique ex iis qui in contrarium visi sunt abire. Nam S. Bonau. in 4. d. 25. *dub. 6. circa literam* cum dixisset hanc esse Simoniam, ita se exponit, vt pateat eum vsurpare nomen *Simoniæ* valdè æquiuocè, pro quacunque indigna ad beneficium promotione. Idipsum ergo nec plus, voluerunt plerique eorum qui dixerunt, Simoniacum esse dare vel accipere beneficium ratione consanguinitatis. Qui autem plus voluerunt, vt

Maior, sunt apertè hallucinati. Nam dare consanguineo beneficium, non est dare temporale pro spirituali; nec est dare ex pacto, vel non gratis. Dare inquam vel accipere pro consanguinitate, non est dare vel accipere pro pretio, vel ratione alicuius commutationis inter temporale & spirituale; quæ est Simoniæ iniquitas; sed est dare vel accipere intuitu motiui imperfecti & carnalis, tametsi gratis atque adeò absque Simonia. Hildebertus certè qui epistola 35. quendam cupientem, (vt ait,) excanonicari, & nepotem sibi substituere, vituit pro viribus; non censuit id esse Simoniacum, alioqui noluisse cooperari. Falsum igitur est, omnem consanguinei, qua consanguineus est, promotionem ad beneficium, esse ex natura rei Simoniacam. Non esse autem Simoniacam iure positiuo, manifestum est: quia in ea promotione, nulla est vmbra iure humano vetitæ commutationis rei spiritualis pro temporali, quæ est materia Simoniæ quia prohibitæ. Nulla item iura adducuntur, quæ huiusmodi promotionem damnarint Simoniæ; etiamsi aliqua aliud vitium in ea notent, de quo postea.

6. Nec tantùm dicendum est, aditionem beneficij ratione consanguinitatis, non esse Simoniacam, vt hactenus monstraui; sed addendum etiam est, posse omni labe vacare, si cœtera ad honestam beneficij traditionem vel acceptionem necessaria interueniant. Quæ enim labes notari queat, in eo præcisè, quod consanguineus sit qui dat vel recipit beneficium? Aut quis reprehendat, quod cum nemo carnem suam odio habeat, idcircò datum sit beneficium consanguineo, quod cum cæteræ dotes optimi beneficiarij non deessent, ista quoque interuenerit necessitudo, quod carne coniunctus sit? Neque verò quicunque propinquis & sanguine iunctis benefaciunt, eosque promouent; dicendi sunt ædificare in carne & sanguine; si desit affectus immoderatus ex obcæcatione per carnem; vt benè prosequitur Molanus l. de piis Testamentis cap. 23. Binsfeldius in cap. 12. de Simonia quæst. 3. conclus. 3, & 4. & Gutierres l. 2. qq. Cano. cap. 23, num. 62. & 63. Itaque Couarruuias loco annotato; & Syluester. v. *Simonia.* §. 16. ac Victor. relect. de Simo. parte 1. num 28. statuunt vt certum, nullam esse peccati rationem in eo quod quis det consanguineo beneficium, si is alioqui, posito quod extraneus esset, habendus foret dignus eo beneficio. Sed neque vllam esse culpam, si quis ratione consanguinitatis præferat aliquem, cæteroqui aliis parem & æquè idoneum. Totum enim periculum peccandi quod ibi cerni potest, esset acceptionis personarum, vel immoderati affectus erga suos. Atqui non est in ea prælatione acceptio personarum: quia labes acceptionis personarum in eo est sita, quod vt ait D. nus Augustinus l. 2. contra duas epistolas Pelag. cap. 7. homo relinquat causæ meritum, & inueniat aliud quod respiciat, vt factum est ab illis Comanis, quorum latè meminit Nyss. orat. de S. Gregorio Thaumat. cum de Alexandr. i Carbonarij per sanctum virum promotione in Episcopum dimissis iis quos alij ob diuitias vel nobilitatem, similétve dotes anteponebant. Quem etiam in sacris electionibus agendis modum, latè improbat S. Chrysostomus l. 3. de Sacerdotio *sub medium.* Supponimus autem non relinqui hîc causæ meritum, sed eum qui seligitur esse verè idoneum, & iis meritis præditum quibus dignè rependatur beneficium. Affectus item nimius erga suos, non reperitur in hac prælatione de qua agimus. Neque enim nimium est, cæteris paribus, suos anteferre: imo id conforme est ordini

Chari

Charitatis, & naturali inclinationi quam natura non destruit sed perficit. Atque ita Prælatum, in his negotiis, suos cæteris paribus anteponentem, immunem esse à culpa, rectè statuit Binsfeldius in Enchir. parte 4 c. p. 2. conclus. 7. & præiuerat Blesensis epistola 79. qui non omisit exemplum Christi, à quo Ioannes ipsius consanguineus præ cæteris est dilectus. Quanquam in eo exemplo est potiùs quod consanguineorum causæ officiat, quoad rem præsentem: quandoquidem Christus tametsi tenerrimè cognatum dilexit, tamen quod ad Ecclesiæ præfecturam attinebat, prætulit extraneum; hoc est, Sanctum Petrum, vt Cassiodorus obseruauit l. de amicitia cap. 15. Et eodem exemplo permotus Sanctus Richardus Episcopus Cicestrensis, (vt habent eius Acta apud Surium III. Aprilis,) cognatos suos, tametsi aliàs habiles, ad beneficia sibi concredita admittere recusauit.

Potest sordere penes acceptionem personæ.

7. CVm igitur facta consanguineis delatio beneficiorum Ecclesiasticorum, imò & prælatio cognatorum in promotione ad huiusmodi gradus, possit innoxia esse, aliunde pendenda est deformitas & labes, quam obrepere posse dicebā in aditione beneficij per hanc portam carnis & sanguinis Nimirum primò penes acceptionem personarum. Secundò vt loquitur Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 7. de reform. penes hæreditariæ successionis imaginem. Acceptio personarum ob necessitudinem, tunc reuera interuenit, cum beneficium ad indignum, vel etiam minùs dignum, tantum quia consanguineus est, transfunditur. Tunc enim dimittitur causæ meritum, vt supra cum Diuo Augustino loquebamur; & causæ extraneæ (videlicet necessitudinis personæ,) ratio habetur, non eius quæ sola attendenda fuerat, nempe idoneitatis ad ministerium. Recteque monet Victor. relect. de Simo. p. 1. num. 29. Ex hoc capite, peccare mortaliter Collatores beneficiorum, qui parati sunt ad danda suis beneficia sine deliberatione.

8. Non ago de iis beneficiis, quæ iure patronatus laici, ad aliquos duntaxat è certa familia pertinent. Nam ea beneficia, citra acceptionem personarum illis conceduntur qui intra eam familiam inueniuntur digni, dimissis aliis extraneis, etiamsi dignioribus, vt statuitur cap. *decernimus* & c. *monasterium* 16. quæst. 7, quia liberum est vnicuique, dare sua bona quibus volet honestis conditionibus: ac proinde patronus laicus qui in beneficij fundationem suas facultates contulit, potuit non nisi sub ea conditione velle dare sua bona; vt beneficium suis duntaxat, dummodò dignis, quamuis non dignissimis possit conferri. Quod rectè cum Soto asserit Couar. reg. *peccatum* p. 2. §. 7. num. 5. & Vasques tract. de beneficiis cap. 2. §. 3. dubio 4. Less. cap. 34. de Iust. num. 58. Nec id tantùm valet pro patrono seu fundatore immediato, vt voluit Rebel. 1. p. l. 3. quæst. 4. conclu. 4. & Mald. de Iust. tract. 9. cap. 2. dub. 7. sed valet etiam pro successoribus eius; quippè qui idemmet ius habent quod primus fundator. Nec hoc in isto euentu tam singulare est, quin in aliis quoque nonnullis idem cernatur, ob rationes extrinsecas præponderantes rationi quæ ex maiore alicuius alterius candidati dignitate duci potuisset. Sic enim videmus, beneficia

Maior, sunt apertè hallucinati. Nam dare consanguineo beneficium, non est dare temporale pro spirituali; nec est dare ex pacto, vel non gratis. Dare inquam vel accipere pro consanguinitate, non est dare vel accipere pro pretio, vel ratione alicuius commutationis inter temporale & spirituale; quæ est Simoniæ iniquitas; sed est dare vel accipere intuitu motiui imperfecti & carnalis, tametsi gratis atque adeò absque Simonia. Hildebertus certè qui epistola 35. quendam cupientem, (vt ait,) excanonicari, & nepotem sibi substituere, viuit pro viribus; non censuit id esse Simoniacum, alioqui noluisse cooperari. Falsum igitur est, omnem consanguinei, qua consanguineus est, promotionem ad beneficium, esse ex natura rei Simoniacam. Non esse autem Simoniacam iure positiuo, manifestum est: quia in ea promotione, nulla est vmbra iure humano vetitæ commutationis rei spiritualis pro temporali, quæ est materia Simoniæ quia prohibitæ. Nulla item iura adducuntur, quæ huiusmodi promotionem damnarint Simoniæ; etiamsi aliqua aliud vitium in ea notent, de quo postea.

6. Nec tantùm dicendum est, aditionem beneficij ratione consanguinitatis, non esse Simoniacam, vt hactenus monstraui; sed addendum etiam est, posse omni labe vacare, si cætera ad honestam beneficij traditionem vel acceptionem necessaria interueniant. Quæ enim labes notari queat, in eo præcisè, quod consanguineus sit qui dat vel recipit beneficium? Aut quis reprehendat, quod cum nemo carnem suam odio habeat, idcircò datum sit beneficium consanguineo, quod cum cæteræ dotes optimi beneficiarij non deessent, ista quoque interuenerit necessitudo, quòd carne coniunctus sit? Neque verò quicunque propinquis & sanguine iunctis benefaciunt, eosque promouent; dicendi sunt ædificare in carne & sanguine; si desit affectus immoderatus ex obcæcatione per carnem; vt benè prosequitur Molanus l. de piis Testamentis cap. 25. Binsfeldius in cap. 12. de Simonia quæst. 3. conclus. 3, & 4. & Gutierres l. 2. qq. Cano. cap. 23. num. 62. & 63. Itaque Couarruuias loco annotato, & Syluester. v. *Simonia.* §. 16. ac Victor. relect. de Simo. parte 1. num 28. statuunt vt certum, nullam esse peccati rationem in eo quod quis det consanguineo beneficium, si is alioqui, posito quod extraneus esset, habendus foret dignus eo beneficio. Sed neque vllam esse culpam, si quis ratione consanguinitatis præferat aliquem, cæteroqui aliis parem & æquè idoneum. Totum enim periculum peccandi quod ibi cerni potest, esset acceptionis personarum, vel immoderati affectus erga suos. Atqui non est in ea prælatione acceptio personarum: quia labes acceptionis personarum in eo est sita, quod vt ait Diuus Augustinus l. 2. contra duas epistolas Pelag. cap. 7. homo relinquat causæ meritum, & inueniat aliud quod respiciat, vt factum est ab illis Comanis, quorum latè meminit Nyss. orat. de S. Gregorio Thaumat. cum de Alexandri Carbonarij per sanctum virum promotione in Episcopum dimissis iis quos alij ob diuitias vel nobilitatem, similésve dotes anteponebant. Quem etiam in sacris electionibus agendis modum, latè improbat S. Chrysostomus l. 3. de Sacerdotio *sub medium.* Supponimus autem non relinqui hic causæ meritum, sed eum qui seligitur esse verè idoneum, & iis meritis præditum quibus dignè rependatur beneficium. Affectus item nimius erga suos, non reperitur in hac prælatione de qua agimus. Neque enim nimium est, cæteris paribus, suos anteferre: imo id conforme est ordini

Chari

Charitatis, & naturali inclinationi quam natura non destruit sed perficit. Atque ita Prælatum, in his negotiis, suos cæteris paribus anteponentem, immunem esse à culpa, rectè statuit Binsfeldius in Enchir. parte 4 cap. 2. conclus. 7. & præiuerat Blesensis epistola 79. qui non omisit exemplum Christi, à quo Ioannes ipsius consanguineus præ cæteris est dilectus. Quanquam in eo exemplo est potiùs quod consanguineorum causæ officiat, quoad rem præsentem: quandoquidem Christus tametsi tenerrimè cognatum dilexit, tamen quod ad Ecclesiæ præfecturam attinebat, prætulit extraneum; hoc est, Sanctum Petrum, vt Cassiodorus obseruauit l. de amicitia cap. 15. Et eodem exemplo permotus Sanctus Richardus Episcopus Cicestrensis, (vt habent eius Acta apud Surium III. Aprilis,) cognatos suos, tametsi aliàs habiles, ad beneficia sibi concredita admittere recusauit.

Potest sordere penes acceptionem personæ.

7. CVm igitur facta consanguineis delatio beneficiorum Ecclesiasticorum, imò & prælatio cognatorum in promotione ad huiusmodi gradus, possit innoxia esse, aliunde pendenda est deformitas & labes, quam obrepere posse dicebã in aditione beneficij per hanc portam carnis & sanguinis Nimirum primò penes acceptionem personarum. Secundò vt loquitur Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 7. de reform. penes hæreditariæ successionis imaginem. Acceptio personarum ob necessitudinem, tunc reuera interuenit, cum beneficium ad indignum, vel etiam minùs dignum, tantum quia consanguineus est, transfunditur. Tunc enim dimittitur causæ meritum, vt supra cum Diuo Augustino loquebamur; & causæ extraneæ (videlicet necessitudinis personæ,) ratio habetur, non eius quæ sola attendenda fuerat, nempe idoneitatis ad ministerium. Recteque monet Victor. relect. de Simo. p. 1. num. 29. Ex hoc capite, peccare mortaliter Collatores beneficiorum, qui parati sunt ad dãda suis beneficia sine deliberatione.

8. Non ago de iis beneficiis, quæ iure patronatus laici, ad aliquos duntaxat è certa familia pertinent. Nam ea beneficia, citra acceptionem personarum illis conceduntur qui intra eam familiam inueniuntur digni, dimissis aliis extraneis, etiamsi dignioribus, vt statuitur cap. *decernimus* & c. *monasterium* 16. quæst. 7, quia liberum est vnicuique, dare sua bona quibus volet honestis conditionibus: ac proinde patronus laicus qui in beneficij fundationem suas facultates contulit, potuit non nisi sub ea conditione velle dare sua bona; vt beneficium suis duntaxat, dummodò dignis, quamuis non dignissimis possit conferri. Quod rectè cum Soto asserit Couar. reg. *peccatum* p. 2. §. 7. num. 5. & Vasques tract. de beneficiis cap. 2. §. 3. dubio 4. Less. cap. 34. de Iust. num. 58. Nec id tantùm valet pro patrono seu fundatore immediato, vt voluit Rebel. 1. p. l. 3. quæst. 4. conclu. 4. & Mald. de Iust. tract. 9. cap. 2. dub. 7. sed valet etiam pro successoribus eius; quippè qui idemmet ius habent quod primus fundator. Nec hoc in isto euentu tam singulare est, quin in aliis quoque nonnullis idem cernatur, ob rationes extrinsecas præponderantes rationi quæ ex maiore alicuius alterius candidati dignitate duci potuisset. Sic enim videmus, beneficia

in pleriſque regionibus non concedi niſi indigenis, excluſis externis tametſi dignioribus: quem vſum poſſe eſſe honeſtum, docent Val. 2.2.d.5.quæſt.7.p.2. & Torreſ.t.2.in. 2.2. diſp. 12. dub. 5. num. 13. Videmus item, Pontificem ex ſolo Cardinalium Collegio creari; non enim quod Sotus l. 3. de iuſt. quæſt. 6. art. 2. contendit, tenentur Cardinales digniorem ex tota Eccleſia ad munus illud deligere: ſed ſpectato vſu, per ſe loquendo, tenentur tantùm eligere digniſſimum inter ſolos Cardinales. Mirum igitur videri non debet, quod negauerimus, patronum laicum poſſe ſine culpa, ſolos conſanguineos ſuos velle præſentare, dummodò dignos, etiamſi non digniores; quod in patronatu Eccleſiaſtico, ſi beneficium ſit cum cura animarum, ſeruari non debere, ſed beneficium eſſe dandum digniori abſolutè, ſiue digniſſimo, ſanxit Trid. ſeſſ. 24. cap. 18. de reform. Seponamus ergo hæc beneficia.

9. At agendo de beneficiis in quæ nullum eſt ius vlli familiæ, ratione iuris patronatus laici, delatio eorum facta cognato, ſiue indigno, ſiue minus digno, tantùm quia conſanguineus eſt, ſordet acceptione perſonarum, vt affirmabam: eſtque grauis omninò culpa, & ob quam in Purgatorio multa paſſum Abbatem quemdam narrat De Roa Tract. de Purgat. cap. 4. ex libro de viris illuſtribus Ordinis Ciſtercienſis. Prodeunt ex hoc fonte innumera Eccleſiæ damna, & exitia animarum. Inde enim præſertim efficitur, vt Curatores animarum ac beneficiarij, hebetes deligantur; dum quiſque obnubilante affectu erga ſuos, eum promouet ad beneficium, qui minimè eſt ad illud idoneus. Nec rarò etiam promouentur, qui ad ſtatum Clericalem non inclinant. Cognati enim, ipſique etiam parentes, ne pingue quodpiam beneficium domo excedat, liberos tametſi repugnantes, aut præ metu repugnare non audentes, reipſa tamen inuitos, adigunt ad ſuſceptionem beneficij, quod conſanguineus paratus eſt deferre. Vnde poſteà contingit, vt nouus beneficiarius per vim & metum ſacris miniſteriis illegatus, probroſam ſæpè vitam exigat, & Eccleſiæ indecoram, ipſi denique beneficiario exitioſam. Eius igitur eſt, qui fideliter exequi velit munus concreditum, ſiue præſentandi, ſiue eligendi, ſiue quomodocunque promouendi aliquem ad beneficia, non reſpicere carnem & ſanguinem; nec adeò angi pro bonis Eccleſiaſticis intra familiam ſuam perpetuandis, vt vel indignum, vel minus dignum velit promouere; tantùm quia conſanguineus eſt, quod eſt acceptatione perſonæ ſordere, & ſe carni ac ſanguini metium prodere.

10. Notauit iampridem hoc probrum S. Hieronymus l. 1. in Iouin. numerans inter cauſas improbatæ electionis Antiſtitum, quod Pontifices [Affinibus & cognatis quaſi terrenis militiæ officia largiantur] ſacra munera. Idem notauit S. Baſilius in cap. 3. Eſaiæ ad illud *apprehendet homo fratrem ſuum, & propinquum patris ſui*. Memorata enim turbulentiſſima Principis electione ab Iſaia deſcripta, ait: [Proinde docet omnes intemperiem hanc turbulentam Reipublicæ concitaſſe, non vt eum deligerent qui præeſſe poſſet communi conſenſu & concordi animorum conſpiratione: ſed quia paſſim ſibi obuios apprehenderent. Non item eum eligerent, qui eſſet dignus ſed domeſticum, & familiarem. Neque qui ſalutaris eſſe poſſet Reipublicæ, ſed qui in ſua gente, ac familia, vi facultatum præpolleret. *Apprehendat enim* (ait) *homo fratrem ſuum, & domeſticum patris ſui*. Id quod abſit, vt contingat in creatione ac delectu præ-

ſidum

ſidum Eccleſiæ; ita & vnus aliquis è grege ac plebeius, æquè vilem apprehendat, nimirum qui indignus ſit nuptialis indumenti, qui priuetur decenti cultu, qui vndeuis emendicare cogatur ſpirituales epulas, & in domo ei non ſuppetant, hoc eſt in arcano receſſu cordis ſui non habeat panem verum, ac viuentem, qui confirmare poſſit cor hominis.] Non igitur tantùm videatur eligendus, quia eſt cognatus. Non ita Sancti & probati, cum penes eos eſt electio. Agnoſcunt enim ſacerdotum eſſe, Melchiſedeci exemplo eſſe ſine patre & matre ac genealogia, vt in hanc rem dixit Sarisberienſis l.4.polycrat.cap.3.

Moſis exemplum, aduerſus incarnatas Beneficiariorum neceſſitudines.

11. AEterna ſanè laude pleriſque antiquis digniſſimus viſus eſt Moyſes, qui non ſuæ familiæ ſplendori ſtuduit, cum Ducem populi ſibi ſufficiendum quæſiuit: ſed quem maximè idoneum ad id munus exiſtimauit, Ioſue filium Nun, abiectis hac in parte filiis ſuis duobus, & fratris item filiis, omnibúſque cognatis: quod elegantiſſimè expendit & ſuſpicit Philo l. de Charitate *initio.* Breuius Iſido. Peluſ. l. 3. epiſtola 289. verbis illis. [Cùm multis aliis nominibus virum Deo charum Moſem admiror ac ſuſpicio, tum hóc præſertim nomine, quòd cùm omni vitioſa affectione ſuperior eſſet, naturalem quoque charitatem vicit. Nam cùm duos filios haberet, qui quamuis ab eo procreati eſſent, tamen paternæ virtutis æmulos minimè ſe præberent, neutrum horum militaris ſui imperij ſucceſſorem inſtituit; verùm eum qui virtute potiùs, quàm genere ipſi coniunctus erat: virtutem nimirum, naturæ ad honeſti diiudicationem perſæpè cæcutienti anteponens. Nam qui æquum eſſe cenſent, vt à patribus ad filios imperia delabantur, ad veritatem hallucinantur. Honor quippè, non generi, ſed virtuti debetur. Neque enim Regis filium, ſi huiuſmodi munere indignus ſit, in huiuſmodi dignitatem adſcribere oportet: verùm eum qui regio animo præditus eſt, adminiſtrandique imperij ſcientiam concipere poteſt.]

12. Quod imperij duntaxat militaris meminit Iſidorus, non eſt accipiendum cum excluſione aliorum præterea munerum queis Moyſes fungebatur. Nam triplicem fuiſſe in vno Moyſe perſonam, nimirum Principis Politici, Sacerdotis, ſiue Pontificis extraordinarij, atque Prophetæ, tribus de Moſis vita libris expreſſit Philo. Quod ergo ſibi in filiis ſuis ſucceſſorem non dixit, neque à Deo popoſcit Moyſes; ſed tantùm rogauit vt quem maximè idoneum ad id munus agnoſceret, eum ſibi ſubſtitueret, inſignè planè documentum præbuit non accipiendi perſonam in negotio promotionis alicuius ad Sacerdotium, nec reſpiciendi ea in parte carnem & ſanguinem. Et diſertè quoad ſacerdotium, eandem excarnatam mentem prodidit Moſes; vt ibidem conſequenter oſtendit Iſido. Peluſ. ſic ſcribens. [Illud ſanè mitiſſimum illum virum luculenter oſtendit, quòd ne fratris quidem gratia & fauore ductus, ad Sacerdotij dignitatem obtulerit (nam qui eos, qui ex ipſius lumbis exorti fuerant, huiuſmodi honore afficiendos non duxerat, verùm naturæ vim, ac velut tyrannidem ſuperauerat, haudquaquàm profectò fauore adductus fuiſſet, vt fratrem Sacerdotij corona redimeret;) ſed diuinis oraculis obſequens. Ob eámque cau-

ſam, qui aduersùs eum rabido animo impetum fecerant, ac non diuino ſuffragio, ſed priuato animi iudicio, fratrem ab eo ſacerdotem deſignatum fuiſſe arbitrabantur; nouas, & inuſitatas pœnas pependerunt. Hi enim partim dehiſcente terra abſorpti ſunt, partim cœleſtis ignis ardore conflagarunt.]

Itaque neque Sacerdotium, neque cætera ſua munera, Moyſes homo auulſus à carne & ſanguine liberis ſuis expetiit. Mentiti autem ſunt Iudæi apud Abulenſem in cap. 9. Ioſue quæſt. 41. cum dixerunt, Moyſem expetiiſſe filiis ſuis ſucceſſionem in muneribus à Deo ipſi concreditis. Id enim manifeſtè eſt contra Scripturam, quæ Num. 27. teſtatur, id duntaxat rogaſſe Moyſem, vt Dominus dignaretur prouidere hominem qui eſſet ſuper populum. Indéque aperti mendacij reuincuntur iidem Iudæi, quod vt Philo l. de Charitate ratiocinatur nominato mox diuinitus Ioſue, non doluit Moyſes ob præteritos ſuos filios: ſed qua ſinceritate virum maximè ad tantam curam idoneum popoſcerat, eadem nominatum excepit gaudens, vt præ gaudio nihil de imminente iamque diuinitus denunciato obitu ſollicitus, Ioſue manum apprehenſum, ſumma cum hilaritate produxerit ad populum.

13. Ex hoc exemplo, S. Hieronymus in cap. 1. Epiſtolæ ad Titum, infert quàm præpoſterè ad Eccleſiaſtica munera eligantur ſanguine iuncti; vel in quibus alia elucet ratio eligendi, quàm idoneitatis maximæ ac meritorum. Tractans enim illud, *vt conſtituas per ciuitates Presbyteros*, ait; [Audiant Epiſcopi, qui habent conſtituendi presbyteros per vrbes ſingulas, poteſtatem; ſub quali lege Eccleſiaſticæ conſtitutionis ordo teneatur; nec putent, Apoſtoli verba eſſe, ſed Chriſti, qui ad diſcipulos ait, *Qui vos ſpernit, me ſpernit, qui autem me ſpernit, ſpernit eum qui me miſit. Sic & qui vos audit, me audit: qui autem me audit, audit eum qui me miſit.* Ex quo manifeſtum eſt, eos qui Apoſtoli lege contempta Eccleſiaſticum gradum non merito voluerint alicui deferre, ſed gratia; contra Chriſtum facere: qui qualis in Eccleſia presbyter conſtituendus ſit, per Apoſtolum ſuum in ſequentibus executus eſt. Moyſes amicus Dei, cui facie ad faciem Deus locutus eſt, potuit vtique ſucceſſores principatus, filios ſuos facere; & poſteris propriam relinquere dignitatem, ſed extraneus de alia tribu eligitur IESVS, vt ſciremus principatum in populos non ſanguini deferendum eſſe, ſed vitæ. At nunc cernimus plurimos hanc rem beneficium facere, vt non quærant eos in Eccleſia columnas erigere, quos plus cognoſcant Eccleſiæ prodeſſe: ſed quos vel ipſi amant, vel quorum ſunt obſequiis deliniti, vel pro quibus maiorum quiſpiam rogauerit: & (vt deteriora taceam,) qui vt Clerici fierent, muneribus impetrarunt. Diligenter Apoſtoli verba attendamus, dicentis; *Vt conſtituas per ciuitates presbyteros, ſicut ego tibi diſpoſui.* Qui qualis presbyter debeat ordinari, in conſequentibus differens, hoc ait: *Si quis eſt ſine crimine, vnius vxoris vir*, & cætera: poſtea intulit. *Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe.*] Indidem, poſt S. Iſidorum argumentatur Concilium Aquiſgranenſe ſub Ludouico Pio cap. 9.

14. Quia verò ante hos Doctores, perpulchrè omninò & diſtinctiùs veritatem in qua verſamur, ex propoſito Moſis exemplo intulerat Origenes, iuuat locum ex eius homilia 22. in Num. hîc adſcribere. [Videamus (inquit,) Moſis magnificentiam. Receſſurus de ſeculo, orat Deum vt prouideat Ducem populo.

populo. Quid agis Moyses? Nunquid filij tui non sunt Gerson, & Elzear? Aut si aliquid de ipsis dubitas, non sunt filij fratris, magni & egregij viri? Quomodò non oras Deum pro ipsis, vt eos constituat populo Duces? Sed discant Ecclesiarum Principes, successores sibi non eos qui consanguinitate generis iuncti sunt, nec qui carnis propinquitate sociantur, testamento signare, neque hæreditarium tradere Ecclesiæ principatum; sed referre ad iudicium Dei: & non eligere illum quem humanus commendat affectus, sed Dei iudicio totum de successoris electione permittere. Nunquid non poterat Moyses eligere principem populo, & vero iudicio eligere, & recta iustáque sententia, ad quem dixerat Deus, *Elige presbyteros populo, quos tu ipse scis presbyteros esse*: & elegit tales, in quibus continuò Dei Spiritus requiesceret, & prophetarent omnes? Quis ergo ita potuit eligere principem populi, vt Moyses poterat? Sed hoc non facit; non eligit, non audet. Cur non audet? Ne posteris præsumptionis relinquat exemplum. Sed ausculta quid dicit. *Prouideat* (inquit) *Dominus Deus spirituum, & omnis carnis, hominem super synagogam hanc, qui egrediatur ante faciem eorum, & qui ingrediatur, & qui producat eos, & qui reducat.* Si ergo tantus ille, ac talis Moyses, non permittit iudicio suo de eligendo principe populi, de constituendo successore; quis erit qui audeat, vel ex plebe, quæ sæpè clamoribus ad gratiam, aut ad pretium fortasse excitatis moueri solet, vel ex ipsis etiam Sacerdotibus, quis erit qui se idoneum ad hoc iudicet, nisi si cui oranti & petenti, à Domino reueletur? Sicut & Deus dicit ad Moysen, *Adsume ad temetipsum IESVM filium Naue, hominem qui habet spiritum Dei in semetipso, & impones manus tuas super eum, & statues eum coram Eleazaro sacerdote, & præcepta dato ei in conspectu totius synagogæ, & præcipe de ipso coram eis, & dabis claritatem tuam super illum, vt audiant illum filij Israël.* Audis euidenter ordinationem principis populi; tam manifestè descriptam; vt penè expositione non egeat. Nulla hic populi acclamatio, nulla consanguinitatis ratio, nulla propinquitatis habita contemplatio est. Propinquis, agrorum, & prædiorum relinquatur hæreditas: Gubernatio populi illi tradatur, quem Deus elegerit; homini scilicet tali, qui habeat (sicut scriptum audistis) in semetipso spiritum Dei. & præcepta Dei in conspectu eius sint, & qui Moysi valdè notus & familiaris sit, id est in quo sit claritas legis & scientia, vt possint eum videre filij Israël.] Hoc exemplum est imitatione exprimendum, ei qui in beneficij Ecclesiastici delatione velit ab acceptione personæ illimis esse, & infidelitatem erga Ecclesiam in re tam graui declinare. Eóque consilio ita se gessisse Mosem diuinitus præmonitum, ait Phil. Abbas l. de dignit. Cleric. cap. 8.

15. [Addò verò idem præstandum esse, vt obligatio restitutionis quæ sæpè incurrenda esset, deuitetur. Si enim quis promoueat indignum & muneri concredito inidoneum, tenetur ad restitutionem damnorum consequentium ex ea promotione, nisi is qui promotus est, & de damnis illatis primo loco tenetur, restitutionem ipsemet faciat: quæ est verissima sententia, cui subscribunt Couarr. reg. *peccatum* p. 2. §. 7. num. 2. Sotus l. 4. de Iust. quæst. 6. art. 3. ad 6. Less. de Iust. cap. 34. num. 73. passimque cæteri. Fateor obligationem restituendi non spectare digniorem; neque enim quicquam illi ex obligatione restituendum est, cum nullam propriè dictam iniuriam sit passus. Posito nam-

que quod beneficium non fuerit dandum per oppositionem propriam (in quo euentu restitutio facienda esset digniori, siue non admisso ad examen aut concursum, siue post hæc experimenta iniquè reiecto, vt rectè statuunt Rebellus 1.p.l. 3.quæst.5. num. 5. Nauarr. in summa c.17. num. 74. & Lessius cap. illo 34. num. 75. Ea inquam suppositione facta, dignior, siue ad munera beneficij aptior qui prætermissus est, nullam propriè iniuriam est passus per delationem beneficij factam minùs digno, vel etiam indigno, cum nullum ius haberet ad bona Ecclesiastica beneficio conserta, quippè non communia & vi iustitiæ distributiuæ diuidenda, vt malè censuit Vasq. tract. de benef. cap. 2. Sic enim beneficium pinguius semper dandum esset ei qui dignior esset spectatis antiquis meritis, vel subtilitate & doctrina: cum tamen constet dandum cuique esse id ad quod dignior, id est, omnibus pensatis aptior est. Sed quod rectè statuunt Couarr. supra num. 7. Soto quæst. illa 6. art. 2. Val. 2.2. d. 5. quæst. 7. p.2.§. 2. bona beneficio iuncta iis tantùm sunt addicta, qui muneribus defungerentur, quibus ea bona fuere coniuncta, tanquam congrua stipendia & antidora ministrorum officiis illis insistentium. Obligatio ergo restitutionis, cui obnoxium statuo eum qui promouit indignum, si ex ea promotione secuta sint damna, spectat Ecclesiam læsam. Hæc enim est quæ debitis ministeriis caruit, & damnum passa supponitur, ob indignam promotionem: atque ita ei facienda est restitutio.

Imago hæreditariæ successionis, labes altera transmissionis beneficij in cognatum.

16. Alterum, penes quod volebam pendi deformitatem traditionis vel acceptionis beneficij, factæ intuitu carnis & sanguinis, est imago hæreditariæ successionis. Non dico interuenire hæreditariam successionem: hæc enim nunc exoleuit, quamuis aliquando viguerit in Ecclesia; quod testatur illa Hildeberti epist. 53. agentis de Ecclesia Aluernensi. [Audiuimus, & vltra quàm credi possit, admirati sumus, in vestra matre Ecclesia, hæreditario iure Canonicas obtineri. Perniciosa hæc, & exhæredans hæreditas. Canonica namque, stipendium est gratiæ, non hæreditatis emolumentum: Perit autem gratia, vbi hæreditas principatur; vnde & hæreditate Canonicum fieri, exire de Ecclesia est, non Ecclesiam introire. Qui enim dicunt, *hæreditate possideamus Sanctuarium Dei*, nec hæredes sunt Dei, nec cohæredes IESV CHRISTI. Væ illis quando iudex sedebit cum senatoribus terræ. Væ (inquam) illis, quos tunc non ex altari vixisse, sed ex rapto verbere docebunt, non verba: obumbrata enim rapina est, ea quæ electionis sunt, hæreditate vendicari.] Reliqua tota epistola, in hac peruersitate exagitanda consumitur. Idem epistola 65. refert decretum Synodi Nannetensis contra has hæreditarias in beneficiis successiones. Luculentum exemplum malorum quæ huic hæreditariæ per carnem & sanguinem in beneficia aditioni inexistunt, & grauissimæ vindictæ qua Deus illam iam ex hac vita mulctat, suppeditauit S. Bernardus in vita S. Malachiæ, cum disserit de eius electione in locum Celsi Metropolitani, exclusa quorundam potentum progenie, quæ iampridem Hyberniæ Metropolitanam, occuparat, & ad alios transferri, non patiebatur. Hanc hæreditariam successionem

nem nunc Dei gratia exoletam & eliminatam; non vltra insequor: sed eius imaginem in aditione beneficiorum per limina sanguinis conspicuam.

17. Sed neque ea hæreditaria beneficiorum successio hîc exagitanda proponitur, quam in quibusdam Ecclesiis receptam videmus, vbi laici habent hæreditarios Canonicatus, aliásve dignitates, vt refert Molanus l. 2. de Cano. c. 49. Sic apud Veromanduos, Rex Francorum est hæreditarius Thesaurarius Ecclesiæ Sancti Quintini: & Lugduni in Ecclesia Metropolitana, duo primi Canonicatus sunt laicorum, alter Regis, alter Ducis Sabaudiæ, cuius Ecclesiæ ambo dicuntur Canonici. In eadem vrbe, Comes Turronius est hæreditarius Canonicus Ecclesiæ Sancti Iusti, Dominorum Turronensium Gentilis, qua de re extat transactio inita anno 1304. exscripta à Paradino l. 2. histor. Lugd. cap 102. sed quod magis mirandum est, in Belgio Comes Hannoniæ, est perpetuus Abbas Parthenonis Sanctæ Vvaldetrudis, abrogata dignitate Abbatissæ regularis, cuius prouentus Comiti Hannoniæ cedunt; init autem eorum possessionem per pedum, quod eidem in supplicationibus præfertur. Videsis Molanum l. 2. de Canonicis cap. 5. Hæ hæreditariæ successiones in beneficiis, non sunt illæ quas suscepimus explodendas. Reuera enim non sunt successiones in Ecclesiastico beneficio, nisi fortè titulo tenus; sed sunt aduocationes & protectiones Ecclesiarum illarum, aut patronatus & ius nominandi ad vnum illud beneficium, quod ipsis idcirco dicitur competere.

18. Non igitur successio vera, sed imago successionis hæreditariæ in aditione beneficiorum quæ hic exagitanda suscipitur, illa est quæ cernitur in aditione beneficiorum per limina cognationis & sanguinis. Hanc successionis hæreditariæ imaginem Conc. Trid. sess. 25. cap. 7. de reform. ait in re beneficiaria esse sacris constitutionibus odiosam, & patrum decretis contrariam. Sic enim constitutum legimus in Concilio Romano sub Hilaro Papa c. 5. [Nonnulli Episcopatum, qui nonnisi meritis præcedentibus datur, non diuinum munus, sed hæreditarium putant esse compendium: & credunt, sicut res caducas atque mortales, ita Sacerdotium, velut legali aut testamentario iure, posse dimitti. Nam plerique Sacerdotes in mortis confinio constituti, in locum suum feruntur alios designatis nominibus subrogare: vt scilicet non legitima expectetur electio, sed defuncti gratificatio, pro populi habeatur assensu. Quod quàm graue sit, æstimate.] Sensus Patrum qui Concilio intererant, & quantoperè eum agendi modum auersati sint, mox ibidem subiicitur, inter referendum epistolam Hispanorum ad Hilarum Papam. Alia aduersùs eam abusionem decreta, legi possunt cap. *ad hæc* de decim. & cap. *consuluit*, de iure patron. & cap. *ex transmissa*, de filiis Presbyterorum & cap. *Apostolica* 8. q. 1. quod est ex Concilio Romano sub Innoc. II.

19. His & aliis decretis Ecclesia contestata grauissimè est, quàm sit alienum à spiritu noui Testamenti, non modò per successionem carnis & sanguinis beneficia conferri, sed etiam par illius successionis imaginem. Quamuis enim in antiquo Testamento, sacerdotium cum semine prorogaretur, ob imperfectionem legis illius carnalis: Tamen in nouo, cuius sacerdos est secundùm ordinem Melchisedec, qui fuit sine patre & matre, & absque genealogia, congruum fuit, & sacerdotium & beneficia sacerdotio adiuncta, non ratione

sanguinis & carnis, aliquóve ad illa respectu, saltem per imaginem, sed ratione solius idoneitatis ad ministeria deferri. Ratio discriminis, præter alias quas profert Bellarminus l. de Clericis cap. 6. ducenda est ex eo quod sicut in Testamento veteri populus Dei propagabatur per carnalem generationem ex Iacobo, & sacerdotes illius legis in ouibus tantùm ac bobus, aliisque carnalibus hostiis mactandis occupabantur; ideóque per successionem corpoream ex vna stirpe propagabantur.: Ita in Testamento nouo, ob contrarias causas, congruum est ablegari successionem illam & hæreditarij sacerdotij formam. Christianus enim populus non propagatur per generationem carnalem, sed per spiritualem in Christo regenerationem. Nec sacerdotes eius immolant pecora & carnales hostias, sed adorant Deum in Spiritu & veritate. Itaque dedecuit Christianum sacerdotium, carnalis successio. Vndè *Clerici* dicuntur à *Clero* & *sorte*, qua in sacrum cœtum cooptantur, vt notat Philippus Abbas l. de dignit. Cleric. cap. 11. & 12. Atqui delatio illa beneficiorum Ecclesiasticorum ad personas eiusdem sanguinis, sapit successionem illam carnalem veteris Testamenti; & vt loquebamur superiùs ex Concilio Tridentino, præfert imaginem hæreditariæ successionis, cuius veritas vigebat in sacerdotio & beneficiis antiqui Testamenti. Igitur ablegandа est à nouo, quod non est carnale & hæreditarium quale erat Aaronis, sed secundùm ordinem Melchisedech: atque adeò durat in sempiternum, non carnali posteritate, non successione occidua, sed religione perpetua, vt loquitur Philip. Abbas l. de scientia Clericorum c. 23. & insigniter Ioannes Sarisber. l. 4. polycrat. cap. 3. Melchisedec (inquit,) quem primum Scriptura regem introducit, & sacerdotem, vt ad præsens mysterium taceatur, quo præfigurat Christum, qui in cœlis sine matre & in terris sine patre natus est: ille (inquam) nec patrem, nec matrem legitur habuisse, non quod vtroque caruerit, sed quia regnum, & sacerdotium de ratione non pariunt caro & sanguis; cum in alterutro creando patrum respectus, citra virtutum merita præualere non debeat; sed salubria subiectorum fidelium vota & cum alterutrius culminis apicem quisque conscenderit, obliuisci debet affectum carnis, & id solùm agere; quod subiectorum salus exposcit.]

Papa non potest sibi eligere successorem.

10. ET hinc petere licet germanam rationem vsus in Ecclesia receptissimi, quo etiam optimè confirmantur prædicta: videlicet quod in Ecclesia, Pontifex anterior non designet sibi successorem; ita vt si quis id tentaret, non modò illicitè faceret, sed etiam inualidè. Quamuis enim Victoria relect. 2 de potest. Eccles. quæst. 2. propos. 10. & Vasques 3. p. d. 244. n. 6. admittant talem subrogationem successoris à decessore fore validam, animáque Suares disp. 10. de fide s. 4. num. 16. pro aliquo tantùm raro euentu, & vrgente aperta necessitate Ecclesiæ: Tamen communiter Doctores, quos magno numero profert Comitolus l. 1. respons. q. 98. sequitúrque Mol. tract. 5. de Iust. disp. 4. num. 4. ac Torres. t. 1. in 2. 2. disp. 15. dub. 3. contrarium asserunt; fauente haud obscure Anacleto Papa dist. 79. c. vltimo. Omnes enim agnoscunt, eum designandi modum fore Ecclesiæ perniciosum, & ideo arcana traditione

traditione constare apud omnes videtur, contra Christi mentem fore talem designationem. Vnde quamuis in Romana sede, multi sederint carnis & sanguinis quàm par esset studiosiores, nemo tamen aggressus est nepotem sibi, aliúmve sanguine iunctum substituere: quod incredibile esset tentasse neminem, nisi persuasum esset, id fore irritum, quippè contra Christi institutionem. Nec verum est, Symmachum Papam tale quid molitum. Id enim falsò de eo iactatum, monstrat Baron. anno Christi 499. Æquè falsum est, Sanctum Petrum id fecisse circa Sanctum Clementem quanquam si id fecisset Petrus, factum illius ab instinctu extraordinario profectum, non esset in consequentiam trahendum. Reuera tamen non ita se gessit, vt Baro. anno Christi 69. ostendit, & ex Armachano Duuallius Tract. de Pontif. p. 3. q. 8. admittentes, Apostolum consecrasse quidem Sanctum Clementem in Episcopum; & fortassis eum collaudasse, & tanto muneri totius Ecclesiæ post se regendæ idoneum pronunciasse: (id quod æquè postea præstitere de aliquibus viris optimis, Gregorius VII. apud Baronium anno 1085. & Victor III. apud eundem anno 1087. & Cœlestinus III. anno 1198.) non tamen eum sibi substituisse & designasse successorem. Solus Bonifacius II. anno 531. cum coacta Synodo hoc aliquando tentasset, in fauorem Vigilij tunc Diaconi id ambitiosè captantis, quamuis prætextus videretur speciosus ad Gotthorum Regum in eam electionem inuolantium præuentionem: tamen & Bonifacius ipse, & Patres cum eo congregati id postea improbarunt, & Sanctus Syluerius Papa epistola ad Vigilium in idipsum conclamauit. Germana ergo ratio diuinæ huius circa Pontifices summos institutionis, eruenda est ex fundamento iacto: successionis scilicet sacerdotij ablegatæ à Testamento nouo. Eam itaque diuinam institutionem conuellere nituntur, qui imaginem hæreditariæ successionis inducunt in Ecclesiam, beneficiis intra eandem familiam quasi perpetuatis, & longa serie, ratione solius consanguinitatis, à patruo ad nepotem cognatúmve delatis, non secus ac deferuntur auita prædia & hæreditates.

Macula Coadiutorum hodiernorum.

21. HAnc ipsam denique ob causam, Ecclesia in Concilio Tridentino sess. 25. cap. 7. de reform. contestatur displicere sibi quas vocant Coadiutorias, quæ ferè sunt inuentum prorogandi idem beneficium cum specie hæreditariæ successionis, intra eandem familiam; & quidem olim constat ex optimo fine vsurpatam plerunque esse huiusmodi creationem adiutoris ministri sacri, vt senex aliàsve inidoneus minister subleuaretur. Qua ratione Valerius Episcopus Hipponensis, homo Græcus, cum esset parum aptus per ignorantiam Afri & Latini idiomatis ad iuuandos Hipponenses, acciuit sibi maturè adiutorem, Sanctum Augustinum de consensu Primatis Africæ, Episcopi Carthaginensis, vt narrant Possidius in Augustini vita cap. 8. & Bles. epistola 44. ac Baronius anno 395. num. 31. & 32. habetúrque etiam ex ipso Sancto Augustino epistola 34. & 36. ac 110. & pulchrè ex Sancto Paulino epistola 46. quæ est ad Romanianum. Alij item Sancti Episcopi, non dissimiliter aliquando se gesserunt. Admodum antiquus Coadiutor, fuit Alexander confes-

sionis titulo clarus, diuina reuelatione ad Narcissum senem subleuandum euocatus, vt scribit Eusebius lib. 6. c. 9. De Anatolio Episcopo Laodiceno, & eius Coadiutore Theotecno, mentio est ibid. l. 7. cap. 28. S. Athanasium eodem munere aliquando esse perfunctum, Sanctus Cyrillus autor est Epistola ad Monachos Ægypti. Sanctum Gregorium Nazianzenum patri suo in Episcopatus rectione adiutorem fuisse, ob infirmitatem patris, habent eius Acta. Eidem adiutor ascitus, cum præ senio & ægritudine, egeret subleuatione, ex Ruffino l. 11. S. Gregorius Episcopo Arriminensi Coadiutorem dedit l. 7. in dist. 2. epistola 49. Et idem sanxit l. 11. epist. 7. S. Agricolus Auenione S. Magno datus est Coadiutor, sicut postea, ipsi S. Agricolo, S. Veredemus Anachoreta. Leydradi Lugdunensis Coadiutor fuit S. Agobardus. Eodem loco habet Thomas Campegius Opusc. de Coadiutore Episcoporum, omnes illos Episcopos qui ab Antecessore leguntur designati in successores, præsertim si viuente prædecessore fuissent consecrati, quod indultum fuisse Sancto Bonifacio à Zacharia Papa habetur c. *petiisti* 7. q. 1. Sanctum Auguinum designasse sibi successorem, habetur ex ipsomet post epistolam 109. Æquè Sanctus Athanasius successorem sibi viuus designauit, teste Ruffino l. 11. histor. c. 3.

22. Verùm propriè loquendo, aliud est designare successorem, aliud assumi in Coadiutorem. Nam Coadiutor, (vt fert ipsa vox), in partem laborum venire debet, iam nunc & viuente ac Episcopatum moderante eo qui assumit alium in Coadiutorem. Successor autem designatus, præcisè prout talis, non se immiscet rectioni Episcopatus superstite eo à quo est designatus. Quæ tamen ferè est hodierna praxis Coadiutorum. Nam olim quidem Coadiutores tantùm dabantur, vt essent quod dicebantur: hoc est subleuatores Antistitis fessi, aut senio grauati, vel infirmi. Nunc autem ferè semper ita res agitur, vt manifestissimè appareat aliud non quæri, quàm perpetuationem beneficij inter consanguineos, verè arietes absque cornibus, caudis autem profusissimis, vt iocatur Maiolus Dialo. 7. cum de ouibus caudatis. Nam vegeto adhuc & robusto Antistiti, iuuenis & ministerij sacri planè rudis nepos, aliúsve ex familia allegitur; specie quidem & titulo inuaudi, cæterùm omni planè ministerij parte negata, saltem vt plurimum. Qua ex causa, huiusmodi Coadiutores non esse beneficiarios, quia non habent nisi ius ad beneficium, sicut filius Regis habens ius ad futuram successionem, non est Rex, & spirituales Cæsares, & secundarios vocat Concordia Regularum ex regula Magistri cap. 4. §. 4. Vnde sicut qui Cæsar dicitur non est Imperator nisi designatus, ita nec Coadiutor est beneficiarius, vt affirmat Suar. l. 4. de orat. cap. 22. 19. Addit Suares ita declaratum esse à Paulo VII. anno 1606. Et inde infert, Coadiutorem huiusmodi præcisè vi Coadiutoriæ, ad nullam officij Ecclesiastici recitationem teneri. Id quod habet etiam Nauar. cap. 2. de orat. num. 18. quamnis enim concessio Coadiutoriæ, sit concessio beneficij sub conditione obitus beneficiarij, ideóque ea conditione posita, Coadiutor absque noua collatione accipiat beneficium; ac proinde Coadiutoria æquè sit materia simoniæ ac beneficium; ac proinde Coadiutoria æquè sit materia Simoniæ ac beneficium, vt rectè asserit Suar. l. de Simo. cap. 27. num. 5. & cum Maldero, Filliucio, & Garcia Bonac. quæst. 4. de Simo. num. 16. tamen vsque ad impletionem conditionis,

conditionis, collatio est quasi pendens, nec perficitur ante appositionem illius. Ac proinde licet vulgò, Coadiutor Canonici denominetur Canonicus, & Coadiutor Episcopi dicatur Episcopus; neuter tamen vi Coadiutoriæ est quod dicitur; sed tantùm propter Spirituale ius ad succedendum, & certam aliquando adeptionem beneficij, subit eam denominationem. Itaque manifestum est quod dicebam, huiusmodi Coadiutorias non spectare nisi certam successionem Coadiutoris. Et cum vt plurimum, assumantur in Coadiutores qui consanguinei sunt, meritò Tridentinum agnoscit in his coadiutoriis imaginem hæreditariæ successionis, easque ab Ecclesia ablegandas decernit. Et carò stetisse Sancto Vdalrico Augustano Episcopo, quod Adalberonem ex sorore nepotem, asciuisset Coadiutorem, habent Acta sancti illius Antistitis.

23. Obsignet hanc Ecclesiæ calamitatem pia querela Petri Blesensis carm. de lucta carnis & Spiritus.

Ructare querimoniam,
Horrenda quæ committimus:
Supernæ Sion filiam,
Ad quæstum prostituimus.
Ioseph Eunucho vendimus,
Erigimus Dagon in arca gloriam,
Aurique color optimus
Versus est in scoriam.
Ascensurus in ardua
Crucem in dolo baiulat;
Erecta demum statua,
Nepotum turba pullulat.
Quos variis Ecclesiis:
Intitulat his influens
Superflua dissimulat,
Quod vir honestus exulat
Non implet vasa vacua
Sed plena supercumulat.

Diuinas maledictiones & reuelationes, damnatorum eam ob causam, quod cognatos ad beneficia promouissent, vel à cognatis promoti essent, habet Ludolphus in Opere de Christi vita 1. p. cap. 68. Nec pauca in eiusdem modi agendi iniquitatem, Aluarus Pelagius l. 1. de planctu Ecclesf. artic. 15. *Litera M.* Peraldus tract. de Auaritia cap. 8. Binsfeld. in cap. 12. de Simonia q. 3. quæ ego prudentibus lectoribus diiudicanda permitto.

tus à beneficio ad beneficium, etiam à curato, est reprehendendus: quia neque iure positiuo beneficiarius alligatur in perpetuum eidem beneficio; neque iure vllo naturali. Quo enim? Analogia certè cum coniugio carnali, multis ex capitibus claudicat, vt rectè ostendit Suares tract. 7. de relig. lib. 1. cap. 16. num. 19. Et quanquam ritus consecrationis Episcopi, ferre videatur, coniugium ab Episcopo iniri cum sua Ecclesia; idque perspicuè nec ineleganter prosecuti sint S. Euaristus Papa epistola 1. & Calixtus epistola 2. & refertur cap. *sicut alterius* 7. quæst. 1. necnon Innocentius III. cap. *inter corporalia* de translat. Episcoporum, ac Petrus Dam. Opusc. 17. c. 3. inde inferens Episcopum incontinentem esse incestuosum: Tamen hæc omnia mysticè accipienda sunt, nec nisi ad significandum, quàm deceat non abscedere temerè, & sine grauissima causa, & quoad Episcopatus iniussu summi Pontificis, à semel susceptis alicuius Ecclesiæ gubernaculis, vt ferunt multa iura quæ addensat Vasq. 3.p.d.241. cap. 2. Quod igitur transitus ille & desultus à beneficio in beneficium, non nisi ob escam auaritiæ & pinguiorem censum, neglecto maiore & vberiore fructu animarum qui in priore beneficio sperari poterat, sit vitiosus; nemo diffiteri potest. Estque hac in parte valdè culpanda multorum ambitio & cupiditas, in illud duntaxat intenta, vt aggreget circa se densum lutum. Absolutè tamen, & cæteris paribus quoad fructum animarum & Dei gloriam, labe vacat non sistere intra idem beneficium, & captare pinguius. Itaque de hoc non ago, sed de fraudulenta aditione beneficij, vt postea deseratur, & ad seculum reueniatur.

Fraudulenta aditio beneficij simplicis absque sacri ordinis annexione, venialis, cum ea annexione, mortalis.

3. Circa hanc verò beneficij fraudulentam aditionem, supponendum in primis est, non posse ex eo depreciari quod sit inualida, & beneficiarium sic promotum reddat beneficij inuasorem, vel intrusum in illud. Non enim ita est: sed non obstante illa intentione, penes quam hæc beneficij aditio potest mala & inordinata esse, saluus est illius valor, vt rectè docet Nauar. c. *quando* de consecr. dist. 1. cap. 21. num. 48. & Sanches l. 7. de Matr. disp. 45. num. 4. ac Lessius cap. 34. num. 133. Et ratio est perspicua. Nam intentio non hærendi in Clericatu, non tollit voluntatem suscipiendi beneficium: & aliunde nullo iure aut decreto Ecclesiæ cautum est, ne ea promotio sit valida. Itaque cum iure naturæ valida sit, & nullo positiuo iure irritetur, indubitatum esse debet, verè acquiri beneficium, non obstante ea intentione; siue sit beneficium simplex, siue sit cum cura animarum, de quo est maior difficultas, quoad pleraque puncta huius materiæ, vt videbimus.

4. Sic supposita validitate aditionis fraudulentæ, vt culpam qua inquinatur exponamus, distinguendum est de beneficio simplici & curato. Et beneficium quidem simplex, vt ab eo ordiamur, vel habet annexum ordinem sacrum, vel non habet. Tunc dicitur beneficium simplex habere annexum ordinem sacrum, quando iniicitur beneficiario obligatio obeundi ministerij alicuius, quod absque sacro ordine exerceri non potest. Fraudulenta aditio beneficij simplicis

non habentis annexum ordinem sacrum, & cum animo postea recedendi à statu Clericali, ineundique coniugium, iuxta graues plerosque Doctores, est peccatum mortale. Ita Nauar. Miscell. 44. de orat. num. 2. cui subscribit Binsfeldius in Enchir. parte 4. cap. 1. conclus. 7. Toletus l. 3. instruct. cap. 18. num. 4. & l. 5. cap. 5. num. 5, Gutier. l. 2. qq. Cano. cap. 5. num. 25. & Marchinus tract. 1. de ordine parte 9. c. 1. num. 18. Idemque videtur sentire Soto, tametsi subobscuriùs loquitur 16. de Iust. q. 5. art. 6. quæ sententia non vacat probabilitate. Cum enim beneficia sint instituta ad personas statui Clericali addictas sustentandas, manifesta est peruersio, suscipere beneficium, eiúsque fructus percipere, absque animo hærendi in eo statu, cui beneficium, & eius commoda alligata sunt ex mente fundatorum beneficij. Et quamuis sententia contraria, quæ negat in ea talis beneficij aditione interuenire culpam mortalem, sit probabilior; eamque tueatur Sanchez l. 7. de Matr. d. 45. num. 19. annuátque Less. l. de Iust. c. 34. num. 132. dummodò finis voluntatis sic operantis sit honestus; secus si finis esset, splendidè interim viuere ex bonis beneficij: Negari tamen non potest, quin etiam ex fine alioqui honesto id velle, contineat culpam venialem, vt iidem autores fatentur ob rationem propositam. At peccatum veniale, tametsi leue, huiusmodi tamen est iuxta doctrinam certissimam Sancti Anselmi, vt etiamsi orbis vniuersus euertendus esset, & omnes animæ addicendæ inferno, totque & tanta mala possent præcludi admissione vnius culpæ venialis; permittendum potiùs esset vniuersale orbis excidium, & animarum omnium exitium, quàm vel leuiculum veniale peccatum admittere, quo omnia illa mala præcludi posse supponantur.

5. Iam quoad aditionem beneficij simplicis annexum habentis ordinem sacrum, communis & certa sententia asserit, mortale esse tale beneficium suscipere, cum animo absoluto recedendi postea à statu Clericali. Ita Tol. l. 4. Instruct. c. 18. n. 6. & l. 5. c. 5. num. 5. Sotus l. 11. de Iust. q. 5. art. 6. Ludo. Lopes 1. p. instructo. c. 256. Sanches 7. de Matr. d. 45. num. 14. & Vasques de benef. c. 3. num. 36. Et ratio est, quia quilibet iure naturæ tenetur curare vt sit idoneus ad munus quod suscipit. Atqui inter idoneitates beneficij de quo agimus, est susceptio ordinis sacri. Non igitur debet auerti animo ab ordine sacro, & habere animum resiliendi à statu Clericali; atque adeò non suscipiendi ordinem annexum cum beneficio quod suscipit. Quæ ratio monstrat, æquè peccare mortaliter eum, qui voluntate non fixa sed dubia perstandi in Clericatu, susciperet beneficium de quo agimus. Qui enim ita se gereret, non haberet affectum ad sacrum ordinem beneficio annexum, qualem habere debet. Si tamen haberet voluntatem suscipiendi ordinem sacrum, & peristandi in Clericatu, dummodò omnia maneant immutata, nec ita varientur, vt futurum sit ei felicius deserere Clericatū & addici seculo v. g. nisi frater primogenitus moriatur; sitque ipse futurus hæres; vel nisi fratre obeunte, familia periclitetur extingui, si ipse insistat statui Clericatus; Sic Nauar. Miscell. 45. de orat. n. 5. Lop. 1. p. Instructo c. 255. Less. c. 34. n. 131. & Sanches disp. 45. citata n. 14. concedunt in ea voluntate nullū esse peccatum, quia verè est voluntas assumendi sacrum ordinē beneficio annexum; quamuis addatur conditio quæ non tollit veritatem aliqualis intentionis præsentis, minùs quidem perfectæ quàm foret intentio absoluta; tamen actualis & veræ suo modo.

6. An

6. An autem is qui beneficium de quo agimus fraudulenter suscepit, absque animo scilicet perstandi in Clericatu, atque adeò ordinem sacrum beneficio annexum suscipiendi, proindéque peccauit mortaliter sic adeundo beneficium vt diximus: faciat suos fructus illius temporis quo beneficium fraudulenter initum retinuit; aut ita faciat suos, vt non perstans in Clericatu, teneatur ad eorum restitutionem, ambigui iuris est. Et quanquam non est improbabile, beneficiarium de quo agimus, fideliter ministrando in beneficio fraudulenter inito, pro tempore quo illud retinet, non teneri ad fructuum perceptorum restitutionem, quod docent Soto l.10. de Iust. quæst.5.art.6. Tol. 4. Instruct. cap. 18.num.4.& l.5.cap.5.num.5.Lopes 1.p.instr.cap. 256. Vasq. de benef. cap.3. num.36. Marchinus tract.1. de ord. parte 9. cap. 2. num. 20. Nauar. in summa cap. 25. num. 118. Sa v. *beneficium* num. 38. & Sanches 7. de Matr. d. 45. num. 13. Tamen aliorum grauium autorum sententia est, talem beneficiarium comprehendi decreto capitis *commissa* de elect. in 6. vbi qui ad parrochiale beneficium fraudulenter promotus fuerat, absque animo perstandi in Clericatu, & sumendi intra annum sacros ordines, damnatur restitutione fructuum perceptorum. Et ratio redditur, *cum eos receperit fraudulenter*. Ea porrò ratio, æquè militat in re nostra, tametsi beneficium de quo agimus sit simplex. Æquè igitur fraudulentus huius beneficij captator, tenebitur ad fructuum perceptorum restitutionem. Et ita asserunt Gabr. in 4. d.15. q.8. art. 3. dub. 1. Adria in 4. tract. de restit. quæst. de dispensat. reddituum beneficij §. *pro responsione*. Rebuffus in praxi benef. tit. de non promotis intra annum num. 83. Gratias de benef. parte 7. cap.4.à num.37. Graffis p.1.decis.l.2. cap.97. num.55.

Beneficij curati fraudulenta aditio, cuiusmodi.

7. VEnio ad beneficium curatum fraudulenter aditum. Vbi agendum est primò, de eius aditione ex voluntate deserendi statum Clericalem, continuata vsque ad anni finem quo beneficium vacabit ni beneficiarius sit factus sacerdos; itémque de voluntate sin minus toto anno continuatâ, at saltem aliqua temporis parte peruersa. De aditione autem ex voluntate perstandi in Clericatu, aut dubia, aut conditionata, dicendum est vt in priore puncto, nempe voluntatem dubiam, cum non sit vera voluntas; esse mortalem, & obnoxiam restitutioni fructuum perceptorum, voluntatem autem conditionatam esse innoxiam. Agendo igitur de aditione beneficij ex voluntate plane fraudulenta toto anno, Hæc aditio est manifestè mortalis. Est enim contra legem Ecclesiasticam iustam, & grauiter obligantem, quæ extat cap. *licet canon.* de elect. in 6.& ita statuunt Toletus l.5.Instruct. cap.5. num.5.Nauar.in summa c. 25.num.118. Sanches l.7. de Matr.d:45. num. 5. Soto l. 10. de Iust. quæst.5.art.6. Angelus v.*Clericus* 7. num.5. Sylu. v. *beneficium* 3.q. 2. Vasq. de benef. cap. 3. num. 30. Nec desunt ex his Doctoribus, qui negent talem beneficiarum acquirere dominium fructuum. Ita enim affirmant Soto & Syluester; quod Sanches post Nauarrum improbat, ob verè comparatum beneficij titulum. Illud tamen certum apud omnes est, talem beneficiarum teneri ad re-

ſtitutionem fructuum illorum; tametſi verè factus eſt dominus. Ex quo ſequitur, vt ſi illos dederit, & extent apud aliquem, donatarius non ſit obligandus eos reſtituere, quamdiu beneficiarius manet potens ad reſtituendum; quia rem accepit à vero Domino. Tamen ea veri dominij comparatio, non liberat talem beneficiarium obligatione reſtituendi fructus perceptos (deducto tamen ſtipendio quod perſolutum eſt Vicario, beneficij curati miniſtro.) Quam obligationem iniicit caput *commiſſa*, de electio. in 6. vbi in defectum beneficiarij, eadem reſtitutionis obligatio iniicitur Collatori conſcio peruerſæ voluntatis, cum qua hoc beneficium adibatur à fraudulento beneficij candidato. Et cum hæc ſit expreſſa capitis citati deciſio, nemo Doctorum refragatur. Addúntque non pauci quos allegat & ſequitur Sanches diſp. illa 45. num. 3. hanc reſtituendi obligationem, tametſi pœnali lege videatur inducta, vigere tamen ante omnem ſententiam: quia iniecta eſt ad compenſationem damni quod Eccleſia ſubit per eam fraudulentam ſuſceptionem beneficij, cum ea tacita conditione collati, vt fructus percepti ſint reſtitutioni obnoxij, ſi deſit ea voluntas perſtandi in ſtatu Clericali; & adeundi intra annum ordinem ſacrum quæ voluntas depoſcitur ab eo qui beneficio curato donatur, ne poſt annum beneficium vacet cum Eccleſiæ incommodo. Sicut cum res venditur ea conditione, vt ſi tale quid contigerit ſit inempta, poſita conditione, contractus reſoluitur, & euaneſcit.

8. Si tamen initio cum vera ſacrorum ordinum ſuſcipiendorum voluntate adiuiſſet beneficium, quam voluntatem poſtea intra annum mutaſſet, rediens ad ſeculum: Tunc quidem non eſſet obnoxius reſtitutioni fructuum, pro rata temporis quo ſyncerè voluit intra annum ſuſcipere ordinem ſacerdotij: quia verè pro illo tempore caruit fraudulenta voluntate, quæ ſola mulctatur neceſſitate reſtituendi; Eſſet tamen obnoxius reſtitutioni fructuum perceptorum poſtquàm voluntas mutata eſt & facta fraudulenta, vt rectè aſſerit Sotus l. 10. de Iuſt. q. 5. art. 6. Tol. l. 4. Inſtruct. cap. 18. num. 4. Gutierres l. 2. qq. Cano. cap. 5. num. 25. & alij, contra Nauarrum in ſumma cap. 25. num. 118. v. *decimo* Leſſium cap. 34. num. 134. Lopem p. 2. inſtructo. conſc. cap. 105. Sanchem l. 7. de Matr. diſp. 45. num. 11. qui alios adducit. Sed mihi ratio capitis *commiſſa*, apertè videtur hic locum habere. Nam ex quo abiecit primam voluntatem ſyncetam, recipit fructus fraudulenter: Ex eodem porro capite *commiſſa*, expreſsè habetur, ſi intentio initio fuerit fraudulenta, poſtea verò mutato conſilio ſit facta recta, & reipſa ſuſceptum ſit ſacerdotium intra annum, quia nullum eſſet illatum, ſed tantùm intentatum Eccleſiæ damnum, nullam iniici obligationem reſtituendi fructus tempore malæ voluntatis perceptos: quanquam id quoque faciendum eſſe ſenſerunt Soto art. illo 6. & Tol. l. 1. inſtruct. c. 5. n. 5. Sed rectè reclamant Lopes 1. p. inſtruct. cap. 115. *in fine* Leſſius cap. 34. n. 135. & cum aliis Sanchez diſp. illa 45. num. 7. qui n. 9. addit, ſi viceuerſa, primùm quidem voluntas fuerit fraudulenta, poſtea fuerit recta, & tandem reuenerit ad primam obliquitatem & peruerſitatem in qua conſummatus ſit annus, omnes fructus, etiam qui tempore rectæ voluntatis collecti ſunt, reſtituendos eſſe, quod eſt veriſſimum, quia non obſtante ea voluntate intermedia, tamen ob ſubſequentem mutationem Eccleſia ſubit damnum, ratione cuius iniecta eſt huic,

huic fraudulentæ voluntati necessitas restituendi. In anni siquidem fine, beneficium vacabit, cum Ecclesia putaret se habere ministrum fixum; quod non potest absque damno Ecclesiæ accidere.

9. Obstruatur igitur in beneficiariis cupiditatis ostium, per quod fraudes & doli subeunt; nec eo duntaxat animo inferant pedem in domum Dei, vt per aliquod tempus potiantur beneficij fructibus; mox regressuri; & cum Spiritu in speciem cœperint, carne consummandi; ac missa ad aratrum manu retrò respecturi; sed vel prorsus abstineant beneficij aditione; vel syncerè illud adeant, cum voluntate actuali ac præsenti in eo perstandi, absque regressu ad vitam laicam; saltem nisi mutato rerum statu aliquid contingat improuisum, quod consilij mutationem honestare, & immunem à labe præstare queat.

CAPVT QVINTVM.

De vitiosa Beneficij & bonorum eius captatione, ob peruersum, vel non satis purum captantis finem.

1. NON est prætereunda labes alia, ei quam proximè exposuimus continens atque contermina; tametsi non occasione alterius, sed suimetipsius, ab adeunte beneficium concepta. Ferè enim qui ad modum prædictum beneficia ad tempus sibi habent; commodum quærunt suorum, in quos postea per ætatem aliterve habiles transferant beneficium. Itaque sic captando beneficium, inquinant se occasione aliorum quos charos habent. At est etiam alia labes admodùm communis, vt iam olim dixit Aluarus Pelag. l. 2. de planc. Eccles. artic. 28. *litera A.* quam contrahit beneficiarius, cum beneficium sibimet habere in perpetuum quærit, si intentione quærendi ducatur, vel peruersa, vel non pura.

Duplex illaudata captandi Beneficij intentio, iuxta Bernardum.

2. HOc quid sit, placet verbis S. Bernardi exponere, vt locupletius sit testimonium. Sic igitur habet S. Bernardus de hac rediſſerens in Declam. ad Clericos. [Quis ea intentione: gradus Ecclesiasticos, & ministeria Sanctuarij quærit, imò quæritur; (quæri nempè, quàm quærere ipse debuerat) vt sine curis seculi, in sanctimonia cordis & corporis, illuminandus accedat ad Dominum, & suam pariter ac proximorum operetur salutem, orationis studio deditus, & verbo prædicationis? Nam si eos, eo quærit aut tenet animo, eóque intuitu, vt huius vitæ habeat necessaria, euangelizat vt manducet, & peruerso nimis ordine, cœlestibus terrena mercatur. Quàm certè dignius, ampliúsque consentaneum rationi; vt pro carnali victu, carnalia magis opera, & negotia exerceret, nec fieret inuersor rerum, aut inhonoraret ministerium spirituale: Sed modico est natura contenta, nec multi sola in his

necessaria quærunt; quippè minori facilè satis obtinenda periculo. Honorati incedere volunt, placere student hominibus, delectari, & superbire, & huic seculo per omnia conformari. Audi querelas Domini, quid super hac tanta hominum temeritate loquatur patiens redditor, pœnitentiam cupiens potiùs quàm vindictam. *Ipsi* (inquit) *regnauerunt, & non ex me, principes extiterunt, & ego non vocaui eos.* Vniuersos siquidem in ordinibus Ecclesiasticis, cæterísque ad Sanctuarium pertinentibus, honorem quærentes proprium, aut diuitias, seu corporis voluptatem, postremò quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi, manifestè prorsus & indubitanter, non ea quæ Deus est Charitas, sed aliena à Deo, & quæ omnium radix malorum, cupiditas introducit. Quid istud temeritatis, imò quid iasaniæ est? Vbi timor Dei, vbi mortis memoria, vbi gehennæ metus, & terribilis expectatio illa iudicij? Sponsa nec cubiculum, nec cellam ingredi nisi rege introducente præsumit; tu irreuerenter irruis, nec vocatus, nec introductus? *Trahe me post te* ait illa, *in odorem vnguentorum tuorum curremus* Nunc autem trahit sua quemque voluptas, & odorem turpis lucri sectantes, quæstum æstimant pietatem; quorum certa est damnatio.]

Prior vt sustentatio de altari suppetat, sordida,

5. DVplicem in his Beati Bernardi verba, intentionem captantis beneficium licet secernere; vnam minùs puram, alteram peruersam. Prior est, qua quis ex beneficio pasci quærit. Posterior qua quærit, ex beneficio quæ sua sunt vltra honestam sustentationem; nempe abundantiam opum, vt per eas irrepat ad honores & voluptates. Priorem intentionem euangelizantis, vt manducet, S. Bernardus, notat nimis peruersi ordinis & inhonorationis ministerij Spiritualis, quod fœdè impenditur quærendis carnalibus: cum tamen par sit non spiritualia carnalibus seruire, sed potiùs carnalia spiritualibus. S. Thomas quodl. 8. art. 10. damnat eam intentionem Simoniæ, & subscribit Binsfeldius in Enchir. p. 4. c. 4. concl. 8. cum multis Iurisperitis, Videtur tamen S. Thomas sententiam eo loco traditam retractasse 2. 2. quæst. 100. art. 1. ad 5. exigens ad rationem Simoniæ, pactionem, quæ hîc deest, vt notat Lessius cap. 35. de Iust. num. 10. & quod plus est, deest hîc ratio pretij quæ absque pacto ad Simoniam mentalem sat esset, in ea captatione spiritualium ob temporalia & carnalia. Est tamen in ea præposterus ordo, admisceturque quæstus turpis intentio, qualem ab Ecclesiasticis abesse volebat Apostolus damnans turpis lucri cupidos, eosque promoueri in Episcopos vetans. Fateor, iustè, & sine cuiusquam alterius ac ne pauperum quidem iniuria, posse accipi à beneficiario sustentationem suam ex bonis Ecclesiæ, etiam totam, perinde ac si pauper esset, nec alia vlla bona suppeterent, quod infra pleniùs prosequar. Certum tamen est, quod ea minimè iniusta acceptio, non est idoneus finis captationis beneficij, cum sit finis admodùm imperfectus, & præposterè per tale medium captatus, nec possit sic intendi absque aliquo peccato. Et hoc esse *salutare per viam*, quod Christus ministros Euangelicos vetabat facere, sic tradit. S. Gregorius hom. 17. in Euang. [Omnis qui salutat in via, ex occasione salutat itineris, non ex studio optandæ eiusdem salutis. Qui igitur non amore æternæ patriæ,

patriæ, sed præmiorum ambitu, salutem audientibus prædicat, quasi in itinere salutat: quia ex occasione, & non ex intentione salutem audientibus exoptat.] Idem Sanctus Gregorius 23. mor. capite 26. sic se habentes, comparat turbis Christum propter panem quærentibus, & idcircò reprehensis. [Sicut (inquit) in Euangelio Dominus turbis se sequentibus dicit; *Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus meis, & saturati estis.* De septem enim panibus fuerant satiati. Et per eorum personam, Dominus illos intra sanctam Ecclesiam detestatur, qui per sacros ordines ad Dominum propinquantes, non in eisdem ordinibus virtutum merita, sed subsidia vitæ præsentis exquirunt: nec cogitant quid viuendo imitari debeant, sed quæ compendia percipiendo, satientur. Satiatas quippè de panibus Dominum sequi, est de sancta Ecclesia temporalia alimenta sumpsisse. Et non pro signis est Dominum, sed pro panibus querere, ad religionis officium, non pro augendis virtutibus, sed pro requirendis subsidiis inhiare.]

4. Quamuis autem diffiteri non liceat, quin ea sordida spiritualium pro corporalibus captatio, sit imperfecta & aliquatenus vitiosa: tamen S. Bernardus non videtur eam damnasse mortalis culpæ. Neque enim ait de ea, quod postea dicit de iis qui ad superflua de bonis beneficij adiicientes oculum, quærunt beneficium; quorum ait certam esse damnationem. Itaque tantùm videtur eam beneficij intentionem, vt suppetat vnde vita toleretur, damnare venialis peccati, & magnæ imperfectionis. Quæ videtur etiam sententia Nauarri tract. de redit. quæst. 1. monito 24. num. 5. & fusè Miscell. 41. & 42. de Orat. cui iudicio placet subscribere, neglecta austeriore censura Carthusiani l. de plural. benefic. art. 15. & Petri Ioannis Oliui Ordinis Minorum, quodlibeto 7. quæst. 8. §. *primò videndum*, vbi reum faciunt mortalis peccati, eum qui beneficium duntaxat sufficiens quærit vel accipit, non intuitu spiritualis boni seu diuini obsequij, (vt scilicet habeat vnde quietius Deo inseruiat, aut per quod spirituali proximorum bono se impendat;) sed præcisè intuitu commodi temporalis, aut subsidij corporalis, tametsi non excedentis necessariam mensuram. Idemque censent Marchinus tract. de Ordine parte 8. cap. 1. num. 13. Barbosa tract. de Canonicis cap. 16. num. 22. qui alios proferunt. Aio hanc censuram iusto seueriorem esse. Neque enim amor ille sui inordinatus, referendi videlicet ad suam corporalem necessitatem explendam, spiritualia tanquam media, tanta peruersione sordet, vt mortalis culpa iure dici possit, si ibi sistatur.

Potest tamen esse licita quoad totam sustentationem sufficientem.

5. IMo si non excluderet rectum illum & ordinatum captandi beneficij finem de quo postea, nullum esset peccatum, intendere sustentationem ex beneficio, ratione ministerij eidem adiuncti debitam. Id quod extendendum est ad beneficiarium qui aliunde haberet sustentationem, vel haberet posset. Quamuis enim S. Bernardus loco adducto, auctor sit alteri se victus quærendi ratione addicere, quàm cum aliqua sacri ministerij vilipensione victum quærere; tamen vel id non damnat vt vitiosum, sed tantùm vt imperfectum; vel

agit de eo qui ita intendit finem hunc imperfectum, vt excludat perfectum & pretiosiorem quærendi beneficij finem. Mens genuina S. Bernardi, intelligi satis potest ex epistola 3. quæ est ad Fulconem ex Apostata Canonicum. [Ne (inquit) etiam de hoc tibi frustra blandiaris, quòd his contentus, aliena non rapias. Veruntamen quæ sunt illa *tua*? Beneficia Ecclesiæ? Rectè, quia surgis ad vigilias, vadis ad Missas, horis chorum nocturnis diurnisque frequentas. Benè facis. Sic Ecclesiæ præbendam gratis non accipis. Dignum est, vt qui altario deseruit, de altario viuat. Conceditur ergo tibi, vt si benè deseruis, de altario viuas, non autem vt de altario luxurieris, vt de altario superbias, vt inde compares tibi fræna aurea, sellas depictas, calcaria deargentata, varia griseáque pellicea à collo & manibus ornatu purpureo diuersificata. Denique quicquid præter necessarium victum, ac simplicem vestitum de altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est. Orabat quidem sapiens, tantùm victui suo tribui necessaria, non superflua. *Habentes* (ait Apostolus,) *victum & vestitum*, non victum & ornatum. Et quidam alius sanctus; *Si dederit* (inquit) *mihi Dominus panem ad manducandum, & vestimentum quo operiar.* Nota *quo operiar.* Sic ergo & nos contenti simus vestimentis quibus operiamur, non quibus lasciuiamus; non quibus superbiamus, non quibus mulierculis vel similari vel placere studeamus.]

6. Habemus hinc & germanum sensum S. Bernardi in re proposita, & optimam expressionem sufficientiæ licitè ex beneficio quærendæ. Quam non possumus hic saltem obiter non attingere, cum nitor intentionis de qua agimus, inde pendeat vniuersus. Pleniùs tamen de ea acturi sumus seq. sequenti cap. 2. tractantes dispensationem fructuum beneficij. Vt ergo obiter id nunc attingam; præmitto, ad intelligendum quæ sit sufficientia iustè & licitè ex beneficio quærenda, non omnes passim adhibendos esse in consilium. Et generatim loquendo, alij ferè consulendi sunt quàm Clerici beneficiarij, aut beneficij, aut beneficia quærentes, vt monet Dyon. Carthus. Opusc. de plural. benef. art. 12. *in fine.* Censum enim quem nobilis laicus sufficientem duceret, ipsi quamuis absque vxore & liberis, sibi sufficientem non arbitratur. [Quasi (inquit) Clerici non essent obligati ad viuendum temperantius de patrimonio Crucifixi, quàm homines seculares de hæreditariis bonis. Quod ergo sit sufficiens Clerico beneficium; aliorum quàm Clericorum beneficia quærentium vel habentium iudicio definiendum est: quorum erit, spectare quæ Clerico sunt necessaria ad vitam exigendam, & ad decentem status sui tuitionem. Nam hoc totum continetur latitudine sustentationis necessariæ. Itaque æstimatoribus sufficientiæ beneficij, & necessariæ beneficiario sustentationis, attendenda est conditio personæ, etiam quoad natales atque peritiam, similésve insignes & Ecclesiæ commodas dotes. Hæc verò omnia, spectanda sunt vt conserta statui Clericali; quem certum est non debere conformari huic seculo; sed salua honestate & decentia, debere esse contentum paucioribus quàm seculares, iisdem vel similibus ortos natalibus, & iisdem prærogatiuis eximios. Facta igitur prudenti horum omnium libratione, taxandum prudenter erit, quæ mensura è bonis Ecclesiasticis collecta sufficiens censeri debeat, vt beneficiarius, etiamsi nullas opes extra beneficium haberet, & nihil aliunde expectaret, censeri

feri possit habere sustentationem conuenientem. Et qui eiusmodi sustentationem conuenienter taxatam habuerit ex vno beneficio, dicendus erit non posse in noua beneficia ferri desiderio; cáve prehensare tanquam sibi necessaria ad supplendam tenuitatem primi beneficij, & sustentationis sufficientiam respectu beneficiarij integrandam.

7. Mensura sufficientiæ quam Clericus sibi quærere ex beneficio potest, & decentiæ ac honestatis statui suo conuenientis quam admisi posse illi esse propositam, media est inter extremas de ea sententias. Nam aliqui auaritia vel ambitione ducti, quia volunt ex beneficiis habere quod profundant, decentiam status & honestatem conuenientem, longè splendidius interpretantur ex sensu carnis potiùs quàm Christi, vt latè refert Cartus. l. de reform. Canonicorum artic. 21. E contrario autem Dyonis. Carthus. ibidem, paulo arctiùs eandem decentiam & honestatem definire videtur, contendens in eo sitam esse veram honestatem & decentiam status, quam Clerici quærere ex beneficio possunt, quæ est conformis primo huius generis quod debe esse mensura cæterorum; hoc est Christo, cuius decentia & honestas in humilitate, charitate, misericordia, cœterisque virtutibus sita fuit. Nec obscurè S. Bernardus epistola 41. Semel & iterum eodem modo definit decentiam Episcopalis gradus, & cuiusuis eminentis Ecclesiastici. Eóque etiam reuoluuntur quæ Gerso 2 p. tract. de Temperantia in cibo, potu & vestibus. Prælatorum, excusatione prima differit. Hoc fateor paulò seueriùs dici. Nisi enim paulo laxiùs agamus, omnes Clerici erunt obligandi ad paupertatem; quandoquidem pars non modica decentiæ & honestatis quæ in Christo colluxit, fuit paupertas, qua non habuit vbi caput reclinaret. At certum est, Clericos non teneri ad paupertatis Euangelicæ professionem, vt rectè monstrat Bellarm. l. de Cler. cap. 27. contra Valdensem, qui inficiatus est, Clericos posse in particulari & tanquam propria, vlla bona habere 4. doctr. art. 3. cap. 42. Multóque magis constat, ridiculum, fuisse Medinam, qui censuit Clericos de facto votum paupertatis emittere, & idcirco nihil proprium de iure possidere posse: quod refellit Vasq. tract. de reddit. Eccles. cap. 1. num. 12. Itaque cum Clerici non possint adigi ad paupertatem Euangelicam (quamuis eam fore illis maximè conuenientem, habetur ex illis quæ egregiè in eam rem differit creditus Prosper. l. 2. de vita contempl. cap. 16. & plenissimè Philippus Abbas l. de Iustitia Clericorum à cap. 42. ad 49.) fatendum est, decentiam & honestatem status eorum, non posse præcisè esse eam quam statuebat Carthusianus; sed aliam esse admittendam paulò laxiorem & humaniorem, propter infirmitatem carnis nostræ. Non potest autem occurrere rationabilior, quàm ea de qua paulo ante: ac proinde ea mensura sufficientiæ, potest licitè quæri ex beneficio. Et vt postea addam, si Clericus in primi beneficij ad eam non pertigerit, poterit ad secundum aspirare, vt per istud suppleat quod deest sufficientiæ secundùm decentiam & honestatem status sui.

8. Quod autem hactenus assumpsi, nullum esse peccatum in intentione petendi sustentationem ex beneficio, certum est ex verbis Christi Apostolos mittentis ad ministerium Euangelicum, cum potestate edendi ac bibendi quæ essent apud eos ad quos mittebat: id est sumendi ab eis sustentationem, ac vt

idipſum expoſuit Apoſtolus, metendi carnalia, ab iis quibus ſeuiſſent ſpiritualia. Idem habet ſenſus Eccleſiæ, vt ex variis exemplis quæ mox ſubiiciam manifeſtrum erit; circa quæ proferam quoque conſenſum Doctorum. Ratio denique quam Chriſtus Apoſtolos alloquens ſubiunxit, demonſtrat non eſſe peccatum in ea captatione ſuſtentationis ex beneficio, ratione cuius beneficiarius ſuſcipit in ſe onus Euangelici alicuius miniſterij. Ait ergo Chriſtus, id eſſe æquum, vt miniſtri alerentur à populis quibus miniſtrarent. *Dignus eſt enim operarius mercede ſua.* Perſpicuum igitur eſt, quod ea ſuſtentatio eſt dignum ac iuſtum ſtipendium miniſterij ad quod beneficium obligat. Nullus autem peccat quærendo ex bono opere iuſtum ſtipendium. Simile eſt quod alibi cum Caietano monſtrare memini, de innocua appetibilitate gloriæ tanquam iuſti ſalarij bonorum operum, non excluſo intrinſeco fine eorundem operum bonorum. Pari ergo ratione, poteſt ſine vitio appeti ex beneficio eiúſque miniſterio, præmium & antidorum conueniens: eiúſque antidori intentio, quæ finem internum talis miniſterij non excludat, nempe diuinum cultum, omni labe iure eximitur.

9. Semper voco quod ad ſuſtentationem præbetur, vel *ſtipendium*, vel *præmium*, vel *antidorum*, vel *mercedem*; nec voco *pretium*; quia etiamſi datur tanquam debitum ex iuſtitia, cum habitudine ad perſonam operantem; non tamen datur vt operis pretium. Egregiè id expreſſit S. Auguſtinus l. 2. de Paſtor. cap. 2. verbis illis inter tractandum locum Ezechielis de Paſtoribus lanam & lac percipientibus. [Vnde viuitur, neceſſitatis eſt accipere: charitatis eſt præbere. Non tanquam venale ſit Euangelium, vt iſtud ſit pretium eius, quod ſumunt qui annunciant vnde viuant. Si enim ſic vendunt, magnam rem vili pretio vendunt. Accipiant ſuſtentationem neceſſitatis à populo, mercedem diſpenſationis à Domino. Non enim eſt idoneus populus reddere mercedem illis, qui ſibi in charitate Euangelij ſeruiunt: Non expectent illi mercedem, niſi vnde & iſti ſalutem.] Senſus eſt, quod præbetur miniſtris; dari ad ſuſtentationem perſonæ, quæ in gratiam plebis fidelis, auerſa à propriis negotiis, & de eius adiumentis ſollicita, meretur accipere ſuſtentationem. Nam quiſquis in alterius gratiam operatur, eſtque planè diſtentus, debet ab eo paſci & ſuſtentari. Quod æquè valet pro iis qui diſtinentur ſpiritualibus miniſteriis, ac pro iis qui deſtinentur temporalibus. Sed quia ea ſuſtentatio non præbetur ſpectata commenſuratione valoris operis & repenſæ ſuſtentationis, propterea non vocatur *pretium* S. Auguſtinus *mercedem* quoque appellare noluit; ſumpto *mercedis* nomine in eo rigore in quo idem ſonat quod *pretium*. Scriptura tamen Lucæ X. laxato ea vocis rigore, vocat mercedem, dicens; operarium ſacrum de quo ſuſtentando agebat, debere accipere à fidelibus quæ ſibi ſunt neceſſaria, eo quid operarius dignus ſit mercede ſua. Alibi etiam laxato rigore notionis ſubiectæ voci *pretium*, eam denominat *pretium*, vt Numer. 18. vbi decimæ dicuntur tradi miniſtris pro pretio ſacri miniſterij: cum reuera tradantur tantùm vt ſtipendium, ſiue ad ſuſtentationem abſque commenſuratione cum miniſterio, quod eſt propriè inappretiabile. Vnde quemadmodùm ſi faber laboraret pro aliquo, cuius iuſſu omne opus mox diſperderetur, verum eſſet deberi fabro ſtipendium, non per commenſurationem ad valorem

operis

operis qui nullus esset, sed per habitudinem ad personam fabri, eiusque laborem impensum in opere quod in alterius gratiam est executus: Sic etiamsi sacro ministro non detur pretium propriè dictum, quod scilicet sacro operi commensuretur; datur tamen stipendium correspondens personæ; & eius labori, cœterisque circunstantiis talem operantem spectantibus admensum, vt inde petat suam sustentationem: quod Diuus Augustinus dixit, necessitatis esse accipere, charitatis autem tradere; non excluso titulo iustitiæ, sed quia ex magno amore erga Pastores tradi debet.

Potest accipi etiam à Beneficiario aliunde locuplete.

10. Volo porrò, fas esse captanti beneficium, intendere sibi ex eo totam sustentationem, ita vt tametsi à patrimonio sit benè constitutus, tamen possit sine peccato velle accipere ab Ecclesia cui addici & inseruire desiderat, quantum necesse habet ad honestam sustentationem. Ita D. Tho. 2.2. quæst. 185. art. 7. ad 3. & ibid. Caiet. Gabr. in 4. d. 15. quæst. 8. d. 8. Rich. quodl. 3. quæst. 20. Maior. d. 24. q. 17. Couarr. cap. 1. de Testam. à num. 1. Nauar q. 1. à monito 30. & 7. Binsfeld. ad c. 37. de Simon. q. vnica. Molin tract. 2. d. 145. Et ratio est, quia hoc est stipendium iustum, quod pro ministerio expectare meritò potest ac quærere. Sicut Sacerdos qui alioqui diues est, (ac etiamsi sit diues ex beneficiis simplicibus contra Carbonem. q. 60. de restit. dicto 9.) non prohibetur accipere iustum stipendium pro sacri celebratione, vt rectè probant Layman l. 4. tract. 10. c. 8. num. 13. Suares l. de Simonia c. 46. à num. 7. Gutierres l. 2. qq. Canon. cap. 29. num. 10. & Fagund. l. 4. in 1. præcep. cap. 8. num. 2. Nec id fortè negat Philippus Abbas l. de dignit. Cler. c. 14. conclamans in Sacerdotes stipendiarios. Videtur enim accipiendus de quæstuariis turpibus. Item Episcopus tametsi diues, potest procurationes (vt vocant) pro visitatione consuetudine recepta debitas accipere, vt contra Sotũ moustrat Suares l. de Simo. c. 57. num. 4. Similiter ergo beneficiarius, tametsi aliunde diues potest velle de altari viuere, & stipendium iustum quod beneficio continetur, perinde quærere, ac si nullum haberet patrimonium aliáve bona.

11. Contrarium affirmant Achilles Statius Epistola ad Nauarrum de reditibus Ecclesiasticis post quæstionem vltimam libri Nauarri de reditibus n. 24. Michael Roussel l. 5. histor. Iurisd. Pontif. cap. 1. num. 14. Bellarm. de Clericis cap. 27. *in fine*, & ante eos Cartus. l. 2. de reformat. Canonicorum artic. 25. & l. de plural. benef. art. 14. Probátque ex Sancto Hieronymo cuius hæc verba referuntur c. *Clericus* [qui de suis bonis sustentari potest; si acceperit quod pauperum est, sacrilegium perfectè committit; atque per abusionem talium, iudicium sibi manducat & bibit. Si eges & accipis, das potius quàm accipis; si autem non eges & accipis, rapis. Addit & illud Damasi Papæ.] Qui bonis parentum sustentari possunt, & accipiunt quod pauperum est, sacrilegium incurrunt. [Quæ perperam glossari ab aliquibus, de solo euentu extremæ necessitatis pauperum, in qua Clerici diuites cedere pauperibus debeant bonis temporalibus sui beneficij, rectè euincit Cartusianus ex eo præsertim quod in extrema pauperum necessitate omnia illis fiunt communia; nec beneficiarij soli

Rr

Ecclesiasticis bonis tenentur cedere, sed etiam patrimonialibus superfluis. Infert ergo inde Carthusianus, de prædictorum Patrum mente, nisi Ecclesiastici bona secularia in pios vsus conuertant, & pauperibus erogent, teneri non sumere pro sua sustentatione prouentus beneficij. Quod confirmat similibus aliorum quorundam Patrum locis.

Verùm omnia illa loca tantùm ferunt, bona Ecclesiastica pauperibus titulo eleemosynæ addicta, non debere à sacro ministro aliunde locuplete accipi, titulo eleemosynæ, fraudatis ad eum modum pauperibus. Nullo autem modo pertinent ad ea bona Ecclesiastica, quæ debentur sacris ministris titulo stipendij pro ministerio; cuiusmodi sunt bona beneficiorum. Hæc enim non sunt bona pauperum, id est, non sunt eis addicta vt erogentur in eleemosinam: ac proinde nihil est quod vetet, diuitem beneficiarium ea sibi alio quàm eleemosinæ titulo deposcere in sustentationem congruam, tametsi eam aliunde habere posset; idque verum est, etiamsi beneficiarius nolit in pauperum vsum cõuertere quæ habet ex patrimonio. Nulla quippe speciali obligatione ad hoc astringitur, quidquid dicat Maior, in 4. d. 24. q. 21. & Richard. quodl. 3. q. 20. Et facile dederim cum Lorca disp. 4. de Charit. n. 37. lidem voluisse creditum Prosperum l. 2. de vita contempl. c. 9. *in fine*, & cap. 10. num. 12. Et inde manasse videtur illud ex c. 78. & 79. additionis tertiæ ad capitula Regum Francorum. Nam in eis aliquoties allegatur hoc Prosperi opus. [Quod habet Ecclesia, cum omnibus nihil habentibus habet commune: nec aliquid inde eis qui sibi de suo sufficiunt, quæri erogare, quando nihil aliud sit habenti dare quàm perdere. Nec illi qui sua possidentes, dari sibi aliquid volunt, sine grandi peccato suo vnde pauper victurus erat accipiunt.] Quæ manifestè cadunt in beneficiarios, vt liquet ex præcedenti cap. 77. Sed meritò refragatur communis nunc sententia. In eodem item dubio de perceptione decimarum per Clericos non egentes; (idem quippè dubium dici potest, cum beneficia magnam partem coalescant ex decimis, eadémque sit in hac parte decimarum & quorumuis aliorum bonorum Ecclesiasticorum titulo stipendij debitorum ratio;) idipsum confirmat D. Thomas quodl. 6. art. 10. Castro. V. *decima*, Couarr. 1. var. c. 17. num. 4. & Suares tract. 2. de relig. l. 1. cap. 11. num. 9.

12. Facit planè ad hoc negotium, longa disputatio Apostoli 1. Cor. 9. à v. 1. ad 18. vbi multis similitudinibus & rationibus confirmat, licere sibi & ministris quibusuis Euangelicis, accipere ex Euangelico ministerio sustentationem, & quidem totam. Id enim sonat, *de Euangelio viuere*; quod esse licitum prædictis Euangelicis ministris, probat & exemplo aliorum Apostolorum & Pastorum, & agricolarum similitudinibus; & lege Mosis, quæ non esse alligandum os boui trituranti mandabat, Deo præsertim intendente per illud præceptum, sancire debitam curam populorum in sustentandis sacris ministris. Argumentatur insuper Apostolus, exemplo Leuitarum veteris Testamenti, qui participes erãt altaris, & de oblationibus ac victimis Deo cui ministrebant oblatis, petebant victum. Vrget præterea Dei & Christi ordinationem. Ac denique argumentatur ex iure naturali, quod fert, vt operario reddatur stipendium quo alatur. Vnde ad eum locum S. Chrysostomus, sustentationem sacro ministro

ex

ex iustitia deberi, perspicuè docet. Cum igitur beneficiarij sint sacri ministri, nec nisi titulo spiritualis alicuius ministerij potiantur beneficio; manifestum est, sustentationem quàm à beneficio accipiunt; iustè accipi: & quidem totam, qualem iustè accipi aiebat Apostolus; atque adeò etiam istè intendi cum beneficium captatur, etiamsi qui illud captat, sit aliunde diues.

13. Nec tantùm intentio illa vacat labe contra iustitiam, vt hactenus est efficaciter monstratum, sed etiam vacat labe contra charitatem; quod immeritò affirmat Comitolus l. 1. respons. q. 81. *sub finem,* dicens diuitem quidem si dignior & aptior sit quàm pauper, nec peccare contra iustitiam, nec contra charitatem, si beneficium captet, etsi possit, accipiat excluso paupere, peccare tamen contra charitatem, si quærat & accipiat beneficium; quo per locuples patrimonium carere posset, excluso paupere æquè digno & apto ad illud curandum. Nego hanc distinctionem esse admittendam; quia suppono pauperis ministri necessitatem non esse extremam, vel adeò grauem vt leges charitatis possint ministrum diuitem obligare ad cedendum beneficio quod posset sperare, & abstinendum eius captatione, vt pauper Clericus eo beneficio adito subleuetur. Imò nulla potest esse tanta necessitas Clerici pauperis, quæ diuitem obliget ad illi subueniendum modo prædicto; cum possit ei opitulari suppeditando aliquid ex sui patrimonij fructibus, vel ex beneficij censu cum ilud acceperit; sicque se exoluendo omni charitatis obligatione, qua fingi poterit vrgeri ad subueniendum Clerico pauperi. Idque manifestè dicendum est iuxta aduersarium, in eo euentu qui propositus est in primo membro distinctionis. Nam si Clericus sit pauper, sed minùs aptus ad beneficium, non minùs iuuandus est ex obligatione charitatis, quàm si sit aptus. Imo minor aptitudo reddit illum egentiorem, & magis indignum commiserationis ac subleuationis. Et tamen aduersarius rectè statuit, non esse tunc iuuandum, permissa ei captatione & aditione beneficij. Iuuandus itaque tunc erit à Clerico diuite, aliis modis. Iisdem igitur modis iuuari poterit, etiamsi æquè aptus sit ad beneficium curandum, ac Clericus diues. Quid quod leges charitatis non plus vrgebunt Clericum diuitem beneficij candidatum, ad iuuandum Clericum pauperem, quàm vrgebunt alios & Clericos & Laicos? Quorsum ergo illi soli inijcitur onus, totam sustentationem prouidendi Clerico pauperi, cessione beneficij? Quare ratum esto, primam illam intentionem de qua hactenus actum est; qua videlicet sustentatio, etiam tota, ex beneficio quæritur, non excluso intrinseco fine ministerij cui beneficium implantatur, posse vndecunque à peccato liberam esse.

Fines sustentationis licitè petendæ è Beneficio.

14. NOlo tamen sustentationem totam Clerici, quam admitto intendi ab eo posse ex beneficio, definiri tam amplis finibus, quantos cupiditas & ambitio passim statuunt improuidis beneficiorum captatoribus. Certum quippè esse debet, non eodem modo accipiendam esse eam sufficientiam in beneficiario, cum attenduntur necessaria ad eius sustentationem per beneficium suppeditandam, & ex eo iustè quærendam; quo accipitur sufficientia, cum agitur de diuitis obligatione, ad eroganda quæ habet vltra sufficientia

sibi, cum proximus extrema vel graui indigentia premitur. Nam vt aliqua intelligantur diuiti superflua, & ad sustentationem eius non exigi; ac proinde vt diues teneatur ea erogare in communibus proximi necessitatibus, & multò magis in grauioribu; necesse est, vt non sint illi necessaria; siue ad victum suum & familiæ, siue ad retinendam status decentiam, pensatis etiam euentibus & necessitatibus quæ solent moraliter comitari statum illum; & pensata etiam obligatione prouidendi personis sibi coniunctis atque domesticis. Necesse item est, vt bona illa non sint diuiti necessaria ad commune aliquod bonum promouendum, vt templi fabricam, vel quid simile; itémque vt non sint diuiti necessaria ad obtinendum superiorem in Republica gradum, cui ipse sit idoneus: quod benè notauit Nauar. in summa cap. 23. num. 74. & cum Caietano Valentia 2. 2. d. 3. q. 9. p. 4. §. 1. & Vasq. opusc. de eleemos. c. 1. n. 27. hæc enim omnia comprehenduntur nomine necessariorum homini talis conditionis; ita vt cum talia habet, non excedant sufficientiam illi debitam, nec obligetur ea tanquam superflua erogare, cum non nisi communes necessitates vrgent proximum. At Clerici sufficientia aliter metienda est; non quidem quantum attinet ad sufficientiam condignam ex bonis secularibus constituendam; (quoad hanc enim par est Clerici & Laici ratio) sed quoad sufficientiam ex bonis Ecclesiasticis beneficiorum petendam, vt Clericus possit censeri habere quod illi sufficit, ad honestam sustentationem secundùm status sui exigentiam & decētiam è beneficiorum bonis petendam. In tali quippè sustentatione sufficiente, respectu Clerici beneficiarij, & nominatim qua pluralitas beneficiorum possit iusta & indemnis coram Deo reddi, si iam habet vnum beneficium ei pro statu præsenti suffecturum; non est comprehendendum, quod conducere vel necessarium esse potest, ad ascendendum in superiorem gradum. Sic enim nunquam esset finis acquisitionis beneficiorum; & frustra pluralitas beneficiorum improbaretur, quæ nunquam tanta esset, quin posset semper augeri in ordine ad crementum prædictum, & subleuationem nouam beneficiarij in gradum subliniorem: sed sistendum est intra decentiam præsentis status, in quo beneficiarius præiacet ante noui beneficij captationem. Si enim secundùm conditionem generis ac personæ suæ, & dotium, non sit sufficienter instructus vt primi beneficij, poterit alterum compatibile captare. Sin minus, hærendum ei est in loco quem posuit: quia finis institutionis & collationis beneficiorum, non est vt beneficiarij prouehantur vlteriùs, sed vt in sorte ministerij quod nacti sunt, seruiant Deo absque penuria & indecentia. Similitérque iuxta alibi dicta circa diffusiorem & pleniorem hospitalitatem, quam monstratum est non esse idoneum titulum captandæ multiplicationis beneficiorum, dicendum videtur, intra latitudinem sufficientiæ beneficiarij, qua non expleta possit nouum beneficium priori adiungendum quærere, minimè esse comprehendendum boni alicuius publica ministerio suo extrinseci & cum eo non coniuncti desiderium. V. g. erectionem templi aut Xenodochij. Quamuis enim optimè facturus sit beneficiarius, si de iis quæ sibi ad iustum stipendium & honestam sustentationem non omnino in imo latitudinis conceduntur, accidat & asseruet semper aliquid, in pia huiusmadi opera expendendum: Tamen vt ea tantùm mente nouum beneficium quod sibi alioqui superfluum foret, adiungere quærat priori,

non

non cohæret cum diuino beneplacito, tata habente Ecclesiæ statuta tam multiplicia, quibus congeminatio beneficiorum in eadem persona, non nisi ad honestam sustentationem secundùm personæ gradum perficiendam admittitur. Proptereáque dicebam, eam tantùm mensuram bonorum è beneficiis collectorum, censeri debere Clerico sufficientem, eamque duntaxat posse ab illo legitimè intendi cum quærit beneficium, quæ necessaria illi est, vt statum suum præsentem cum debita decentia tueatur. Sic igitur limitata intentio eius qui quærit beneficium, etiamsi in sustentationem totam ex eo habendam feratur, poterit à peccato libera esse, vt affirmabam.

Intentio altera ex D. Bernardo proposita, qua Beneficium captatur ad superflua, grauiter sordens.

15. POsterior verò intentio superiùs proposita, qua scilicet ex beneficio captantur superflua; manifestè à S. Bernardo damnatur mortalis peccati, cum dicat, sic intendentium & quærentium beneficia, certam esse damnationem; & contestetur imminentes inferni pœnas, & earum mortisque inmemoriam defleat. Eodémque spectat, quod non ita multo post, his verbis subdit. [Væ væ in domo Dei horrendum videmus. Quid? an Idololatras ministrantes? Mentior si non Idolorum seruitus auaritia est, si non quibusdam, etiam, venter suus factus est Deus suus. Quod enim quisque præ cæteris colit id sibi Deum constituisse probatur. Quantos sanè vidimus, qui diligunt munera, sequuntur retributionem? Quantos qui Christo Domino non seruiunt, sed suo ventri:] Et inferiùs. [Sanè qui non fideliter intrauit, neque per Christum, quidni infideliter agat, & contra Christum? Manifestam sine dubio faciet arborem fructus, radicem palmes, opus intentionem. Faciet ad quod venit, vt mactet vtique, & disperdat. Quando vtique altario seruiat qui eiusmodi est; seruiat autem in Spiritu & veritate? Tales nimirum Pater adoratores quærit. Alioquin ministratio mortis est in iudicium & condemnationem. Aut quando poterit necessariis esse contentus, qui eo animo introiuit, vt stipendia Cleri in vsus voluptatis, curiositatis, & vanitatis congreget, seruet, expendat? Triplex ergo funiculus qui difficilè rumpitur, hominem miserum in perniciem trahit, qui impurè intrat, indignè ministrat, sed ipso fructu abutitur temporali. Quid enim si in hoc mundo floret, & prosperatur in via sua? Arescet velociter, citò decidet flos fœni, & vapor ad modicum parens. Parcitur virgæ, quoniam inuenitur iniquitas eius; ad odium vtique, non ad iram] Hæc omnia manifestè ferunt, admitti mortale peccatum in captatione beneficij per auaritiam meram, quæ vlteriùs necessariò dirigitur; hoc est vel ad voluptates, vel ad dignitates, vltra notabilem recti & æqui mensuram, partis è beneficio opibus comparandas.

16. Idem ferunt illa Sancti Gregorij hom. 17. agentis de Euangelico ministro, cuiusmodi est beneficiarius, circa illud *dignus est operarius mercede sua.* [Considerandum (inquit,) est quòd vni nostro operi, duæ mercedes debentur: vna in via, altera in patria; vna quæ nos in labore sustentat, alia quæ nos in resurrectione remunerat. Merces itaque quæ in præsenti accipitur, hoc in nobis

debet agere, vt ad sequentem mercedem robustiùs tendatur. Verus ergo quisque prædicator, non ideò prædicare debet, vt in hoc tempore mercedem recipiat, sed ideò mercedem recipere, vt prædicare subsistat. Quisquis namque ideò prædicat, vt hic vel laudis vel muneris mercedem recipiat, æterna proculdubio mercede se priuat? Quisquis verò vel ea quæ dicit, ideò placere hominibus appetit, vt dum placet quod dicitur, per eadem dicta, non ipse sed Dominus ametur: vel idcircò terrena stipendia in prædicatione consequitur, ne à prædicationis voce per indigentiam lassetur; huic proculdubio ad recipiendam mercedem nihil obstat in patria, quia sumptus sumpsit in via.] Quod ait se priuare æterna mercede, ministrum qui intendit aliud quàm animarum salutem & Dei gloriam, non pertinet ad gloriæ cumulum, quo se priuat qui tantùm imperfectè, vel cum leui culpa operatur, sed simpliciter ad priuationem gloriæ, quæ mortale peccatum supponit.

17. Suffragatur quoque Philippus Abbas l. de Iustitia Clerico. cap. 48. verbis illis. [Cum Ecclesiastica beneficia iubeantur Clericorum necessitatibus subuenire, non voluptatibus deseruire; non est congruum eos illis bestialiter inhiare. Hoc est, non quæ Iesu Christi, sed quæ sua sunt amare. Quis enim dignum venia duxerit, si de Ecclesia sumat Clericus alimoniam temporalem, & in ea profectum non quærat spiritalem, cum in acquirendo Dominus spiritalia iubeat anteponi; asserens temporalia, etiam non quæsita subsequenter apponi? *Primum* (ait,) *quærite regnum Dei, & hæc omnia apponentur vobis.* Debent ergo Clerici, lanam & lac ouium non sitire; hoc est, honores & diuitias non ambire: ne per Ezechielem Dominus conqueratur; quod scilicet ab eis non spiritale, sed terrenum commodum requiratur, *Lac* (inquit) *comedebatis & lanis operiebamini*; *gregem autem non pascebatis.* Lac quidem ouium comedere, & lanis diligunt operiri; nec tamen pastum debitum eisdem ouibus impertiri; qui reuerentia sibi ab illis impensa, plus iusto gloriantur; qui earum oblationibus cumulantur, nec tamen eis verbo, vel exemplo suffragantur; sed in illis priuatas tantùm vtilitates aucupantur.]

18. Videsis, annon huc spectet Naz. orat. 28. num. 38. quantum attinet ad honoris appetitionem per beneficium. [Primariæ sedis dignitatem nobis eripient? Quam prudentum etiam quispiam aliquando admiratus est: nunc autem eam fugere, (vt mihi quidem videtur,) primæ & singularis est prudentiæ. Propter hanc enim, res omnes nostræ iactantur ac concutiuntur: propter hanc fines orbis terræ suspicione & bello flagrant; eóque surdo quodammodo, ac ne nomen quidem habente. Propter hanc periculum est, ne qui à Deo creati sumus, hominum simus, ac magnum illud & nouum nomen amittamus. Vtinam autem ne vllus quidem sedis principatus esset, nec vlla loci prælatio, & tyrannica prærogatiua: vt ex sola virtute cognosceremur. Nunc autem dextrum hoc & sinistrum, ac medium latus, & sublimior atque & inferior gradus, & præcedere, & simul incedere, multas nobis contritiones incassum pepererunt; ac multos in foueam impulerunt, atque ad hircorum regionem abduxerunt non plebeiorum tantùm, sed etiam pastorum, qui cum magistri Israelis essent, hæc ignorauerunt.]

19. S. Basilius homilia in Sanctum Mamantem, ait hos esse pastores mercenarios

cenarios à Christo cum Lupis collatos. [Tunc quidem (inquit,) mercenarios pastores Dominus eos vocauit qui tunc degenerauerant. Sunt verò & nunc, qui non vt prosint ouibus, pastores agunt: quibus propriè mercenariorum appellatio conuenit. Tunc principes sacerdotum notabantur, & pharisæi, & omnis illa Iudaica secta. Illos dixit mercenarios esse pastores, qui non veritatis, sed quæstus sui gratia, pascendi potestatem vsurparant, qui vano prætextu precationibus instabant, vt panem comederent viduarum, & orphanorum. Mercenarij sunt, qui proprium compendium curant. Qui præsentia sectantes, ad futura non aspiciunt: mercenarij sunt pastores.] Fusissimè & fortissimè in hanc beneficiorum aditionem disserit Satisber. l.7. polycrat.cap. 19.

20. Postremus adducitur Iuo Sermone de Excellentia Sacrorum Ordinum. [Non est vestrum, primum locum quærere in mensa Domini vestri, nisi qui vos inuitauit, dicat alicui vestrum: *Amice, Ascende superius*; *vt sit ei honor coram simul discumbentibus*. Nemo enim ad hoc debet fieri Clericus, vt seruiat voluptati, studeat curiositati, inhiet ambitioni. Nec aliud quærat, nisi vt Deum hæreditate possideat, quem elegit, & à quo electus est, quandò in Clericum assumptus est? Hoc enim in Græco nomen *Clerici* sonat, quod de sorte sit Domini, quia & Deus sortitus sit eum, & ipse sortitus sit Deum. Quòd Clericus sortitus sit Deum, benè dicitur in Psalmo, in persona ipsius Clerici, cùm stigmate Clericatus insignitur. Dicitur enim Deo, *Dominus pars hæreditatis meæ*; & in alio Psalmo; *Hæc est generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Iacob*. Quòd verò Dominus sortitus sit ipsum Clericum, in ipsius Clerici tonsione dicitur, ex superiori Psalmo in persona Domini: *Funes ceciderant mihi in præclaris, etenim hæreditas mea, præclara est mihi.* Vnde qui per Clericatus Officium aliud quærit quàm Deum, nec à Deo electus est, nec Deum elegit; qui in sorte sua creaturam creatori aut præposuit, aut æquiparauit. Hæc dicentes, non interdicimus vobis huius vitæ necessaria, sed de oblationibus, vel de opere manuum, vel de aliis innocentibus artibus conquisita; non de vsuris, non de turpibus lucris, non de negociationibus, vel de aliis illicitis artibus compilata. Sic enim tribus Leui, quæ in figuram Clericalis ordinis præcessit, partem non habuit inter reliquas tribus, sed viuebat de primitiis, decimis, & oblationibus, quas offerebant aliæ tribus. Si ergo & vos de stipe templi viuere disponitis, si extra Deum nihil quæritis, qui si eo contenti fueritis, erit vobis amplissimum & vbertimum prædium: & salubriter ad Clericatum accessistis, quia & vita vestra concordat cum nomine, & professio apparet in opere. Alioquin si paupertatem & humilitatem quam præfert habitus corporis, & figura capitis, in corde non habetis; timeo ne cum hypocritis sit pars vestra, & spes vestra ab æterna mercede sit vacua: qui non vt Clerici, sed vt acephali in clericali militia, sola quæritis lucra temporalia.]

21. Posset sanè huc referri cauponatio illa, siue adulterium sacri ministerij, de quo Apostolus 2. Cor. 2. grauiter arguit Pseudoapostolos. Quamuis enim S. Gregorius 16. mor. cap. 25. & l. 22. cap. 12. adulterium illud verbi Dei referat ad quæstum humanæ laudis, & inde quæsitæ delectationis sensibilis, cum ex verbo Dei non propria laus & delectatio, sed fœtus operum in auditoribus esset quærendus; in quo vani concionatores adulterum imitantur,

qui non prolem ex commercio turpi, sed voluptatem duntaxat quærit. Tamen vox Græca *kapileuontes* apertè fert, non mœchiam siue adulterium, sed cauponationem & turpe lucrum, de quasi venditione Euangelici ministerij. At similem cauponationem exercet, qui ministerium beneficio consertum, refert ad crapulam vel honores indebitos, vt illi Pseudoapostoli faciebant. Iisdem igitur redargutionibus Apostolicis se reddit obnoxium, eique æquè intonat Apostolus Philip. III. horrendum quod se flentem dicere contestatur; nempe esse plerosque pseudooperarios Euangelicos, crucis Christi inimicos, facto & operibus, vtcunque eam verbo tenus celebrarent; quorum Deus venter esset & gloria in confusione ipsorum, Ea studiosè quærentes, deque obtentis gloriantes, de quibus confundi potiùs debuissent, quorum finis interitus & mors animæ æterna. Agit perspicuè eo loco Apostolus, de ministris Euangelicis Christianis, saltem nomine tenus. Nam de Iudæis, Christiani Philippenses non fuissent tanto studio monendi ab Apostolo. Ministros ergo nomine tenus Christianos, quod ex sacro ministerio ventris duntaxat distensionem quærerent, Apostolus vel ex eo vno capite (quidquid de cæteris esset,) idololatriæ ventris arguit, eosque dixit terrena sapere, & eorum finem esse interitum pronunciauit. Nec parciùs agit, cum eorundem & aliorum in vanitate sensus sui ambulantium nimiam vani honoris curam cui ministerium Euangelicum impendebant, frequenter exagitat. Non secus ergo statueret de captantibus ob eosdem fines beneficium; atque adeò etiam ministerium Ecclesiasticum ei beneficio consertum.

22. Hi planè non vocantur à Deo, sed assumunt sibi honorem; quod alibi sugillat Apostolus. Assumere porrò sibi honorem, demonstrat in hunc modum Lauren. Iustin. l. de compunct. & compl. Christ. perfect. [Non (inquit,) in ouile intrant per ianuam: sed aliunde tanquam fures. Quomodò aliunde? Ianua humilis est, ostium Christus est. Non ingrediuntur per Christum, neque vocantur à Christo. Vocatus est à Christo ille, cui dictum est; *sequere me*. Hic secutus est Christum, quoniam vocatus est à Christo. Qui autem non sequuntur Christum, quomodò vocantur à Christo? Non vocantur, sed permittuntur. Quoniam verò non vocantur à Christo, ideò tam anxiè prælationes quærunt, dignitates ambiunt, offerunt munera, adhærent potentibus, & quod nequeunt virtute consequi, pretio exquirunt & prece. Indecorum arbitrantur sectari humilitatem Christi, qui (vt ait Apostolus) *non sibi vendicauit honorem, vt pontifex fieret, sed qui vocauit eum dicens. Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*. Norunt vocari à Deo sed ab hominibus, & vtinam vocarentur. Infulas appetunt, vocari *Domini* congaudent, & quod diuinum est, ô quam sæpè arrogant sibi? Qualem (oro,) potest fructum producere, corrupta radix.] Idem l. de instruct. & regim. Prælato. cap. 4. post multa concludit, nihil esse periculosius quàm sua tantum commoda, siue honoris, siue voluptatum, siue opum, ex beneficiis quærere.

Qua

Quæ demum pura captationis Beneficij, intentio.

23. EX dictis circa has duas intentiones captantium Ecclesiasticum beneficium, quarum vna est saltem non pura & imperfecta, altera verò etiam peruersa; constare potest quæ sit recta & pura intentio in captatione beneficij qualem describit Molanus in Theologia pract. tract. 2. cap. 38. concl. 4. Ea nimirum; ex qua Apostolus Euangelizabat; studium inquam diuinæ gloriæ, & salutis proximorum, per ministerium cui beneficium addicitur: cui si per modum antidori, velut præter intentionem ministri, accedant carnalia eorum quibus seminantur Spiritualia; nihil inde inquinabitur ministerij captatio; cum plerique Apostoli teste Sancto Paulo, quia sine scandalo Neophytorum poterant de Euangelio viuere, ponerent Euangelium cum eorum lubentium & vltrò offerentium sumptu. Similiter igitur vt beneficij captatio sit vndecunque pura & nitens; nec tantùm peccato, sed etiam imperfectione libera, necesse est ita quæri ministerium propter suos intrinsecos fines; Dei inquam cultum & animarum salutem, vt emolumenta ei coniuncta, & beneficium cum ministerio integrantia, tametsi iustè & dignè percipi & exigi possint; adueniant tamen quasi per accidens ad intentionem captantis beneficium; nec ob ea, etiam secundariò, quærat & intendat ministerij facultatem beneficio intimam. Præfixio enim finis illius vt secundarij, etiamsi peccati labe vacet, non tamen caret nota imperfectionis: vacátque ea perfectione, quæ cernitur in illo altero puro & Apostolico ministerij quærendi modo.

24. Hac intentione qui ducentur, non irruent (vt sic dicam,) in beneficia sed conscij suæ tenuitatis, vrgendi erunt ab aliis. Notauit hoc S. Basilius in cap. 3. Esaiæ, his præter cætera. [Malè metuo, ne vt olim in illa quidem Iudaica seditione, erant quidem qui indignos se planè nouerant, accipiendo in alios principatu, propter conscientiam in se existentis inopiæ: ita & in præsentibus, adsint etiam nonnulli, qui nondum induti sint Christum, neque (iuxta Apostolum,) viscera miserationis; quamuis alios apprehendant. Intruduntur enim multi; multi item sunt qui ambitiosiùs affectent principatum, multi suamet autoritate creati, dum splendorem gloriæ præsentis student assequi, nec futurum illud iudicium præuident. Atqui Moses non talis fuit, qui quum per omnia moriger, & ab omnibus hoc nomine optimè audiret, quando ad populum illum emittebatur, dicebat; *Obsecro Domine, elige alium, quem mittas.* Quò factum est, vt quadantenus videri possit se eò comparasse, vt contentiosiùs reclamaret; dum confessione propriæ imbecillitatis, excusat & deprecatur eam legationem, docens indignum se esse qui præsideret.]

CAPVT SEXTVM.

Reliqua vitia aditionis Beneficij ob defectus subiecti, huius loci proprios. Improbitatem, ignorantiam, ætatem immaturam, statum laicum.

1. VITIA aditionis beneficij & bonorum Ecclesiasticorum ad illud spectantium hactenus expensa, partim pertinent ad causas efficientes traditionis beneficij; vt ad illum qui intrudit in beneficium, & cognatum resignantem; partim etiam ad causam subiectiuam, siue ad illum qui beneficium suscipit, ex fraudulenta, vel mercenaria, & non satis pura intentione. Nunc attingendæ sunt aliæ nonnullæ maculæ aditionis beneficiorum, ductæ à subiecti incapacitate, quæ cum oriatur ex variis capitibus, non est quod ad illa omnia descendamus. Eiusmodi quippè est incapacitas ex natalibus & thoro illegitimo, ex corporis oblæsione, ex irregularitate quapiam, aut censura idoneitatem ad beneficium excludente (iuxta ea quæ de irregularitate & censura eam idoneitatem excludentibus, tradunt Less. l. de iust. cap. 34. dub. 19. & Suares t. 5. 3.p. disp.13. s.1. disp.40. s. 2. à num. 29.) ex alligatione ad coniugium, ex nequitia & imperitia, ex ætate beneficio immatura, & statu laico per defectum etiam primæ tonsuræ. Pleraque ex his capitibus incapacitatis ad beneficium, nihil admodùm continent faciens ad institutum præsens, quo suscepimus duntaxat exagitandas vitiosas in beneficia & ad bona eis conferta adreptiones, quarũ frequens est & vulgata abusio, fereque impunita in foro humano, ob varios colores ac prætextus quibus auiditas Ecclesiasticorum bonorum se obducit. Huiusmodi præter superiùs tractatas sunt solæ quatuor postremæ, de quibus proinde breuiter agendum sequitur. Possessio verò alicuius beneficij incompatibilis, quæ solet item numerari inter defectus inuehentes incapacitatem ad beneficium, non est hic discutienda; tum quia non est aliquid cuicunque etiamsi solitario beneficio commune, vt cætera incapacitatis capita; tum quia eius intelligentia pendet ex dicendis de vitio aditionis noui beneficij, ob multiplicationem beneficiorum in eodem subiecto; etiamsi alioqui apto: quale non est subiectum penes quod hic attendimus vitia aditionis beneficij.

Improbitas dehonestatura ministerium, vitiat Beneficij captationem.

2. IN primis ergo vitiosam esse beneficij, & scilicet bonorum Ecclesiasticorum, prehensionem & susceptionem, per eum qui vitæ suæ fœditate dedecoraturus sit sacrum ministerium, vt futurus probro Ecclesiasticæ militiæ, videtur indubitatum. Restringo me ad genus improbitatis dehonestaturæ ministerium & statum clericalem, quia non est hic quæstio de incapacitate ad beneficium

beneficium ob hæresem, de qua plenè & benè Sanches l. 2. in decalo. cap. 26. & Sanctarellus tract. de hæresi cap. 25. & cap. 33. *per totum.* Item me restrinxi ad improbitatem propositam, quia non est approbanda nonnullorum veterum sententia, vt Guilielmi Parisiensis, & aliorum multorum quos refert & sequitur Cartus. l. de reform. Canon. artic. 22. affirmantium, quod quicunque est in mortali peccato, toties peccat mortaliter, quoties cupit, aut acquirere nititur Ecclesiastica bona, cum sit eis indignus, & illa veris Dei ministris sint deputata. Hæc sententia est planè falsa, sapitque errorem Vvicleffi de ministrorum improborum deiectione è gradu, ob quoduis mortale peccatũ. Quem insulsissimum errorem, conuellunt diligenter hæreseologi, vt Castro v. *Potestas*, & qui similem errorem quoad potestatis laicæ deiectionem propter peccatum mortale latè conuellunt Vvald. lib. 2. doctr. à cap. 81. & Bellar. l. de Laicis cap. 8. Ratio autem contra illum errorem, quæ etiam confodit placitum de quo agimus, non est obscura. Nam peccatum quodlibet mortale, non reddit ministrum inhabilem ad licitè obeundum quodcunque ministerium, ad quod beneficiũ posset astringere. Beneficia enim quæ duntaxat obligant ad horarum recitationem, ratione illius ministerij, non obligant ministrum ad statum gratiæ. Quæ verò addicuntur ministerio gratiam in ministris exposcenti, vt curata, nihilominus expeti possunt à peccatore absque peccato, quantum est ex vi status peccati quo sordet: quia non ex eo quod habens peccatum intendit habere beneficium cuius ministerium exigit statum gratiæ, inferre licet eum velle exercere eiusmodi ministerium in tali statu. Poterit enim se purgare, & abluere, priusquàm defungi velit obligatione ministerij beneficio adiuncti. Quid quod iuxta Aduersarios; fatendum esset, omnem beneficiarium cum primum excidit à statu gratiæ, excidere etiam iure beneficio, vt patebit applicando argumentum ax Cartusiano propositum: nempe quod peccator sit indignus bonis Ecclesiasticis, quæ solis piis ministris sunt deputata. At certum est, neminem Catholicum ausurum dicere, beneficiarium quocunque peccato mortali, excidere beneficio iam parto: quia quamuis generali quadam ratione peccator sit indignus sacra annona; non tamen contrahit talem indignitatem quæ eum deiicit, iure iam parto. Ac proinde non impedit comparationem nouam iuris, studiumve eam quærendi reddit illicitum.

3. Improbitas igitur quæ potest illicitam reddere captationem beneficij, ea est qua dehonestaretur status Clericalis, & ministerium inhonoraretur. Sic intelligo decretum Alexandri III. in Concilio Lateranensi adductum c. *cum in cunctis* de elect. & confirmatum in Trid. sess. 24. cap. 12. vbi tanquam aliquid maximè necessarium, exigitur grauitas morum à beneficiariis. Et ratio est perspicua, qui beneficiarij, prælertim curati, debent esse lux mundi & sal terræ. Si autem careant bonis moribus, & improbè ac nequiter viuant, lumen quod in Ecclesia esse debebit tenebræ erunt; ac proinde vt Christus argumentabatur, ipsæ tenebræ quantæ erunt? Ministerium ipsum, inde vilescit; quòd sibi maximè cauendum esse, sæpè contestatur Apostolus. Scatent Sanctorum scripta, huiusmodi monitis ad curatores animorum & beneficiarios, quibus eos hortantur vt sint Christianæ plebi bono exemplo. Signo nonnullos.

Patrum oracula aduersus ministrorum doctrinam, ex mala eorum vita erubescentem.

4. SAnctus Prosper, imo Iulianus Pomerius (nam is ipse est autor ex Isidoro l. de Scripto. cap. 12.) præclarè id tradit l. 1. de vita contempl. cap. 15. disputans contra eum Ecclesiasticum ministrum, qui necessariam docendi autoritatem contrarietate suæ actionis; aut amittit, aut minuit Et cap. 17. confirmans Iulianum quendam, vacillantem an perstaret in suscepta animarum cura & beneficio, inde illi metum abstergit quem à minore dicendi facultate conceperat, quod certum sit, plurimum posse orationem ad Deum. [Plúsque fideles Catholicos bonis exemplis, quàm luculentis verbis solere proficere: eámque esse summam perfectámque doctinam, quam conuersatio Spiritualis ostenderit, non quam inanis sermo iactarit: nec à nobis in die iudicij verba quærenda, sed opera; nec facile persuaderi esse possibile, quod docet lingua, si à lingua vita dissentiat. Illud autem probari possibile, quod siue prædices, siue non prædices, faciendo confirmas, & imitari volentibus, cum quadam delectatione ipsius possibilitatis inculcas.

S. Hieronymus Episto. 83. [Definiunt Rhetores, Oratorem, qui sit vir bonus, dicendi peritus. Ante vita, sic lingua irreprehensibilis quæritur, vt doctus meritò suscipiatur. Perdit enim autoritatem dicendi, cuius sermo opere destruitur.]

5. Saluianus l. 2. ad Eccles. *post medium*, cum generatim omnes Clericos, tum nominatim sacros ministros, id est animorum curatores, ad præcellentem sanctitatem obligat. [Quicquid enim (inquit,) de aliis omnibus dictum est, magis absque dubio ad eos pertinet, qui exemplo esse omnibus debent; & quos vtique tanto antistare cæteris oportet deuotione, quantò antistant omnibus dignitate. Nihil est enim turpius, quàm excellentem esse aliquem culmine, & despicabilem vilitate. Quid est enim aliud principatus sine meritorum sublimitate, nisi honoris titulus sine homine? aut quid est dignitas in indigno, nisi ornamentum in luto? & ideò cunctos qui sacri altaris suggestu eminent, tantum excellere oportet merito, quantum gradu. Si enim viris in plebe positis, & muliercculis ipso sexu infirmioribus, talem, ac perfectam Deus viuendi regulam dedit; quanto vtique esse illos perfectiores iubet, à quibus omnes docendi sunt, vt possint esse perfecti; & quos tam magni esse exempli in omnibus Deus voluit, vt eos ad singularem viuendi normam, nouæ tantum, sed etiam antiquæ legis seueritate constringeret.]

6. Sanctus Isidorus l. 3. de summo bono cap. 34. [Non sunt promouendi ad regimen Ecclesiæ; qui adhuc vitiis fubiacent. Hinc est quod præceptum est Dauid, non ædificare visibile templum, quia sanguinum vir; id est, belli frequentia illi esset. Qua figura illi spiritaliter admonentur, qui vitiorum ad luce correctioni sunt dediti, ne templum ædificent, hoc est Ecclesiam docere præsumant. Non debet honoris ducatum suscipere, qui nescit subiectis tramite vitæ melioris præire. Neque enim quisquam ad hoc tantùm præficitur, vt subditarum culpas corrigat, & ipse vitiis seruiat. Qui non se dignum ad Episcopatum existimat, locum eius qui dignus est non preoccupet. Nam tam sanctum est Sacerdotij

dotij nomen, vt nulla vitiorum nota maculari se sinat. Grauius enim condemnabitur, qui indignus suscipit quod non meretur. Qui regimen sacerdotij contendit appetere, ante se discutiat, si vita honori sit congrua. Quod si non discrepat, humiliter ad id quod vocatur accedat. Reatum quippè culpæ geminat si quispiam cum culpa ad sacerdotale culmen adspirat.] Plura ex eo loco in hanc rem descripsit Concilium Aquisgranense sub Ludouico Pio cap. 15.

7. Beatus Laurentius Iustinian. l. de compunct. & compl. Christ. perfect. parte 2. [Sunt (inquit,) plebium rectores innumeri, quibus ouium dominicarum particularis iniuncta est cura, qui taliter conuersantur, vt nequaquam eorum verbis quantumuis bonis, fides valeat adhiberi. Verbis quippè vtilibus, laudabilis vita auctoritatem præstat. Sed (proh dolor!) nec ædificationis eloquia profert moderni temporis clerus. In ipso enim clero, paucissimi reperiuntur, qui honestè viuant, rariores autem qui pabulum salutis gregibus valeant præbere fidelium. Nempè sacerdotum, Clericúmque maxima pars, dedita iacet voluptatibus, & bestiarum more quasi degentium, parum ab illa secularium, illorum conuersatio distat. Incedunt quotidie per plateas, hinc inde discurrunt, theatris & spectaculis intersunt, choreis demissa omni grauitate se miscent, pudorem reiiciunt, turpiloquiis vacant & nugis, habitu pompatico vestiuntur; crinibus crispantibus comam contra Apostolicum præceptum, & sanctiones Patrum nutriunt. Qua fronte (oro,) redarguere tales possunt delicta populorum? Quomodò errantem ad semitas iustitiæ reuocare sufficiunt? Negligentes salutem propriam, qualiter super aliorum salute vigilabunt? Alteri vix bonus esse valet, qui sibi nequam est. Corrigat sua, qui proximorum cupit errata corrigere. Isti autem de quibus loquimur, parum de se, minúsque curant de cæteris.]

S. Gregorius hom. 17. in Euang. latè idem versat, agens cum Clericis & ministris. [Qui in stipendio quotidiano fructus Ecclesiæ percipiunt, & ex oblatione fidelium viuunt; illa in stipendium suum sumentes, quæ pro redimendis peccatis suis fideles obtulerunt.] Quæ omnia constat in beneficiarios cadere. Huiusmodi ministris improbitate sordentibus, aduersùs quos (vt ait,) terra clamat quam colunt (plebs scilicet cui ministrant,) & cuius terræ sulci aduersùs colonum deflent, quia fructus eius comedunt absque pecunia; S. Gregorius diuini iudicij terrores intentat, grauissiméque contestatur, nullum maius ab aliis præiudicium tolerare Deum, quàm à Sacerdotibus & sacris ministris, qui populos quibus exemplo vitæ innocentissimæ prælucere debuerant, improbitate vitæ agunt in ruinam. Vel si applicatione Sacramentorum, aut aliquali verbi Dei tractatione vtcunque iuuant, ita vt supplente Spiritu Sancto ministri partes, ad cœlum perueniant populi; ministri tamen æterno exitio plectantur: haud dissimiles ea in parte aquæ baptismatis, quæ ita lauat & sanctificat Cathechumenum, vt tamen ipsa postea in cloacam descendat; quæ est luculenta Sancti Pontificis in hanc rem similitudo.

8. Grauissimè Autor Imperfecti operis in Matth. hom. 38. *initio*, reddens rationem cur Christus vrbem Hierosolymitanam ingressus, primùm omnium ad templum diuertit. [Hoc erat (inquit) boni Medici, vt ingressus ad infirmam ciuitatem saluandam, primùm ad originem passionis intenderet. Nam sicut de templo omne bonum egreditur, sic & de templo omne malum proce-

dit. Quemadmodùm medicus quando primò ingreditur ad infirmum, statim de stomacho eius interrogat, & eum componere primùm festinat: quia si stomachus sanus fuerit, totum corpus validum est; si quis autem dissipatus fuerit, totum corpus infirmum est. Ita si sacerdotium integrum fuerit, tota Ecclesia floret; si autem corruptum fuerit, omnium fides marcida est. Cor autem & stomachus, Sacerdotes intelliguntur: quia in rebus spiritualibus, per eos totus populus gubernatur. Et sicut cor sapientiæ locus est, ita sacerdotes sunt receptacula sapientiæ spiritualis Esaia dicente; de Regibus quidem; *Omne caput in dolore*. De Sacerdotio autem, *Omne cor in tristitia*. Sicut enim stomachus accipiens cibum, coquit eum in se ipso, & per totum corpus dispergit; sic & Sacerdotes accipiunt scientiam sermonis per scripturas ex Deo; & excoquentes eam in se; id est, & tractantes & meditantes apud se, vniuerso populo subministrant. Et sicut stomacho subministrante vnumquodque membrum suscipit nutrimentum, & conuertit ipsum in se secundum suam naturam: vt puta quod quod suscipit ecur, totum fit sanguis: quod autem suscipit fel, vilis efficitur totum: quod vero ascendit in pulmonem, phlegmata fiunt: quod autem in mamillas, totum efficitur lac sic Sacerdotibus in Ecclesia loquentibus, verbum omnes suscipiunt: vnusquisque autem conuertit illud secundùm proprium cor; ita vt vnum idipsum verbum, in cordibus quidem rectis procedat ad vitam; in cordibus autem peruersis, suscitet iracundiam, quasi bilis: in aliis autem operatur dilectionem dulcissimam, quasi lac. In aliis autem odia, quasi phlegma nociuum, & expuendum. Videte ergo sacerdotes, quomodò vos componatis in verbo, & opere. Quoniam sicut in corpore, si aliquod infirmatum fuerit membrum, non omnino languet & stomachus: si autem stomachus languerit, omnia membra inueniuntur infirma: Sic si aliquis Christianorum peccauerit, non omnino peccant, & Sacerdotes: si autem, & Sacerdotes fuerint in peccatis, totus populus conuertitur ad peccandum. Ideò vnusquisque Christianorum, pro suo peccato reddet rationem.] Sacerdotes autem non solum pro suis, sed & pro omnium peccatis, reddituri sunt rationem.]

9. Satis ex Patribus aduersùs hanc sacrorum hominum indignitatem, quam esse omnium Ecclesiæ malorum, & nominatim hæreseon fontem, egregiè prosequitur Alphonsus de Castro l.3. de iusta hæret.punit.cap.5. Constat etiam esse fontem omnium propè defectuum qui in orbe cernuntur. Nam si sacri ministerij possent cum effectu redarguere vitia, & niterent qui orbem spiritualiter regunt; abolerentur vtique & præpedirentur vitia. At qui audire potest, *Medice cura teipsum*, qua fronte tentabit, alium ægrum sanare? Itaque ob morbum Medici, non curantur ægri. Pulchrè in habet Glossa ad illa verba Leuit. 21. *Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium eius.* [Hæc secundùm literam tantùm accipere, nimis videtur absurdum esse. Tales enim maculæ non sunt in potestate, vel voluntate. Per maculas ergo corporum, vitia animorum describit. Cùm enim causam populi Præsul suscipit, quasi ad ægrum medicus accedit: Qui si æger est, qua præsumptione vult mederi? Ille ergo ad exemplum debet pertrahi, qui cunctis passionibus mortuus spiritualiter viuit.]

Probra contra castitatem, in sacris Ministris fœdissima.

10. ADuersùs erubescentem ex vita improbi, doctrinam ministrorum sacrorum plura generatim. Inter dehonestamenta tamen beneficiarij, vix vllum est fœtidius ac spurcius, eo quod obscœnitates carnis illinunt: vt propterea summo studio Ecclesia aduersùs hanc beneficiorum labem semper sit annisa, exemplo Christi; de quo scitè Arnoldus bonæ vallis Tractatu de illo Christi verbo, *Mulier ecce filius tuus*, in fine, vbi de commendata Virgini Virgine, Ecclesiæ typo, sic scribit. [Bonus itaque Dominus, bono fine consummans pietatis mysterium; in cruce iustificat impium, & debitum matri reddit affectum. Addit quoque, & tradit exemplum quod ad conseruanda quæ sancta sunt debeat eligi sanctitudo, nec Sacramentorum arcana impuris sint exponenda conspectibus; nec possit dignè sacris ministrare mysteriis, nisi qui in schola studuerit continentiæ conuersari. Docet enim, vt qui mundandis, & mundis officium exhibeat, omnimoda splẽdeat sanctitate, quia omnino huic formæ contrarium est, vt contrectet incorrupta corruptus, & purificatoriis muneribus manum apponat impurus. Quod non ideò dicimus, quod in his qui iam abluti sunt, & sanctificati, de quantiscunque naufragiis euaserint, aliqua post indulgentiam nota permaneat; quia nisi ad antiqua reuertatur contagia, nulli prior præiudicat vita.] Benè istud postremum, ac sapienter; dummodò nulla adhæreat infamia ex detersis quoad culpam turpitudinibus; & irregularitas si quæ contracta est, per eos qui possunt sit erasa. Si autem quis in eo volutabro adhuc versetur, indignissimus est cui Ecclesia credatur, aut Ecclesiasticum beneficium, etiamsi simplex.

11. Infinitus est in hoc puncto Petrus Damiani, cum alibi, tum nominatim Opusc. 17. *toto*, & Opusc. 18. vbi cap. 1. ex nitore & munditia sacrorum hominum, quia ad altare Dei, vbi virgineum corpus Christi conficitur, saltem vt ministri accedunt; necessariam eis esse summam munditiam demonstrat. In quam rem ex eodem & aliis plura in calce heteroclitorum pietatis circa sacrum altaris ministerium. Occasione verò sacrorum hominum, concitatur etiam Damiani in ipsas lupas sceleris socias & administras, quas hisce conspergit floribus, eodem Opusc. 28. dissert. 2. cap. 7. [Interea & vos alloquor, ô lepores Clericorum, pulpamenta Diaboli, proiectio paradisi, virus mentium, gladius animarum, aconita bibentium, toxica conuiuarum, materia peccandi, occasio pereundi. Vos (inquam) alloquor gynecæa hostis antiqui, vpupæ, vlulæ, noctuæ, lupæ, sanguisugæ, *affer, affer*, sine cessatione dicentes. Venite itaque audientes me, spurca, prostibula, sania volutabra porcorum pinguium; cubilia spirituum immundorum, nymphæ, sirenæ, lamiæ, dianæ, & si quid adhuc portenti, si quid prodigij reperitur, nomini vestro competere iudicetur. Vos enim estis dæmonum victimæ, ad æternæ mortis succidium destinatæ. Ex nobis enim Diabolus, tanquam delicatis dapibus pascitur, vestræ libidinis exuberantia saginatur. *Habitat* enim iuxta scripturam *in secreto calami, & in locis humentibus*. Vos estis vasa iræ, & furoris Domini, reposita in diem vltionis. Vos tygrides impiæ, quarum nesciunt præter humanum sanguinem cruenta ora sitire. Vos

harpyiæ, quæ sacrificium Domini, circumuolantes arripitis: eósque qui Deo oblati fuerant crudeliter deuoratis. Nam & leænas vos non incongrue dixerim, quæ belluarum more, iubas attollitis, & incautos homines ad suæ perditionis interitum cruentis amplexibus harpagatis. Vos Sirenæ, atque charybdes, quæ dum suauem deceptionis editis cantum, ineuasibile struitis salo vocante naufragium. Vos viperæ furiosæ, quæ præ impatientis ardore libidinis, Christum, qui caput est Clericorum, vestris amatoribus detruncatis.]

12. Innocentius I. epistola 2. c. 9. egregiè in hanc rem disserit, sed quia eius oratio, ex parte etiam verbis recidit in ea quæ sancita sunt non ita multò post in Concilio Turonensi I. sub Hilaro Papa anno 482. celebrato, sat erit adducere hoc Concilij decretum, quod est ordine primum. [Sacerdotes vel ministri Ecclesiæ (de quibus dictum est, *vos estis lux mundi*,) ita in omni sancta conuersatione in Dei timore actus suos dirigant, vt & diuinæ possint placere clementiæ, & bonorum fidelibus præbeant exemplũ: quia sicut væ eis interminatur per quos nomen Dei blasphematur; ita illi immortalitatis gloriam consequentur, per quorum actum nomen Dei benedicitur. Si enim vniuersis fidelibus secundùm Apostolicam doctrinam, castitas custodienda indicitur, vt qui habent vxores, ita sint quasi non habentes; quanto magis Sacerdotes Dei ac Leuitæ diuino mancipati altario, custodire debent, vt non solùm cordis, verùm etiam corporis puritatem seruantes, pro plebe supplicaturi, preces illorum ad diuinum mereantur introire auditum? quia secundùm autoritatem Apostoli *qui in carne sunt Deo placere non possunt. Vos autem non estis in carne, sed in Spiritu*. Et iterum; *Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil mundum; sed polluta est eorum mens & conscientia.* Cum ergo Laico abstinentia imperetur, vt possit orationi vacans, & Deum deprecans exaudiri; quanto magis Sacerdotibus vel Leuitis, qui omni momento parati esse debent in omni munditia & puritate, securi, ne aut sacrificium offerre, aut baptizare, si id temporis necessitas poposcerit, cogantur imparati, aut immundi? Qui si contaminati fuerint carnali concupiscentia, qua fronte excusabunt, quo pudore vsurpabunt, qua conscientia, quo merito exaudiri se credent.] Horrendum in hanc rem exemplum, recitat Petrus Cluniac. l. 1. mirac. cap. 25.

13. Itaque serui Dei & sacri ministri, cuiusmodi sunt omnes beneficiarij, cum aliis virtutibus splendeant, tum nominatim castitate, vt non vituperetur ministerium eorum; non contingat plebem fidelium, prolapsiones eorum à quibus erigi verbo & exemplo debuerant, ad suæ nequitiæ patrocinium posse causari, vt est frequentissimum. Verum est, obtendentes culpas Sacerdotum, se ipsos decipere. Id quod præclarè prosequitur Turrianus l. 2. de hierar. ordinat. c. 24. ex Theolepto. Idem habent Sanctus Augustinus serm. 49. de verb. dom. & hom. vlt. ex 50. Chrysost. hom. 4. de verb. Esaiæ *vidi Dominum*, sub finem & hom. 2. in 2. ad Timo. Quamuis ergo se decipiant id obtendentes Sacerdotum criminatores, tamen eorum ruina non minùs consequitur; & cum consequatur per Sacerdotes qui eis occasionem dederunt, tota in illos refunditur, reddéntque de ea rationem.

Minister

Minister ad quam probitatem ex iustitia astringatur.

14. EX dictis eruendum est, cur improbitas ministri dehonestatura sacrum ministerium, & cassam illius omnem operam reddiitura, vitiosam reddat beneficij, cui ministerium confertur, captationem & aditionem. Sicut enim si ministerij onus & obligationem per beneficium susceperit, & ita viuat vt quantum ministerio teneat prodesse tantum noceat malo exemplo; grauiter peccat, contrahítque peculiarem culpam: ita si ad illud munus aspiret, nolens vitam muneri conuenientem cum illud adiuerit exigere; voluntatem illam qua aspirat & qua suscipit munus quæsitum, maculat similis culpæ deformitate; quamquoad beneficia curata verisimillimum est esse contra iustitiam, vt probo agens de heteroclita tractatione verbi Dei; vbi declarata est obligatio iustitiæ, qua concionator cum ex pacto & numerato stipendio agit ad populum, astringitur viuere, vt docet, ne dicta factis deficientibxs erubescant. Atqui is qui habet beneficium curatum, tenetur ex tali pacto agere ad populum sibi commissum. Æquè ergo delinquit contra iustitiam, si non viuens vt docet, reddat suum ministerium inefficax. Ac proinde si velit locum, in quo sic docendi necessitas incumbit, adire; aut etiam illum reipsa adeat maculatus notis vitæ improbæ dehonestaturæ ministerium, & eius fructum præpediture, non videtur vacare speciali peccato iniustitiæ. Quod in illis Diui Gregorij verbis hom. 17. in Euangelium, quibus (vt monstraui) indignos beneficiarios arguit, videmus posse deprehendere. [Audiamus quod Beati Iob voce dicitur. *Si aduersum me terra mea clamat, & cum ipsa sulci eius deflent, si fructus eius comedi absque pecunia.* Terra etenim contra possessorem suum clamat, quando contra pastorem suum, iustè Ecclesia murmurat. Cuius etiam sulci deflent, si corda audientium quæ à præcedentibus sunt Patribus prædicationis voce & vigore inuectionis exarata, vident aliquid quod lugeant de vita pastoris. Cuius videlicet terræ fructus, possessor bonus sine pecunia non manducat, quia discretus pastor prærogat talentum verbi, ne ad damnationem suam de Ecclesia stipendium sumat alimenti. Tunc enim de terra nostra cum pecunia fructus comedimus, quando sumentes Ecclesiastica subsidia, in prædicatione laboramus. Præcones namque venturi Iudicis sumus. Quis ergo venturum Iudicem nunciet, si præco tacet? Proinde considerandum nobis est, vt inquantum valet quisque, vel inquantum sufficit, & terrorem venturi iudicij, & dulcedinem regni susceptæ Ecclesiæ insinuare contendat.] Quod & verbi prædicatione & maximè vitæ Sanctæ ministrorum sacrorum exhibitione peragi, insigniter tota ferè homilia prosequitur Sanctus Gregorius.

Aditio Beneficij per improbum, valida, sed caduca.

15. NEque tamen ita volo aditionem beneficij per improbum & nigrum eius candidatum esse vitiosam, vt simul sit irrita & nulla. Nisi enim eiusmodi sint eius culpæ, vt censuram vel irregularitatem habeant adiunctam, ita vt vi censuræ & irregularitatis perdurantium, quamuis iam mu-

tata mente & piæ vitæ voluntate concepta, candidatus excludendus esset valida beneficij aditione: fatendum est beneficium validè suscipi vt rectè tradit Nauar. in cap. *si quando* except. 16. & 17. & in Summa cap. 27. num. 251. Ex quo habetur, non esse approbandam illam Armachani doctrinam l. 10. de qq. Armeno. cap. 23. quod omnis qui per aliquod peccatum irrepsit in beneficium; non illicitè modò, sed etiam inualidè beneficium adiuerit, si peccatum acquirentis beneficium, fuerit causa vel occasio data, mouens præcisè collatorem alias non collaturum. Ex quo infert ibidem, & c. 24. & 25. non esse pro ambitiosis, aut cupidis, vel adulatoribus, similique via & modo ingressis in beneficia aliud remedium, quàm dimittere beneficium, cuius titulo apud Deum destituuntur. Tota autem ratio qua Armachanus nititur, est, quia qui non intrat per ostium in ouile sed ascendit aliunde, ille fur est & latro. Atqui is qui intrat in beneficium mediante peccato, non intrat per ostium; hoc est, per Christum qui est via, veritas, & vita; cum è contrario peccatum sit tortuositas, falsitas, & mors. Igitur nullus qui per peccatum sit causa obtinendi beneficium, validè illud acquirit; præterquamquod constet acquirere illicitè. Hæc doctrina Armachani est planè falsa; & ex ea sequeretur, non modò peccatum eius qui captat beneficium, sed cuiuscunque ad beneficij assecutionem interuenientis, reddere collationem nullam: quia quatenus interuenit peccatum, non intratur per Christum. Itaque ingressus per ostium de quo Christus agebat, longè alius est ab ingressu valido in beneficium. Hic enim tantùm consistit in aditione beneficij concessa per legitimam potestatem, absque vlla inhabilitate ex parte subiecti legitimè præpediti; ne cum tali defectu obtineat beneficium. Nulla autem est talis inhabilitas, siue iure diuino, siue humano inducto ob peccatum quodcunque, præbens causam acquisitioni beneficij. Atque adeò beneficium non obstante interuentu talis peccati, potest validè adiri, nec est ex necessitate dimittendum ab eo qui semel illud adiuerit per eam viam, vt volebat Armachanus. Et ita tradit communis sententia, pro qua videndus Nauarrus in summa c. 23. n. 203. & 104. Couarr. reg. *peccatum* p. 2. §. 8. & Lessius l. de iust. c. 35. num. 166.

16. Caducitate tamen laborat ea susceptio beneficij, per hominem ministerij probrum futurum, qui ab eo qui pollet potestate, debet irritari iuxta cap. *inter dilectos*, de excess. Prælat. Suntque exempla innumera in antiquis Conciliis & historiis sacris, de improborum beneficiariorum, statum suum dehonestantium, depositione & deiectione è beneficio. Illustre est quod de Salonio Ebredunensi, & de Sagittario Vapincensi, germanis fratribus, constitutum esse in Synodo Cabilonensi scribit Marius Auenticensis in Chronico. Nec dissentit Gregorius Turonensis cum l. 5. hist. cap. 21. docet id factum esse Lugduni à Sancto Nicetio in Concilio voluntate Regis Gunthranni congregato. Id enim verum est de prima eorum depositione, quæ postea à Ioanne Papa dolosis allegationibus circumuento, cassata est. At secunda depositio quæ firma permansit, facta est in Concilio Cabilonensi, vt eodem libro cap. 28. narratur, summatimque attinguntur eorum scelera pro Episcopis planè immania, de quibus diffusiùs eo cap. 21. in [illegible] cap. 37. libri quarti. Et vtrobique arguuntur, quod non cruce cœlesti muniti, sed galea aut lorica seculari armati, fuissent in prælio extra

extra religionis causam inito, tanquam vnus ex laicis; & manibus propriis cædem patrassent. Alij ob alia vitæ & gradus dehonestamenta, æquè deiecti è gradu leguntur, & beneficia queis potiebantur amisisse. Ebo ob conspirationem in Ludouicum Pium, semel & iterum depositus est, vt habet Narratio Clericorum Remensium exhibita à Quercetano Tomo 2. miscellæ Francicæ. Quorum ergo eiectio iusta fuit, si sordes quibus illiti sunt aduenerunt post aditum beneficium; æquè fuisset iusta initio aditionis beneficij: quam idcirco aiebam infirmam & caducam fuisse, his causis substantibus. Ex quo etiam exemplo, firmatur quod initio dixi. Nimirum sicut permansio in beneficio, personæ in tali nequitia obduratæ, specialiter illicita esset: sic & aditio prima beneficij, non vacabit specialNabe, si subiectum non concipiat voluntatem assumendi eam vitæ rationem, quæ non dehonestet ministerium.

Ignorantia in Beneficiario fœda, ac primùm ratione muneris.

17. PAulo seueriùs statuunt iura de aditione beneficij, per eum qui planè destituatur scientia. Quia enim is qui planè illiteratus est, nullo modo potest fungi suo munere, & ministerium cui beneficium addicitur implere, propterea Doctores c. *cum in cunctis*, de elect. post Innoc. ibi, & cap. *dudum* eodem, cum Panormitano ibidem, annuente latè Nauarro ad cap. *si quando* exceptione 16. & Lambertino Tract. de iure patron. l. 2. p. 1. q. 9. art. 24. & Flamin. l. 5. de resign. benef. q. 3. num. 25. & multi quos congerit Carolus de Grassis præludio ad tract. de effectibus Clericatus, num. 69. 70. 71. 72. & 73. decernunt irritam esse susceptionem beneficij per hominem prorsus illiteratum: quod vidimus non statui de homine nequam, nisi eius peccata excommunicationem vel irregularitatem inuexissent, quibus beneficij susceptio precluderetur. Si tamen non esset prorsus illiteratus, sed aliqualem literaturam haberet, qua vtcunque munus suum exequi posset, nec breui speraretur assecuturus sufficientem literaturam, non esset quidem irrita susceptio beneficij, esset tamen autoritate superioris irritanda, in quo improbitas & ignorantia suscipientis beneficium, habent se eodem modo. Ad explorandum autem quinam habeant literaturam congruentem ministerio quod est annexum beneficio, mandat Tridentinum sess. 7. cap. 13. de reform. & sess. 25. cap. 9. adhiberi examen; præterquàm si aliqui ad beneficia non parochialia, ab Vniuersitate quapiam præsententur. Tunc enim abstinendum esse examine habetur cap. illo 13. Extra eum euentum tanto studio indicit Concilium adhiberi examen, vt institutionem beneficiarij à quocunque infra Episcopum factam, non præuio examine per Episcopum adhibito, velit esse irritam vt habetur dicto cap. 9.

18. Rationes cur Ecclesia à beneficiariis ignorantiam depulsam tanta sollicitudine velit, & planè exigat suppetere scientiam conuenientem, non sunt obscuræ, siue attendatur ipsum munus, & populorum necessitas, siue persona ipsa beneficiarij. Et imprimis, id planè fert natura rei. Nam committere munus homini qui peritia ad illud obeundum necessaria destituatur, perinde est, ac velle munus inutiliter vel etiam cum damno fieri. Sicut igitur qui nauem committeret nauclero prorsus imperito, peccaret grauiter; nec secus ageret ipse

nanclerus imperitiæ suæ conscius, arripiens munus cuius non habet peritiam: ita res quoque habet in capessente sacra ministeria, cáve committente. Nam etiam Ecclesia nauis est. Verba multorum Patrum id ferentia, adduxi agens de Christo itinere nostro ad Deum, terra marique. Nunc sufficit Prosper l. 1. de vita contempl. c. 16. [Ecclesia veluti nauis magna, per mare mundi huius enauigat, quæ diuersis tentationum fluctibus in hac vita contunditur; quæ immundorum spirituum persecutionibus velut quibusdam procellosis fluctibus in diuersa iactatur: quæ scandalorum cautibus vadosis illiditur, quæ velut aggere arenæ grauantis cingitur, non relinquenda est, sed regenda: quæ sicut omnes quas vehit, perducit incolumes gubernatoris vigilantia gubernata, ita non solùm omnes quos habet, sed etiam ipsum gubernatorem perdet submersa fluctibus, aut soluta.] Quomodò autem reget imperitus rectionis. Quomodò non intelligens, gubernacula possidebit?

19. Significauit hanc ministri Ecclesiastici, præsertim Curati, obligationem ad scientiam habendam aut comparandum, eidem vi muneris iniectam, Deus ipse Ezech. 33. vocans sacrum ministrum *speculatorem*: quo nomine vt Prosper pulchrè notauit l. 1. de vita contempl. l. 20. & optimè S. Isidorus l. 3. de summo bono cap. 35. ac ex Conc. Aquisgr. sub Ludouico Pio cap. 16. significauit scientiam maiorem quàm sit in plebe fidelium: vt sicut sacri ministri sunt in editiore loco constituti, qua in parte referunt speculatorem: ita eum quoque æmulentur prospectu & scientia ampliore, quæ obeundo muneri quod susceperunt, est necessaria. Sed heu, quod apud Isaiam cap. 56. legimus de Synagoga, vtinam in Ecclesiam quoque Christianam ex parte non cadat. *Speculatores eius cæci omnes*; id est, ignorantes; cum tamen ad aliorum directionem deberent esse perspicacissimi. Philippus Abbas l. de scientia Cleric. cap. 24. diuinam voluntatem de scientia ministrorum sacrorum eruit ex eo diuino mandato, quo Ezechiel iussus est cibari volumine. [Pulchrè (inquit) Propheta & Sacerdos, qui ad filios Israel mittitur, priùs cibatur volumine, quia Clericus cuius officij est pagina scientiæ alios impinguare, non debet inedia laborare: & qui jubetur doctrinæ salutaris crapulam eructare, ab eadem proculdubio scientia non debet ieiunare. Quomodò enim vitalem doctrinæ alimoniam indigentibus poterit ministrare, qui pressus fastidio, mortiferum ignorantiæ langorem lima studij noluit extirpare?] Hieronymus Episto. 83. [Quod doctrina à Sacerdotibus expetatur, & veteris præcepta sunt legis, & ad Titum pleniùs scribitur. Innocens enim & absque Sermone conuersatio, quantum exemplo prodest, tantum silentio nocet. Nam & latratu canum, baculóque Pastoris, luporum rabies deterrenda est.]

Denique Petrus Blesensis epistola 23. ex variis Scripturis ita in hanc rem disserit.] Qui nihil didicit, aliorum Doctor efficitur, & quasi æs sonans aut cymbalum tinniens, vsurpat prædicantis officium, cum sit truncus inutilis, & idolum mutum. Apud veteres erat conditio sapientum inæstimabiliter venerabilis; hodieque prudentia, tanquam vtilis, & abiecta calcatur; quadam verò abominabili mutatione, stultitia ponitur in sublimi: Hoc est, quod Ecclesiastes deplorando conqueritur. *Vidi (inquit) malum quod sub sole est, stultum positum in dignitate sublimi, & sapientes sedere deorsum.* Sacræ Scripturæ prorsus expertes, onus importabile

tabile dignitatis vsurpant: de aliena potiùs, quàm de sua scientia, præsumentes. Alia erat Apostoli sententia discipulum instruentis. *Tibi*, (inquit,) *commendo fili Timothee, regere Ecclesiam Dei, secundùm quod noui te scientiam habere sacrarum litterarum.* Scientia siquidem, spiritualis gladius est in manu potentis. Hæc est pera in qua Dauid tres limpidissimos lapides posuit, quibus Goliath prostrauit. Hæc est asinæ mandibula, quæ Samsoni mille hostium stragem fecit. Hic est vomer ille aratorius, quo Samgar sexcentos Philistæos occidit. Episcopus illiteratus, præco est mutus. Prælati est erudire subiectos, reddere populum acceptabilem Deo, aperiendo mysteria Scripturarum. Petro enim & successoribus eius, præcipitur ducere in altum rete, id est profundam sacræ scripturæ intelligentiam in capturam hominum aperire. Veruntamen hodie, sicut populus, sic Sacerdos: sicut tenebræ eius, ita & lumen eius: Erubesce Sidon, ait mare; Erubescat, doleátque Prælatus præesse populo, nec prodesse? docentis assumpsisse officium, & in doctrina populi mutum esse.]

Vtinam autem non plus satis docuisset experientia, quantam cladem inuexerit Ecclesiæ imperitia Clericorum, nescientium obire munus quod susceperunt. Et vt anteriora non retexam, proximè superius seculum, quod Alphonsus de Castro notauit l.3. de iusta hæret. punit. cap. 5. & Lessius l. de iust. cap. 34. num. 54. quantas passum sit strages animorum per ignorantiam Cleri, vix dum benè obductis vulneribus, neminem latet. [Vtinam (aiebat de æui sui beneficiariis Laur. Iust. l. de compunct. & complanc. Christ.) pers. sibi ipsis mali essent, & aliis conarentur prodesse; vt si, non illorum vita imitabilis foret, essent tamen facienda; quæ dixerint. Vtroque prorsus carent; Nec vitam, neque scientiam habentes. Sunt omnes ignari & inscij, exceptis paucissimis; & quod deterius est, addiscere non dignantur. Omne tempus doctrinæ deditum, se arbitrantur amittere, carnis voluptatibus intenti. Potius eligunt vagari quotidie & confabulari; quàm sacrarum Scripturarum se lectioni dare: obliuioni tradentes quod dicitur; *Interroga Sacerdotes de lege.* Et illud propheticum: *Labia enim Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est.* Ipsi nec interrogare volunt, neque interrogari possunt; quoniam idiotæ sunt. Ad arentem fontem quis pergeret, vt aquam hauriret? Sic tales aridi non solùm malum doctrinæ imbrem populis propinent sitientibus: verùm etiam mala consilia præstant, quibus plebeculæ moriuntur.]

20. Hæc ætate nostra, & patrum nostrorum, nimium quantum vera fuerunt. Verè enim dicere licuit illud Oseæ. 4. *Conticuit populus meus, eo quod non habuerit scientiam.* Conticuisse idem eo loco sonat, quod ad summum mœrorem fuisse deductum, qui externum quoque luctum & lachrymas includeret. Et præmissum sanè fuerat iustum tanti mœroris argumentum, cùm dictum est, *corrues hodie, & corruet etiam propheta tecum.* Itaque & populus, & populi doctor, cuiusmodi est homo de clero, & sacer minister, eodẽ exitio sunt inuoluti, & tota huius cõmunis exitij causa, ad sciẽtiæ defectum reuocatur. Scientiæ autẽ defectũ, inuexit imperitia ministrorum, quorum erat ignorantiam à populo depellere. In quam curã & illuminationem luminis scientiæ, cum deberent sedulò incũbere, toti fuerunt comedendis populi peccatis, vt subditur apud Oseam v. 8. id est.

Solliciti admodùm fuerunt de percipiendis fructibus beneficiorum, tanquam pro ministerio debitis. Ipsum autem ministerium, quod à doctrinæ communicatione auspicandum erat, despectui habuerunt. Itaque mirum non est, si quod additur v. 9. *erit sicut populus, sic Sacerdos*; Et omnes communiter perierunt. Nimirum si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt; & obscuratis oculis corpus totum est incuruatum, vt S. Gregorius p. 1. cap. 1. Pastoralis, interpretatus est locum è Psalmo 68. [Oculi quippè sunt (inquit,) qui in ipsa honoris summi facie positi, prouidendi itineris officium suscipiunt, quibus hi nimirum qui subsequenter inhærent, *dorsa* nominantur. Obscuratis ergo oculis, dorsum flectitur: quia cùm lumen scientiæ perdunt qui præsunt: profectò cuncti ad portanda peccatorum onera curuantur, qui sequuntur.]

De eadem fœditate ex parte Beneficiarij.

21. IAm ex parte ipsius ministri, esse summopere necessariam scientiam, ita vt qui ea caret, non modò aliis prodesse nequeat, sed sibi quoque plurimùm obesse cogatur, ex eodem Oseæ capite colligitur: vbi Deus contestatur agens cum stirpe Leuitica & Sacerdotali, qua sola continebatur antiquus Clerus, *quia tu scientiam repulisti, repellam & ego te, ne sacerdotio fungaris mihi.* Ex quo loco, Synodus septima, & habetur cap. *omnes*, dist. 38. infert quanta sit scientiæ necessitas in Christianis sacris ministris. Indidémque etiam in eam rem argumentatos video S. Bernardum serm. 36. in Cant. & Philippum Abbatem l. de scientia Cleric. cap. 23. Meritò autem repellitur à Sacerdotio qui scientiam repulit, quia ignorantia omnem iniquitatis exercitum ductat, iuxta illud Marci Eremitæ l. de salutar. docum. [Ignorantia malorum omnium mater, obliuio eius soror, adiutrix & socia, & quæ tenebrosum atræ nubis amictum & velamen subtexit animæ socordia. Hi, tres potentes Diaboli Gigantes: hoc est præsidium alienigenarum intelligibilium.] In eandem sententiam Philippus Abbas l. de scientia Cleric. cap. 27. ex Apostolo 2. Timo. 3. sic disserit. [*Tu autem assecutus es meam doctrinam, institutionem, propositum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam*; Picturus cæteras virtutes, doctrinam præmisit, vt eam quasi scholam, & quoddam esse conflatorium demonstraret: vnde lima, & studio, virtutum catalogus pullularet.] Egregia Epistola Caroli Magni ad Baugulfum Fuldensem, eodem exemplo data ad omnes Episcopos & Abbates, qua ingens necessitas scientiæ in omnibus sacris hominibus aperitur, extat Tomo 2. Conciliorum Galliæ, quæ data dicitur anno regni Caroli 20. Christi 788. Ferri posse in plebe ignorantiam, in eius auctore esse intolerabilem, egregiè confirmat Naz. orat. 21. num. 31. & præiuerat Orig. hom. 2. in Leuit. *initio*, monstrans idcircò non esse memoratam in sacrificio Pontificis, ignorantiam.

22. Accedit alterum grauissimum incommodum imperiti Clerici. Ferè enim caret occupatione, nisi literas calleat per quas occupari conuenienter queat. Vt autem est apud Prosperum l. 2. de vita contemplat. cap. 16. [Qui otiosa quiete perfruitur, nisi spiritualiter vixerit, more pecudum viuit.] At cum viuere sit agere, quomodò spiritualiter viuet, qui principio totius spiritualis negotiationis, quod scientia continetur, vacuus est? Itaque ea innocentissima, & hominis à turba

turba semoti maximè propria occupatione destitutus Clericus, ne quod fieri omnino nequit planè exsors cogitationum degat, (molæ quippè nostræ iuxta Cassianum collat. 1. cap. 18. aliquid semper molant necesse est ;) cogitur ea versare animo, quæ statum eius maximè dedecent. Et qui minimè mali videntur, venationi dant operam, vel quæstui domestico se impendunt, parum profectò decoro occupationis genere distenti ; sed quod animus à scientia auersus necessariò indicit. Vrget hanc rationem Philippus Abbas l. de scientia Cleric. cap. 29.

23. Ex duplici capite proximè tacto, nempe ex necessitate scientiæ in sacris ministris ad bonum Christiani populi, & ex eiusdem qualitatis vsu ad bonum ipsorum ministrorum ; duo inferri video, quæ iuuat obiter notare. Infert imprimis S. Hieronymus epistola ad Marcellam, quantoperè hallucinentur simplices aliqui, habentes exosam in sacris hominibus scientiam : tam hebetis cordis homines, vt crassam rusticitatem, solam pro sanctitate habeant, piscatorum se discipulos asserentes, quasi idcirco sancti sint, si nihil scierint. Longè porrò ab hoc simplicitum rusticano sensu abfuerunt Patres, qui aliquando, studio comparandæ scientiæ visi sunt minùs fauere. Neque enim scientiam quomodocunque in sacris hominibus improbant, sed scientiam inflantem. Itaque S. Bernardus s. 36. in Cant. præcipuos quoque ministros sacros, non de schola Rhetorum aut Philosophorum assumptos, sed ignaros fuisse præfatus, veritus ne in eam reprehensionem quam ex Diuo Hieronymo retulimus, se indueret. [Videar (inquit) forsan nimius in sugillatione scientiæ, & quasi reprehendere doctos, ac prohibere studia litterarum. Absit. Non ignoro quantum Ecclesiæ profuerint, & prosint litterati sui, siue ad refellendos eos qui ex aduerso sunt, siue ad simplices instruendos. Denique legi ; *Quia tu repulisti scientiam, repellam & ego te, vt non fungaris mihi sacerdotio.* Legi : *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti ; & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Sed & scio vbi legerim. *Scientia inflat,* & rursum. *Qui apponit scientiam, apponit & dolorem.* Vides quia differentia est scientiarum, quando alia inflans, alia contristans est? Tibi verò velim scire quænam harum videatur vtilior, seu magis necessaria ad salutem ; Illáne quæ tumet, an quæ dolet? Sed non dubito quin dolentem tumenti præferas : quia sanitatem quam tumor simulat, dolor postulat. Qui autem postulat, propinquat saluti : quoniam qui petit, accipit. Denique qui sanat contritos corde, execratur inflatos.]

Non igitur absolutè scientiam à sacris hominibus ablegatam vult S. Bernardus, sed inflantem tantùm, quæ meritò est despectui : solidam verò & humilem, non ita. Eam quippè maximo in pretio semper habuit Ecclesia ; & homines ea instructos, imperitis longè antetulit. Christus ipse ; vt notauit Philippus Abbas l. de scientia Cleric. c. 26. quos idiotas vocauerat, non reliquit idiotas, sed impleuit quasi Phison sapientia in diebus nouorum, & tanquam scriba doctus protulit eis de thesauro suo noua & vetera.

24. Infert secundò ex antedictis Philippus Abbas l. de scientia Clericorum à cap. 23. quantum debeat esse Clerico sacræ lectionis studium. Nam quod optimè tradit Cassiod. l. 11. var. *in fine præfationis*, lectio est mater peritiæ. Id quod egregiè quoque habet Ennodius l. 8. epist. 19. Ait ergo Philippus, debere Clericum iugi & assiduo labore Scripturas versare ; & scilicet earum interpretes, San-

ctos Patres ac Christianos Doctores. [Hi (inquit cap. 23.) possunt alios docere iuxta legem qui didicerunt legem. Nam quemadmodùm quidam Ethnicus dici; Quod non nouit, nemo docere potest. Et quomodo quæso vos, potest Clericus scire legem nisi legendo; nisi diuinæ lectioni diligentiùs insistendo? Vnde paulo post subiungitur: *Describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine: legétque illud cunctis diebus vitæ suæ, vt discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba, & ceremonias eius, quæ in lege præcepta sunt.* Oportet itaque Clericos assiduam dare operam lectioni, si diuinæ volunt satisfacere iussioni.]

His itaque constitutis, de opportunitate & necessitate scientiæ in sacro ministro; cum vt ministerium suum obire & Ecclesiam iuuare possit, tum vt sibi ipsi non sit noxius; meritò assumebam, captationem & aditionem beneficij absque scientia muneri accommodata, vitiosam esse, quia est appetitio finis absque vsu mediorum necessariorum. Neque verò licet dicere, facile postea fore, parto semel beneficio, dare operam comparandæ scientiæ. Id enim ex eo genere rerum est, quæ sunt infrequentissimæ, & vix ac ne vix quidem contingunt. Scitè Philippus Abbas l. de scientia Cleric. cap. 28. [Putant sufficienter se esse Literatos, si se diuitiis & honoribus viderint sublimatos; feliciúsque iudicant prosperitate pecuniaria gloriari, quàm discendi gratia, ærumnis & laboribus cruciari. Cum enim eis ad nihil aliud scientia valere videatur, nisi vt per eam ad honores & diuitias temporaliter veniatur, si fortè hæc compendio sibi viderint abundare, in illa acquirenda superfluum reputant laborare; non satis considerantes illud mandatum Sapientiæ, *Apprehendite disciplinam & non pecuniam, doctrinam magis quàm aurum eligite.* Hoc ipsum igitur quod fortè in pueritia sunt adepti, dum adhuc parentibus & Magistris ætatis beneficio fuere subiecti, processu temporis cum iam maiorem profectum deberet adipisci, præualente otio coguntur obliuisci. Inde est quod multos videmus diuitiis & reditibus cumulatos, multos honoribus Ecclesiasticis phaleratos; & tamen tam simplices, idiotas, illiteratos, vt cum inter Clericos venerint qualibet ex causa pariter congregatos, vix inter eos audeant linguam proferre Latinam, & si fortè præsumpserint, sermo eorum scholarem non redolet disciplinam. De cuiusmodi, Scriptura diuina dicit, *Quid prodest stulto habere diuitias, cum sapientiam emere non possit.*]

Typi veteres in bigam defectuum, de quibus hactenus; stultitia ambientium Beneficia colligitur.

25. DVplex porrò Clerici ornamentum de quo hactenus, sanctitatem inquam atque scientiam, & duplicis inhabilitatis ad beneficium, ignorantiæ inquam atque improbitatis depulsionem necessariam, signarunt egregiè duo veteres typi; alter ita summi Sacerdotis proprius quoad externam formam, quia præ cæteris præferre hæc ornamenta debebat, vt tamen internum decus æquè ad omnes sacros ministros pertineret, vt in simili dixit Phil. Abbas l. de Dignit. Cleric. cap. 20. *Vrim & Thummim* vocabant; quibus nominibus doctrina & perfectio pectori Pontificis inditæ designabantur. Alter typus erat

tunica

tunica gemina, quam ad rem præsentem sic accommodat idem Phil. Abbas l. de Dignit. Cleric. cap. 20. [Vestimentum quod Clericum ornat & munit, scientia, & iustitia est; quarum altera sic alteri necessariò copulatur, vt ad vesteindum Clericum, vna sine altera insufficiens habeatur. Neque enim sufficit eum vestiri, vel inducta iustitia, vel iniusta scientia; primò necesse est vt duabus tunicis sit vestitus, hoc est scientia & iustitia pariter insignitus. Denique Aaron primus in lege Pontifex, qui typus & figura nostri est Clericatus; sic legitur ex præcepto Domini fuisse tunicatus. Tunicauit quippè illum Moyses iubente Domino; duabus tunicis; vna byssina, id est, linea interiori, altera verò iacynthina exteriori. In linea videtur subtilis & interna scientia scripturarum signari; in qua debet Clericus legendo, meditando, quasi totus versari, & tanquam in molli veste & tenera delectabiliter deliciari. In iacynthina, quæ exterior aërij est coloris, tam viuendi quam prædicandi iusta operatio demonstratur; per quam Clericus, quæ cœlestia sunt appetere comprobatur: vt cum interiùs in appetitu scripturarum ferueſcat; exteriùs tamen à iustis operibus non torpescat; sed tam viuendo quàm docendo, longè latéque eius sanctitas omnibus innotescat. Quod etsi filij eiusdem Aaron, non duabus tunicis sed vna tantùm linea inueniuntur induti; non tamen ab eo quod illæ duæ significent, creduntur absoluti; quum videlicet & scientiam & iustitiam iubeantur habere, sed eum qui maior est Pontifex, magis in illis expedit eminere.] Eodem refert cap. 21. byssum & purpuram, quæ indumentum Ecclesiæ esse dicuntur Prouerb. vltimo.

26. Hinc item inferre licet, quàm auersum sit eorum iudicium, qui beneficia (præsertim curata, & præfecturas animarum,) captant, ad quas duplex hic apparatus & intellectus & voluntatis, est pernecessarius, vt conuenienter liceat munere suo defungi. Est de hac re eximia omnino Isidori Pelusiotæ Epistola ad Palladium Diaconum ambitus notatum l. 3. Epistola 16. ex qua nonnulla decerpo. [Non cuiuslibet hominis est, imperium huiusmodi arripere, quod regnum quoque antecellit: (Illud quippè diuina, hoc humana moderatur) verùm paucorum admodùm, quos non minùs iis quibus præsunt, quàm pastores ouibus (ne quid amplius dicam,) præstare æquum fuerit. Quid igitur ait? *Oportet igitur Episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, pudicum, modestum, hospitalem, doctorem, patientem, non vinolentum, non percussorem, sed mansuetum, non litigiosum, non auarum, domui suæ bene præpositum, filios habentem subditos cum omni grauitate. Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei curam habebit? Non Neophytum: ne in superbiam elatus, in iudicium incidat Diaboli.* Ecquid autem horum, à plerisque (quorum numerum ipse quoque auges,) præstitum est, vt rem quæ ipsorum captum superat, expetant? An ea ipsorum vita est, in quam nulla reprehensio cadat? An ea vigilantia sunt, vt animi oculum insomnē habeant? An pudicitiæ laude ita explenduerant, vt non modò integram atque incolumem mentem habeant, verùm etiam eos qui in impuros concubitus tanquam œstro quodam ac furore perciti feruntur, vel tacentes ad meliorem mentem reuocent? An tanta ipsis modestia inest, vt ex ipso incessu & aspectu, & ex ipsa voce, spectatoribus terrorem iniicere queant? (siquidem ij qui Episcopatum nacti sunt, non secus atque vniuersæ Philosophiæ simulacrum spectan-

Vu

dos sese præbere debent;) An vsque adeò hospitales sunt, vt ignotos etiam pauperes domum ad epulas inuitent? An doctrinæ sermonem, studio ac meditatione ita consecuti sunt, vt etiam cœlestis gratia arcanorum ac spiritualium sermonum fontes in ipsorum lingua collocarit? An ea in ipsis mansuetudo ac morum facilitas emicuit, vt nunquam aduersùs quenquam debacchati sint? An à pecuniarum amore ita abhorrent, vt honestis etiam ac iustis rationibus partas facultates agentibus distribuerint? An ea patientia præditi sunt, vt eos etiam, à quibus sine vlla causa contumeliis afficiuntur, & accusantur, perferant? An denique alia ea ipsis ornamenta præstò sunt, quæ Paulus optimum pastorem pingens, exposuit? Quidnam quæso est, quod eos in tantum furorem præcipites egit? Similia ex variis Patribus profero in Commonitorio de moderationis moderatione. §. 1. tractans difficultatem & pericula sacræ Præfecturæ.

Beneficij ante ætatem aditi, labes.

27. DEfectus tertius subiecti beneficium captantis, penes quem aditio beneficij inquinatur, nec rarò etiam irritatur, est ætas immatura: quæ qualis sit, petendum est ex cap. *cum in cunctis* de elect. quod innouatur in Tridentino sess. 24. cap. 12. de reform. Videnda item eiusdem Concilij sessio 23. cap. 6. Latè id versat Vasq. tract. de benef. c. 3. §. 2. & Guttierres l. 1. qq. Cano. c. 26. Breuiter dico, ad Episcopatum deposcitur ætas triginta annorum exactorum. Ad beneficium habens curam animarum infra Episcopatum, exiguntur anni viginti quinque; saltem initi. Ad dignitates & personatus sine cura animarum, exigitur ætas annorum viginti duorum, saltem inchoatorum. Ita enim accipi posse videtur quod dicitur in iure, non debere esse minorem viginti duobus annis. Tametsi enim vigesimum secundum annum non compleuerit, non est minor viginti duobus annis, quorum vigesimus solus iam voluitur, quidquid dicat Lessius l. de Iust. cap. 34. num. 108. Denique ad quæcunque alia beneficia, desposcitur saltem ætas quatuordecim annorum inchoatorum, etiamsi præcisè attendatur quid exigatur ratione beneficij, & non etiam ratione ordinis requisiti ad quædam beneficia, minora dignitatibus. Nam ex hoc capite, sæpè maturior ætas requiritur ad beneficij aditionem. Nam plerunque (imo semper si agatur de Ecclesia Cathedrali, ex Trid. sess. 24. cap. 12. de reform.) Canonicatus exigit, vt qui eo donatur fiat intra annum subdiaconus: quod cum fieri nequeat ante initum annum ætatis vigesimum secundum, necessariò sequitur, ætatem tali beneficio aptam, esse annorum viginti & vnius, saltem inchoati, vt exeunte anno, & ineunte sequenti, possit fieri subdiaconus; quod ad illud beneficium deposci supponitur. Nec aliter proportione seruata statuendum est, de ætate requisita ad beneficium, pro quo Diaconatus & Sacerdotium requiritur.

28. Hi ætatis termini, ad beneficia adeò necessarij sunt, vt iis non positis, aditio beneficij (per se loquendo,) sit nulla & irrita, vt habetur ex Trid. sess. 22. cap. 4. de reform. sess. 24. cap. 12. Dixi *per se loquendo*, quia per accidens vel ignorantia, vel iuris alicubi non vigentis desuetudine, vel legitima dispensatione, potest contrarium accidere. Nimirum vt cum Nauarro l. 7. consil. 42. de præbend. ait. Less. l. 2. c. 6. num. 35. & cap. 34. num. 110. si quis absque Simonia

uia & intrusione, cum titulo saltem colorato, bona fide adierit beneficij possessionem, eámque per triennium prorogauerit, acquirit veluti vsucapione beneficium; etiamsi non ad amussim seruati sint termini ætatis ad suscipiendum beneficium necessarij. Iuris item noui vigor, alicubi non habet locum, quia ius illud non est receptum. Dispensatio denique si legitimè interueniat, potest ætatis defectum supplere. Quamuis autem olim Episcopus dispensare posset, vt paulo maturiùs conferrentur quædam beneficia, ex cap. *permittimus*, de æta. & qual. præf. in 6. (quamuis non omnia, & nominatim curata, vt ibidem dicitur;) tamen ea potestas per Concilium Tridentinum est sublata. Meritissimo autem ea ætatis maturitas desideratur ad beneficij adeptionem, quia cum beneficij sint in castris Ecclesiæ veluti duces; ad ducatum autem exigatur prudentia quæ iuxta Iobum cap. 12. reperitur in senibus; necesse prorsus est, beneficiarium pro qualitate beneficij, esse ætate matura, vt benè ratiocinatur Alphonsus de Castro. l. 3. de iusta hæret. punit. cap. 25. Et idcirco Christum prætulisse Petrum seniorem, Ioanni iuniori in collatione præfecturæ totius Ecclesiæ, notauit creditus Ambrosius 2. Corin. 12. Qui ergo absque Pontificia assensione, ante terminos ætatis constitutos, beneficium aliquod adiuerit, vitiosè illud adit. Quod quantum attinet ad Episcopatum, egregiè prosequitur Hildebertus epistola 12. ad Andegauensem præproperè electum.

29. Occurrit hoc loco, vulgare mendacium eorum qui vt adire possint beneficium ad quod per ætatem immaturam apti non sunt, fingunt se tot annos agere ætatis, aut aliquanto plures, quot exiguntur ad beneficij susceptionem, quod esse graue mendacium, cum irrita beneficij aditione coniunctum, nemo non videt. Nec rarò vi illius præmaturæ aditionis, incurritur irregularitas; quando nimirum ad beneficium suscipiendum requiritur intra tale tempus ordo sacer hic aut ille, qui ad firmandam beneficij aditionem suscipitur ante tempus: præter suspensionem ei præcoci ordinis susceptioni nunc adiunctum, de qua latè Suar. t. 5. 3. p. d. 31. s. 1. à num 22. & Flam. l. 4. de resign. quæst. 2. à num. 104. Porrò originem præmaturæ huius ad ordines conuolationis, ferè esse ambitum beneficiorum Ecclesiasticorum, deplorat Philippus Abbas l. de dignitate Cleric. cap. 15.

In promotores puerorum.

30. HVc item pertinet indignissima puerorum ad beneficia subuectio. Sic enim eam meritò nominat Caiet. in summa v. *Beneficium*. Nec dicimus (ait in hanc rem S. Bernardus epistola 42. *post medium*,) quamcunque ætatem Dei gratiæ præmaturam, sicut nec seram: cùm multos videamus iuniorum, super senes intelligere; moribus antiquare dies; præuenire tempora meritis, & quod ætati deest, compensare virtutibus. Boni pueri, qui quod ætate videntur esse, student & malitia. Malitia, inquam, sed non sensu, iuxta admonitionem Apostoli, *nemo contemnat adolescentiam*. Meliores bonæ indolis adolescentes, inueteratis dierum malorum. Puer centum annorum maledictus est: & est è regione senectus venerabilis, non diuturna, neque numero annorum computata. Bonus puer Samuel, qui loquenti Deo promptus aderat auditor, dicens;

Loquere Domine quia audit seruus tuus. Ac si diceret; *Paratus sum & non sum turbatus, vt custodiam mandata tua.* Bonus & Hieremias, qui ante sanctificatus quàm natus, cum se excusaret de pueritia, nihilominùs constitutus est super gentes, & super regna. Bonus quoque Daniel, cuius spiritum suscitauit Deus, vt conuinceret iniqua iudicia & sanguinem innoxium liberaret. Denique cani sunt sensus hominis, & ætas senectutis, vita immaculata. Sicuti huiuscemodi puer senex promotus inuenitur; opus Dei est, his qui tales non sunt; mirandum, non imitandum.]

31. Hoc euecti in Episcopum pueri nomine, primus pessimè audiuit Heribertus Comes qui Carolo Simplice Rege per omnia potens æquè ac audax, Rhemensem Archiepiscopatum pinguissimum & nobilissimum, Hugoni filio suo adhuc quinquenni puero vendicauit. Odalrico quodam Aquensi Episcopo ad Pontificalia tantùm munera interim exercenda accito, dum Hugo per ætatem par muneri esse posset; Abbatia Sancti Timothei & vnius præbenda Clerici Odalrico concessa, vt narrat Flodoardus in Chronico anno 925. *ad finem.* iunctis iis quæ habet anno 928. Qui quod ait Odalricum fuisse tantùm adhibitum ad exercenda Rhemis munera Pontificalia, satis significat Odalricum contra quàm aliqui recentiores prodiderunt, non fuisse confidentiarium: quippè qui non habet Episcopatum Rhemensem in titulum, vt mox ex pacto eam sedem Hugoni permitteret, quod tamen necessarium fuisset ad cõfidentiam. Eodem igitur modo inseruiuit Hugoni, aut pro Hugone, pro plerisque sublimioribus Episcopis ad exercenda Pontificalia munia, sunt ad manum Episcopi quidam insigniti charactere, sed quoad Iurisdictionem Antistites tantùm titulo tenus; qui passim dicuntur, *Suffraganei*, quos nemo dixerit confidentiarios. Ac proinde perperam Odalrico inuritur tetra nota primi omnino inter Gallos confidentiarios, qua eum turpat Filesac. in querela Gallicanæ Ecclesiæ. Contrarium enim ex Flodoardo qui aderat, perspicuè est demonstratum. Nec contradicit sibi Flodoardus cum l. 4. hist. Rhem. Eccles. cap. 20. ait Ioannem Papam præbentem assensum electioni Hugonis, delegasse Abboni Suessionensi Antistiti Romam ad electionem Hugonis firmandam misso, Episcopium Rhemense; vt quæ essent Episcopalis ministerij in eodem Episcopio tractanda atque finienda decerneret; quod idem Flodoardus in Chronico, tribuisse videtur Odalrico. Hæc inquam non pugnant. Nam primùm quibem Abbo, qui magna pars fuerat electionis Hugonis, eo prætextu ne fortè per extraneas personas Episcopatus diuideretur, (vt dicitur initio capitis illius 20.) & postea ad Regem Rodulphum, ac denique Romam ad Ioannem Papam pertexerat, pro vtriusque assensu in Hugonis electionem exorando: constitutus est à Ioanne Papa administrator Episcopatus Rhemensis; Postea verò Odalricus, vt idem Flodoardus habet c. 22. cum ob Sarracenorum persecutionem, à sede sua abesse cogeretur, ab Heriberto ad celebrandum duntaxat Episcopale ministerium vice Hugonis, id est ad ordinis Episcopalis functiones Rhemis pro Hugone paruulo obeundas, admissus est. Itaque nulla est in Flodoardi dictis dissensio; circa monstrosam paruuli quinquennis electionem in Archiepiscopum, violentia parentis immanibus aliis sceleribus in hac ipsa causa contaminati. Nam & Simoniacè filij successionem pro militari tutela aduersùs infestos Rhemensis Ecclesiæ hostes

hostes pactus fuerat, post Seulphi Præsulis obitum: & quod longior videretur Seulphi vita, propinato per suos veneno, vt ad filium quinquennem Episcopatus ocyus deuolueretur, scelera sua cumulauit Episcopi nece. Quin etiam in literis Attaldi postea pulso Hugone Rhemensis Episcopi, ad Marinum Papam, quas Flodoar. l. 4. c. 35. recitat, additur Heribertum per annos sex, eoque ampliùs, sibi vsurpasse Episcopatum Rhemensem: vsque adeò vt ipse, & eius vxor, in sede Præsulis residerent per illud tempus.

32. Per tot scelera occœptum pueri ad Ecclesiasticas infulas promouendi impium facinus, infœliciter ad posteriora quoque tempora est propagatum. Non adduco exemplum Benedicti noni, quem etiamnum puerum ab Alberico patre Comite Tusculano, intrusum esse in Romanam sedem, varij scripsere: sed reclamante Baronio anno 1033. Suppetunt tamen alia eiusdem impietatis exempla liquida. Audio enim S. Bernardum episto. 32. *post medium*, sic expostulantem cum Henrico Senonensi Archiepiscopo. [Scholares pueri, & impuberes adolescentuli, ob sanguinis dignitatem promouentur ad Ecclesiasticas dignitates; & de sub ferula, transferuntur ad principandum presbyteris, lætiores interim quòd virgas euaserint, quàm quòd meruerint principatum. Nam tam illis blanditur adeptum, quàm ademptum magisterium. Et hoc quidem in initio. Processu verò temporis, paulatim insolescentes docti sunt in breui venditare altaria, subditorum marsupia vacuare, magistris nimirum in hac disciplina vtentes idoneis, ambitione & auaritia. Verùm quantauis industria tua tibi lucra conquirere cautulus videaris, quantalibet vigilantia rem possis seruare tuam, quantocunque studio regum sibi ac principum gratiam captare cures: dicimus tamen, Væ terræ cuius rex est puer, & cuius principes, manè comedunt.]

33. Hunc Sapientis locum Philippus Abbas l. de dignit. Cleric. c. 15. aliò transferre videtur nempe ad beneficiarium puerum non tam ætate quàm moribus. Haud dubiè tamen si & ætatis & morum defectus concurrunt vt supponimus accidere in re nostra, multo magis quadrabunt, quæ ibi disserit & perspicuè ex iis quæ paulo superius eodem capite habet, apparet quæ nunc referam intorqueri quo in eos qui per ætatem iuniorem nondum essent promouendi qui est defectus quem exagitamus. [Nostris inquit temporibus plures Ecclesiæ nón mediocriter infirmantur, quia videlicet eis huiusmodi Præpositi occulto iudicio principantur; quos cum ad gradum digniorem euexerit præsumptio propria, non dilectio Christi: in ipsa dignitate quæ sua sunt, quærunt; non quæ IESV-CHRISTI. Totum quippe animum suum rebus applicant perituris, & more puerorum præsentibus inhærentes nihil cogitant de futuris. Væ tibi terra, Scriptura dicit, cuius rex puer est. Hoc est dicere. Væ tibi Ecclesia, cuius Prælatus vitam retinet puerilem non assumens grauitatem, senilem non fortitudinem iuuenilem. Non facit omnia cum consilio, conuenit maturitati senili, non est fortis quod ætati competit iuuenili. Non sedet nisi vt tanquam filij Israël, manducet & bibat, non surgit nisi vt ludat: hoc est in his quæ agit, non nisi corporis & animi voluptate capitur transitura, non in ea cum Paulo extenditur. quæ sunt sine fine mansura. *Cogitaui*, inquit, *dies antiquos, & annos eternos in mente habui*. Non proiicit nuces & talos, idest vana & ludicra, quæ pueris ætas sua videtur indulsisse; non accepit librum legis in manu, quem

Ioas cum Rex fieret, legimus accepisse. Cum igitur eiusmodi puer electione propria fuerit ordinatus, & ordinis patrocinio fastigium obtinuerit Ecclesiastici cuiuslibet principatus; gemit iuxta Salomonem populus, & miserè lamentatur, quia puero puerilia paragante, ipse quoque nequaquam maturatur. De qualibus per Isayam Dominus; *Dabo*, inquit, *pueros principes eorum: & effœminati dominabuntur eis, & corruet populus.*]

34. Non potuit alius expectari exitus, indignissimæ promotionis beneficiarij ante ætatem sacris legibus constitutam. Itaque indubitatum esto, aditionem beneficij cum hoc subiecti defectu, & beneficiario si per ætatem sit culpæ capax, vitio verti apud Deum, & parentibus quorum hæc solent esse studia, non esse innoxiam. Id quod insigniter planè tradit S. Bernardus epist. 271. qua se excusat apud Comitem Theobaldum, quod vt ipse Comes expetebat, non posset pro paruulo eius filio ad beneficia Ecclesiastica ei obtinenda interuenire. Id enim & filio, & patri, & ipsi sibi, si interueniret, peccatum fore affirmat. Eligentibus item, quantalibet vi adigantur, non erit apud Deum impunita electio, aliáve qualiscunque cooperatio ad huiusmodi aditionem beneficij. Vt friuola planè censenda sit illa excusatio, qua apud Iuonem Carnotensem aliquis epistola 67. electionem pueri vrgente Philippo I. Francorum Rege tegere voluit, disticho rythmico;

Eligimus puerum, puerorum festa colentes,
Non nostrum morem, Regis sed iussa sequentes.

35. LVdouicum tamen Franciæ item Regem, querelas Romani Pontificis Rhemos profecti, de inducto in sedem Rhemensem puero Magistris & flagris egente, abs se repulisse, & in ipsum Pontificem sic retorsisse scribit Genebr. l. de sacrarum electionum iure cap. 8. num. 16. [Sanctè quidem hæc proponi fateor; sed non existimabam, tuam Sanctitatem cum admissuram; neque propter meas temerarias & sæpius extortas commendationes, Apostolica autoritate abusuram. Data est enim ad ædificationem, non ad destructionem. Verum est Sanctum Remigium (vt in hac meta id non dissimulem,) ætate immatura, prouectum esse ad Episcopatum Rhemensem, cum non esset natus nisi annos viginti duos. Nihilominus vir sanctissimus, qui iure *senex puer*, æquè ac Sanctus Macarius apud Palladium c. 17. Laus. audire potetat, non debuit legibus communibus subiacere; Deo iam tunc tot ostentis, quæ Hincmarus in Sancti Antistitis vita exhibet, monstrante placere sibi eam electionem.

Egi tantùm de hoc defectu quoad beneficia. Nam pensiones hîc non moror, quás certum est infantibus quandoque assignatas, non reclamantibus Iurisperitis vt videre est apud Gigantem q. 13. de pens. num. 4. vbi recitat insigne exemplum pueri quadriennis, & quidem ex Clerico & soluta procreati, cui Clemens VII. anno 1530. concessit pensionem annuam ex fructibus parochialis Ecclesiæ Sancti Zenonis de Aviano, Concordiensis Diœcesis: dummodò infans Ille in ea ætate susciperet primam tonsuram, quam ei conferendi fiebat potestas. Literas Pontificias hæc omnia concedentes, tunc expeditas, abs se Bononiæ visas

sas, cum illuc ad visendam Caroli Quinti coronationem perrexisset, testatur Gigas.

Status Laicus, plane inhabilis ad Beneficium:

36. POstremus defectus subiecti, penes quem monstrandum receperam vitiari aditionem beneficij, isque omnium deterrimus, est status laicalis. Ante omne quippè beneficium, exigitur status Clericalis, saltem per susceptionem primæ tonsuræ, vt habetur ex cap. *ex literis* de transac. & ex cap. *cum adeò* de rescrip. Estque id multo arctius requisitum, quàm cum exiguntur quædam aliæ dotes. Nam. v. g. ad parochiam exigitur ordo Sacerdotalis; ad præbendam Theologicam, necessarius est gradus Doctoris Theologiæ; ad Episcopatum exigitur gradus Doctoris Theologiæ, aut Iuris Canonici, vel æquiualens testimonium publicum, vt sancitur in Trid. sess. 22. cap. 2. de reform. Et tamen qui tempore electionis in Parochum nondum est Sacerdos, modò intra annum Sacerdotio initietur, censetur habilis ad beneficium parochiale ex cap. *licet Canon.* & cap. *commissa* de elect in 6. Similiter qui electus est in Canonicum Theologum, dummodò idoneus sit vt proximè decoretur illo gradu, electus est legitimè: Et idem est de Episcopo; qui omnes perinde est quod proximè notat Less. l. de Iust. cap. 34. num. 106. Quamuis ergo hæ aliæ dotes beneficiariorum possint censeri necessariæ tantùm in proxima ad eas habilitate, vt declaratum est: tamen de Clericatu longè arctior est ratio; ita vt necessariò præhabendus sit cuiuis beneficio Ecclesiastico, quod optimè notat Tuscus *litera B.* concl. 56. num. 2. & 4. ac Flam. de resig. l. 4. q. 2. à num. 8.

37. Non excipio illum, qui eadem die promoueretur ad beneficium, & postea ordinaretur: vt facit Carolus de Grassis tract. de effectibus Clericatus effectu 15. num. 43. allegato Flaminio tract. de resign. benef. l. 4. q. 2. num. 35. & 36. Sed malè. Nam Flaminius, agit tantùm de eo cui constaret eadem die collatum esse Clericatum, quàm beneficium. In quo euentu dubio, præsumendum est præcessisse quod debuit præcedere. At si perspicuè constet, beneficium & tonsuram, qua quis in Clericum allegitur, collata esse eodem die; sed beneficium esse traditum ante susceptionem tonsuræ: traditio erit irrita. Similiter non est excipiendus laicus destinatus ad Clericatum, iamque degens in aliquo seminario, vt benè Crauetta l. 1. consil. 134. num. 40. nec laicus incedens specie & habitu Clerici, ita vt passim censeatur Clericus, quãuis non sit. Quamuis enim hunc validè adire beneficium nonnulli censuerint, eo quod qui huiusmodi est sit destinatione Clericus, pro quo placito refertur Compostell. in cap. *cum adeò*, de rescrip. Tamen verissimum est, neque istum validè donari beneficio, vt Doctores communiter tradunt ad dictum caput *cum adeò*, teste Gigante q. 22. de pension. num. 12. & Flaminio q. illa 2. num. 19.

37. Omnibus igitur limitationibus reiectis, qui laicus est, nisi ex specialissima, & non nisi ex grauissimis causis concedenda summi Pontificis dispensatione, est incapax beneficij: & susceptio si sit attentata, est prorsus irrita, quod non est cur confirmetur suffragiis Doctorum, cum sit vna omnium sententia. Innumeros proferunt Flamin. tract. de confid. benef. q. 8. num. 11. & q. 9. n. 63.

& q.17.num.7.& l.4.de resig.benef.q.2.num.2. Selua tract.de benef.p.2. q.25. num.14. & Carolus de Grassis tract. de effec. Cler. effectu 15. num. 1. Ratio verò est perspicua, quia laicus est penitus incapax spiritualium, quamdiu laicus est, vt habetur cap.*causam quæ*, de præscrip. & cap.*si quis deinceps* 16.q.7. & alibi frequenter. Beneficia autem esse quid spirituale habetur cap. *cum dilecto* de præbend. Estque notissimum ex illis quæ in eam rem disputat Flamin. q.illa 2. num.3. Igitur nemini laico, quamdiu laicus est, possunt validè obtingere, ne hæreditas Domini vertatur ad alienos, quod Propheta lamentabatur. Et sunt *alieni*, Hebraica phrasi, iidem qui Laici, Leuitis contradistincti, vt Genebrardus homo Hebraicè eruditissimus notauit l. de sacris electio.c.2.n.5.

Transitur ad Clerum, per primam tonsuram à proprio Episcopo.

39. EXcedit porrò è statu laici, & remouetur ab eo inhabilitas ad beneficium de qua agimus, qui accepit saltem primam tonsuram à proprio Episcopo, vel ab alio de eius licentia. Nam quod prima tonsura sufficiat vt quis non censeatur laicus, certum est apud omnes ex cap. *cum contingat* de ætа. & qualit. ordinand. Nec est etiam qui diffiteatur, omnia priuilegia Clericalia (per se loquendo,) æquè conuenire ei qui duntaxat susceperit primam tonsuram, ac aliis in Clero prouectioribus. Nec refert quod prima tonsura non sit ordo, sed tantùm aditus & præparatio ad ordines, vt rectè statuit S. Thomas 3.p.q.35.art.2. & passim Scholastici, nec non inter Iurisperitos Menoch de præsumpt.l.6.præsumpt.76. num.37. Anastas. Germon. de sacro. immunit. l.3. cap.15.num.75.& Carolus de Grassis tract. de effectibus Clericatus in præludio num.298. meritò recedentes à communi inter Iurisperitos sententia, quæ fert, primam tonsuram esse Ordinem. Vnde numerant nouem Ordines Clericales, quia præter quatuor minores ordines; & tres maiores, ac Episcopatum, annumerant Ordinibus primam tonsuram. Quamuis igitur prima tonsura iuxta veram doctrinam non sit Ordo: tamen aliud est carere ordine, aliud excludi statu Clericali; Primum est verum de attonso tantùm, non item secundum.

40. Neque tamen ad excludendam inhabilitatem de qua agimus, sufficit quomodolibet primam tonsuram vel etiam ordinem suscepisse; sed vt addebam, necesse est eam suscepisse à proprio Episcopo, vel ab alio de eius licentia. Dicitur *proprius Episcopus*, ratione vel originis, vel domicilij, vel beneficij, ex cap.*cum nullus* de temp. ordin.in 6.Ratione originis, *proprius Episcopus* est is qui præest loco in quo quis natus est, vel reipsa, vel fictione iuris. Nam quando quis fortuitò alibi nascitur quàm vbi parentes domiciliū habebant, quia negotij alicuius causa ad tempus aliò concesserant; fictione iuris censetur natus vbi parentes hærere solebant.Ratione domicilij dicitur *proprius Episcopus*, qui præest loco in quo quis larem constituit; ita vt si inde ad tempus abscedat, peregrinari dicatur; quia nisi quid inde auocet, figere ibi perpetuam sedem in animo habuit. Ex tunc enim acquisiuit ibi domicilium. Denique ratione beneficij *proprius Episcopus* est, qui præest loco vbi quis possidet beneficium requirens residentiam, super qua non sit dispensatum. Has *proprij Episcopi* notiones, fusissimè & optimè illustrat, & prolatus innumeris iuribus confirmat Sanchez l.3.
de

de Matr. disp. 23, *per totam.* Vt ergo quis sit habilis ad beneficium ex hoc capite, necesse est vt saltem tonsuram acceperit ab eo qui sit ad modum prædictum *proprius Episcopus*, vel de eius facultate literis dimissoriis testata, ab alio sit cooptatus in Clerum; vel certè id habuerit per dispensationem Pontificis, qui est omnium Generalis Episcopus. Alioqui est incapax beneficij, vt habetur ex cap. *illud* & cap. *si quis ausus* d. 71. traditque disertè Rebuffus in praxi benef. agens de formula dimissoriarum: Addens ibidem. 12. & 29. si quis à non proprio Antistite sit attonsus vel ordinatus, non postea posse, habilem ad beneficium fieri, sola proprij Episcopi ratihabitione: sed exigi ad id Pontificiam dispensationem, per literas quæ dicuntur *perinde valere.* Contrarium tamen cum Glossa sentit Less. l. de Iust. cap. 34. num. 93. quia suspensio quæ sola tunc incurritur, non est Pontifici reseruata, sed potest ab Episcopo relaxari.

Neophyti præcoces Beneficiarij, illaudati.

41. HÆc in rigore sufficiunt ad validè adeundum beneficium. Si tamen conuenienter agendum sit, exigitur præterea mora conueniens in statu Clericali, priusquàm quis promoueatur ad beneficia. Quò spectat longa Gregorij Nazianzeni querela oratione de Episcopis (habetur t. 2. Græcoh ad finem carminum) de subito promotis è laicis in Episcopos. Neophyti sæpè vocantur isti, apud Sanctum Gregorium & alios *Momentaneos Sacerdotes*, scitè vocat Hieronymus Episto. 83. in fine, qui vt addit [in puncto horæ, necdum discipuli, iam Magistri sunt.] Grauissimè hanc corruptelam arguit Sanctus Leo episto. 87. cap. 1. Pulchrè item & validè, nec absque expressione modi regendi huiusmodi nouitiorum Antistitum, Naz. orat. 21. num. 7. [Non simulatque (inquit) ad thronum peruenit velut qui tyrannidem quandam aut hæreditatem præter spem arripuerunt, statim ob saturitatem in petulantiam prorupit. Hoc enim adulterinorum & ascriptitiorum Præsulum est, eoque munere, quod profitentur, indignorum: qui cùm nihil priùs ad Sacerdotium attulerint, nullas ærumnas virtutis causa pertulerint, discipuli simul magistrique pietatis creantur, aliósque ante purgant quàm ipsi purgati fuerint: Heri sacrilegi: hodie Sacerdotes: heri profani; hodie sacrorum antistites, veteres vitio, pietate rudes & recentes (quod gratiæ ac fauoris humani, non Spiritus opus est:) qui cum cætera omnia violenter peruaserint, ad extremum ipsam quoque pietatem tyrannide premunt: quorum non mores dignitati, sed dignitas moribus fidem astruit, ordine admodùm præpostero. Qui denique plura pro suis quàm pro populi ignorantiis, sacrificia debent: ac prorsus duorum alterum peccant; vel quia venia ipsi opus habent, vltra modum aliis ignoscentes, vt sic vitium non reprimatur, sed etiam doceatur; vel quia imperij acerbitate, peccata sua obtegunt.] Aduersùs huiusmodi Neophytos conclamat Petrus Damiani serm. 30. his præter cætera. [Audiant Neophyti, audiant elati, & quasi folles vento arrogantiæ, & igne cupiditatis inflati, qui ante volunt docere, quàm sciant: & in schola Christi ante inhiant in cathedra præsidere, quàm ferulam sentiant. Dúmque inordinato ordine, non per ostium, sed aliunde ad regiminis iura prorumpunt; non se pastores esse sed fures, & mercenarios patenter ostendunt;

qui prodesse nihil curant, sed præesse flamma perniciosissimæ cupiditatis anhelant. Hi profectò non præferuntur, vt Christi ouile custodiant, non vt gregem dominicum pascant; sed vt miseram carnem suam in lasciuiis & voluptatibus molliter nutriant. Dúmque se proximis Prælatos esse considerant, cæcam mentem in superbiæ cornibus exaltant. Audiant ergo qui eiusmodi sunt, & vel curent se à corpore sanctæ Ecclesiæ, iam & si non apertè, verè tamen radicitùs præcisos iacere. Ecce Beati Apostoli super quos quasi solidissimas bases, sancta fundatur Ecclesia, non nouitium, non indoctum; sed illum ordinant, quem in doctrina, & sanctæ conuersationis studio perspexerint esse maturum. Hoc quæsijt Petrus in Matthia, cum elegit in Apostolatum; hoc in Apollinare cum promouet in Episcopatum.] Verùm hoc, tantùm ad benè esse requiritur. In rigore autem non esse necessarium antecessisse longam moram, sed sufficit antecessisse primam tonsuram siue Clericatum. Et ita constat exemplis antiquis, vt Sancti Cypriani, Thalussij Cæsariensis, Nectarij, Tharasij, Nicephori, Flauiani, & Sancti Ambrosij qui in hanc rem præclarè disserit epistola 82. propugnans suam ordinationem. Quo item exemplo cum abuteretur Photius ex laico confestim electus in Patriarcham, Nicolaus primus monstrauit quàm ineptè proferretur.

In scelus dantium Beneficia Laicis.

42. QVi ad modum prædictum non fuerit allectus in Ecclesiasticum statum; ita vt saltem primæ tonsuræ factus sit particeps, purè laicus est: Etsi beneficium Ecclesiasticum occupet, cum non intrauerit per ostium, fur est & latro. Quales fuisse iam olim aliquos, intelligimus ex Synodo secunda Nicæna cap. 13. quo ædium sacrarum, & scilicet adiunctorum eis prædiorum ac bonorum, per laicos occupatio flebiliter admodùm refertur, & atroci damnationi subiicitur. Ad quem locum Theodorus Balsamon adducit sententiam Sergij Patriarchæ Constantinopolitani, qui sub Basilio & Constantino fratribus sedit; damnantis occupationes quorumdam Ecclesiasticorum beneficiorum per laicos. Verùm cum Nicæna Synodus secunda, Caroli magni æuo sit celebrata, habemus vnde similem Ecclesiæ calamitatem, longè anteriorem in Occidente agnoscamus. Nam vt omittam Pacianum Sancti Hieronymi æqualem, ac etiam eo paulò seniorem, qui epistola 1. ad Sympron. id sugillat; Symmachus Papa in Synodo Romana, de hac per laicos Ecclesiasticorum beneficiorum occupatione, non tunc primùm cœpta, sed retrogradis quoque temporibus pessimè in vsum, etiam per Catholicos & Deum, (vt ait,) timentes homines largitatis Regiæ titulo inducta, communem esse dicit dolorem, & generalem gemitum tanquam de valdè iniquo & ingenti sacrilegio, quo bona à fidelibus ad suarum animarum remedium collata Ecclesiis, per quos minimè oportuerat, vsurparentur. Prætextus & modus quo hæc abusio *Abbicomitum* (vt Gerbertus appellat) inualuit, benè exponitur in suggestione Episcoporum Rhemensis & Rothomagensis Prouinciæ ad Ludouicum Regem anno 858. Sic enim ibi Antistites. [Monasteria etiam religiosa, atque præcipua Canonicorum & Monachorum atque Sanctimonialium habitacula, quæ ab antiquo tempore

pore parentes vestri sub religioso habitu constituerunt, & in eis Rectores & Rectrices fuerunt; & quando parentes vestri primatum regni tenuerunt, & etiam quando S. Remigius Francos ad fidem cooperante Domino, conuertit, & cum Regem ipsorum baptizauit. Et frater vester Dominus noster, innuente partim fragilitate, partim aliorum callida suggestione, etiam & animarum necessitate; quia dicebant petitores nisi eis illa sacra loca donaret, ab eo deficerent; & ipse aliquando per vos, sicut nunc patet, aliquando per fratrem vestrum regno destitutus ab eis penderet; talibus sicut scitis, personis commisit, debito priuilegio restituite. Nam idem frater vester, & diuina inspiratione & Sacerdotali redargutione, & etiam ab Apostolica sede admonitus, ex aliqua parte quæ peregit, correxit; quæ autem incorrecta erant, quomodò emendare posset gemebundus quærebat.] Liquet ex hoc loco, vnde Reges à quibus sacrilegium de quo egimus, est inductum, visi sint adigi ad hoc negotium perambulans in tenebris.

43. Quantoperè verò sacrilega hæc impietas in Galliis iam olim inualuerit, longum sit referre. Ioannes Filesac Parisiensis Theologus, integrum librum cui titulus, *Commentarius de sacrilegio laico*; *seu veteris Ecclesiæ Gallicanæ querela*, his gentis suæ probris compleuit. Narrat autem diffusè, & decursis singulorum priscorum Regum ætatibus, quantum in hoc genere, quàmque prodigiosè sit peccatum. Vnde manarunt variarum Synodorum decreta, ad prospiciendum tot malis, vt videre est in Concilio Aurelianensi IV. sub Childeberto Rege c. 25. enim Parisiensi I. sub eodem Childeberto cap. 1. nec non in Cubilonensi I. cap. 5. vbi agitur aduersùs Laicos qui sub Clodouæo I. Parochos agebant. Extat item Concilij Aruernensis sub Theodeberto Clodouæi I. filio celebrati, caput quartum, quo damnantur qui reiculam Ecclesiæ (corruptè aliqui codices *regulam* legunt) horrendæ cupiditatis impulsu petebant à Regibus. Ex quibus liquet, Carolum Martellum qui hac maximè flagrauit infamia, non fuisse primum laici huius sacrilegij autorem, vt nonnullis aliquando est visum; cum fuerit Carolus omnibus prædictis Synodis posterior. Ab eo tamen supra modum auctam hanc sacrilegam licentiam, quod propter assiduitatem bellorum non suppeteret vnde aliter compensaret laicos sub se militantes, traditur in Fragmento de Maioribus domus Regiæ, per Pithoeum edito, quod etiam affirmat Aldreuald, Floriacensis l. 1. de miraculis Sancti Benedicti cap. 14. Et idem habet Epistola quædam Sancti Bonifacij Moguntini tunc viuentis ad Zachariam Papam, vbi Episcopales sedes Francorum, laicis ad possidendum cupidis, datas deplorat. Ado item in Chronico, sub annum 741. quo Caroli Martelli obitum consignat, testatur Vvilocarium Viennensem Præsulem, tot sacrilegarum inuasionum per laicos sub Carolo Martello pertæsum, relicto Episcopatu, in Sanctorum Martyrum Agaunensium cœnobio se abdidisse. Eam ob causam damnatum in æternum Carolum Martellum, habetur in quadam narratione & visione obiecta Sancto Eucherio Aurelianensi Antistiti, quam recitant Episcopi Rothomagensis & Rhemensis Prouinciæ in Epistola ad Ludouicum Regem inserta capitularibus Caroli Calui tit. 23. n. 7. & Flodoardus l. 2. hist. Rhemensis cap. 12. nec non Hincmarus in præfatione ad vitam S. Remigij. ac Paulus Æmilius l. 2. histor. Franc. Et quidquid sit de ea narratione quam Baronius anno 741.

n. Et Sirmondus ad titulum illum vigesimum tertium Capitularium Caroli Calui, nonnullis argumentis conuellunt, quamuis illi visionem similem Sancto Bonifacio obiectam, scribit Aldreualdus cap. illo 14. Rapacitas tamen Caroli Martelli, & beneficiorum Ecclesiasticorum in laicos per eum facta transcriptio, est exploratissima apud omnes retrò scriptores illius æui.

44. Quantum verò hoc sit scelus, cum per se liquet, tum optimè attingitur à Ludouico Pio l.6. Capitul. cap.131. qui cum iam Lotharium filium collegam asciuisset Imperio; Ludouicum verò filium Germanis, Carolum Francis Reges dedisset, non ignarus quorum interuentu laici magnates beneficia Ecclesiastica sibi inuncarent, ita edixit. [Omnibus nos ipsos corrigentes, posterisque nostris exemplum dantes, generaliter interdicimus, vt nullus laicus homo, vel Imperator, vel Rex; aut aliquis Præfectorum, vel Comitum seculari potestate fultus, sibi per violentiam rapiat, aut à nobis competere vel quocunque modo inuadere præsumat, monasterium aut prædia, vel quascunque res de potestate Episcopi vel Abbatis aut Abbatissæ, & incipiat ipse vice Abbatis regere & habere sub se monachos, & pecuniam possidere, quæ fuit Christi sanguine comparata.] Quid ad malitiæ atrocitatem proferri grauius potuit: Vt non mirum sit, Deum in huiusmodi sacrilegia vltum seuerissimè, quod eorundem Capitularium l.7. c. 104. his verbis proditur. [Nouimus multa regna, & Reges eorum, propterea cecidisse, quia Ecclesias spoliauerunt, résque earum vastauerunt, abstulerunt, alienauerunt, vel diripuerunt; Episcopisque & Sacerdotibus, atque quod magis est, Ecclesiis eorum abstulerunt, & pugnantibus dederunt. Quapropter nec fortes in bello, nec in fide stabiles fuerunt; nec victores extiterunt, sed terga multi vulnerati & plures interfecti verterunt, regnaque & regiones, & (quod peius est,) regna cœlestia perdiderunt.]

45. Metuebant eam ob causam Patres Concilij Meldensis c.9. ne tam manifesta religionis destructio, regni fieret desolatio. Metuebat itidem Lupus Ferrariensis vt apud eum epistola 44. legere est. Nec vanæ abiere minæ. Nam Cl-douæanos & Carolinos, (penes quas duas familias, ante hanc tertiam rei Gallicæ summa fuerat), idcirco euanuisse prodit Claudius de Sainctes Ebroicensis Episcopus, in præfatione doctissimi operis de Eucharistia, quod institutioni Pastorum & Beneficiariorum, tanquam iuris regalis negotia, manum admouere non essent veriti. Iuxta Aimoynum l. 2. de mirac. Sancti Benedicti c.3. Rodulphus pro Carolo Simplice Rex adiutus est in bellis aduersùs Normannos, & alibi, quod inuasorés rerum Ecclesiæ multasset. Hugoni Capetio, quod territus cœterorum damnis, (vt ait Aimonyus l. 5.c.34) Abbatiam Sancti Germani Parisiensis, quam velut hæreditario iure possidebat, dimisisse; optimè cessit: indeque tanta in eius stirpe stabilitas principatus. Othoni quoque Germanæ Regi, quàm feliciter cesserit, negata in summo rerum suarum discrimine Comiti cuidam Abbatia, describit Luitprandus l. 4.c.16. & ex eo Baronius anno 939.

CAPVT

CAPVT SEPTIMVM.

De Beneficij captatione illicita, ob addensationem Beneficiorum in eadem persona.

1. MONSTRVM horrendum, informe, ingens, cui lumem ademptum rationis & consilij, non vno loco, imo ferè vbiuis in Ecclesia Dei videre est, iuxta sapientem allegoriam Guilielmi Parisiensis l. de vitiis & peccatis cap. 9. his verbis. [Attendenda est monstruositas animalium, in quibus multæ species continuatæ videntur; Sicut animal quod *Castor,* siue *fiber*, nuncupatur; in quo quinque species mirabiliter conueniunt. Huiusmodi autem monstruositas in seipsis horribiliter effigiant, qui vno officio vel dignitate non contenti; & interdum nec vni sufficientes vel idonei, multa in se coniungunt. Dum enim aliquis Decanus est in vna Ecclesia, Præpositus in alia, Cantor in tertia, Archidiaconus in quarta, quid est nisi monstrum spirituale in corpore vniuersalis Ecclesiæ. Assueti autem huiusmodi monstris, vel potiùs horrificam eorum monstruositatem non videntes, ad ea expauescere iam nescimus.] Aliter eam monstruositatem exprimit Guilielmus Peraldus in summa vitiorum Tomo 2.tract 4.p.2.c.11. quod est de signis auaritiæ in Ecclesia Dei, descriptus à Cartusiano l. contra pluralit. benefic.art.10. Ait enim, hinc sequi, vt plura corpora habeant idem membrum, puta eundem oculum, si in duabus, homo vnus sit Archidiaconus: quandoquidem Archidiaconus, est oculus Episcopi, iuxta Trident.sess.24. cap.12. de refor. Item si idem sit Episcopus in duabus Ecclesiis, idem erit caput duorum corporum. Quid quod si in vna Ecclesia, vno quis fungatur munere, putà Archidiaconi, & in alia Cantoris, continget monstruosissimè; idipsum quod vno loco est os, alibi esse oculum.

2. Addunt iidem Peraldus, & Cartusianus, ex hac pluralitate beneficiorum, induci monstrum Sabellij hæresi analogicum: nempe vt idem sint Pater & filius, respectu eiusdem. Nam qui hîc est Decanus atque adeò pater, alibi subest illi ipsi qui hîc est eius Canonicus, & alibi est eius Decanus. Guilielmus Parisiensis apud Cartusianum l. de pluralit. benef. art. 8. ait, talium cuique, competere nomen illius Dæmonis, qui de se dixit, *Legio mihi nomen est, quia multi sumus.* [Nam & isti sic multi sunt. Vnusquisque enim illorum vnus est in persona, multi in beneficiis.] Cantipratanus l.1. Apum.cap.19.num.9. hanc esse ait Luciferi præsumptionem, qua homo vult fieri similis Altissimo: vt sicut Deus est vnus in tribus personis, ita homo sit vnus sub pluribus personatibus seu beneficiis. Tales esse personas & belluas multorum capitum, hydras & Briareos cæteràque monstruosa prodigia transcendentes, ait Petrus Bles. episto.120. Hoc igitur infame monstrum, quo multi aditionem beneficij penes alia quæuis capita innoxiam dehonestant, in medium producere, & iaculis autoritatum & rationum

confodere, in extrema hac acie aduersùs illicitas beneficiorum captationes, consilium est.

Sensus Doctorum, contra addensationem Beneficiorum.

3. IN primis itaque statuo, multiplicationem beneficiorum quoruncunque in eadem persona, vltra quàm necesse sit ad honestam eius sustentationem, per se loquendo, grauiter illicitam esse: tametsi per accidens in raris quibusdam euentibus honestari potest. Quod dico de graui peccato multiplicationis plurium quoruncunque beneficiorum vltra sufficientiam in eadem persona, latissimè confirmatur à Cartusiano, Opusc. de reform. Canonicorum art. 22. & l. cui titulum fecit, *Dialogus Canonici & patroni.* Et alio, cui titulus est: *de pluritate beneficiorum*, vbi profert in eam rem iudicia variorum Doctorum, præsertim Guilielmi Parisiensis & S. Thomæ; quorum hic quodl. 9. art. 15. hanc resolutionem disertè habet. Ille verò multipliciter idem confirmat l. de pluralitate beneficiorum, cuius breuiculum ibi exhibet Cartusianus; vbi legi potest; nam in editione operum Guilielmi, desideratur. Quanquam extare eum librum subnexum operi eiusdem de collatione beneficiorum, & vtrumque cusum esse Argentinæ in 4. anno 1507. scribit Coluenerius ad Cantipratanum l. 1. cap. 19. num. 6. Quamuis autem hoc malum est satis antiquum, vt ex infra scriptis patebit, & ex eo quod Aymonius l. 5. cap. 19. Ebroinum Pictauiensem Episcopum, Abbatia insuper in rei benè gestæ præmium donatum scribit; tamen scrupulus circa hoc maximè infixus est æuo Sancti Thomæ. Fuisse de hoc puncto olim anno 1238. (non anno 1228. vt scribit Meyerus 2. p. Annalium Flandriæ, & Pontacus in Chronologia) acriter & diu certatum in Academia Parisiensi, & tandem pro parte cui subscripsimus fuisse decisum, scribit ibidem Cantipratanus à num. 5. qui testatur se affuisse; & subscripsisse ei resolutioni Guilielmum Episcopum Parisiensem, Hugonem à Sancto Caro, posteà Cardinalem, Guericum, & Gaufridum, ac Ioannem Rupellensem & alios magni nominis ea tempestate Doctores. Id quod æquè ait in longa & multo solemniore disputatione fuisse decisum, ante triennium, duobus tantùm in magno Doctorum cœtu dissentientibus: nempe Arnoldo postea Ambianensi Episcopo, & Philippo Cannon Græuæo, cuius extant in psalmos Commentarij?) Cancellario Parisiensis Academiæ, quorum iste cum in extrema ægritudine obfirmatus in sententia, nequicquam cum sollicitante in contrarium Guilielmo Parisiensi, & ad salubrem contritionem circa hoc negotium vrgente, efflasset in eodem statu animam, non ita multo post eidem Guilielmo apparens, damnationem suam æternam professus est: cum ob arcanas turpitudines, & immisericordiam in pauperes, tum ob hanc ipsam de qua agimus obfirmationem in sententia, de licita beneficiorum non necessariorum pluralitate. Id quod æquè alius ea sola ex causa damnatus, prodidisse refertur ibidem num. 7. Laudat quoque in eam sententiam de mortaliter illicita pluralitate beneficiorum Cantipratanus, Iacobum de Vitriaco & Robertum de Chorton Cardinales, itemque Petrum Cantorem Parisiensem, & Guiardum Cameracensem Episcopum, ac Bernardum Ordinis prædicatorum summi Pontificis Pœnitentiarium: quibus addendi

ari[illegible]endi Peraldus, & Vlricus de Argentina descripti à Cartusiano l. de pluralit. benef. qui l. de reformat. Canonicorum arr. 27. refert illud ex Sancto Bernardo, allegatum quoque à Diuo Thoma art. illo 15. [Vnus in persona; non vnus, sed plures est in beneficiis, non plures in officiis: Erit ergo plures in suppliciis.] Allegat itidem eum Sancti Bernardi locum Thomas Campegius Opusc. de beneficiorum pluralitate, addito etiam Sancti Chrysostomi loco, (librum vel homiliam non signat, nec vt puto signare potuit). [Quod tenebra erubuit, lumen erubescat. Quod figuræ non fuit concessum, rei reor fuisse illicitum. Figuræ autem non fuit concessum, quod qui inter Leuitas capiebat in Bethleem, caperet in Hierusalem.] Optimè præterea in hanc sententiam, ex recentioribus Bellarminus in Admonit. ad Episcop. Theanensem controu. 5. & in consiliis suggestis Clementi VIII. quæ referuntur l. 3. vitæ cap. 5. Toletus l. 5. Instruct. cap. 81. Azor. l. 6. cap. 10. q. 5. & Ioannes à Cochier in Vindiciis Libert. Eccles. parte 2. cap. 9.

Iura in eandem sententiam.

4. SVffragio Doctorum accedit suffragium iuris Canonici, quo frequenter cautum legimus, ne quis pluribus simul beneficiis potiatur. Nam c. *Sanctorum*, dist. 70. quod depromptum est ex Concilio Placentino sub Vrbano II. sic habetur. [Omnino in duabus aliquem Ecclesiis titulari, non liceat; sed vnusquisque in qua titulatus est, in ea tantùm Canonicus habeatur. Licet enim Episcopi dispositione vnus diuersis præesse possit Ecclesiis, Canonicus tamen præbendarius nisi vnius Ecclesiæ in qua conscriptus est esse non debet.] Sunt & alia anteriora iura à Gratiano descripta 21. q. 1. vt Canon. 10. Cócilij Chalcedonensis, quo disertè vetatur, Clericum eodem tempore conscribi in Ecclesiis duarum ciuitatum. Et Canon. 15. Septimæ Synodi, quo tametsi circa villas seu pagos, propter inopiam hominum, indulgetur vt vnus possit duabus Ecclesiis ministrare; tamen quoad vrbem Constantinopolitanam in qua Concilium celebrabatur, (& par fuit ratio vrbium ac ciuitatum omnium, in quibus penuria hominum indulgentiam non exposcit, ita decernitur. [Clericus ab instanti temporis non connumeretur in duabus Ecclesiis. Negotiationis enim hoc est, & turpis lucri proprium commodum, & ab Ecclesiæ consuetudine penitus alienum. Audiuimus enim ex ipsa dominica voce, quod *nemo potest duobus Dominis seruire: aut enim vnum odio habebit; & alterum diliget: aut vnum sustinebit & alterum contemnet.* Vnusquisque enim secundùm Apostolicam vocem, in quo vocatus est, in hoc debet manere; & in vna locari Ecclesia. Quæ enim propter turpe lucrum in Ecclesiasticis rebus efficiuntur, aliena consistunt à Deo.]

5. Illustre etiam est decretum S. Gregorij, quod l. 2. vitæ eiusdem Sancti Pontificis cap. 54. à Ioanne Diacono describitur, & à Gratiano c. *singula* dist. 80. in hæc verba. [Singula Ecclesiastici iuris officia, singulis quibusque personis sigillatim committi iubemus. Sicut enim in vno corpore multa membra non eundem actum habent, ita in Ecclesiæ corpore, multa membra sunt secundum veridicam Pauli sententiam; in eodémque spirituali corpore conferendum est hoc officij vni, alij committendum est illud. Neque enim quantumlibet exerci-

tatæ, vni personæ, vno tempore duarum rerum officia committenda sunt: quia si totum corpus est oculus, vbi auditus? sicut enim varietas membrorum, per diuersa officia & robur corporis seruat, & pulchritudinem repræsentat: ita varietas personarum, per diuersa nihilominus distributa officia; & fortitudinem & venustatem sanctæ Ecclesiæ Dei manifestat. Et sicut indecorum est in corpore humano, vt alterum membrum alterius fungatùr officio; ita nimirum noxium simulque turpissimum est, si singula rerum ministeria, personis totidem non fuerint distributa.] Alia pleraque iura contra hanc pluralitatem, addensauit Aluarus Pelagius l. 2. de planctu Eccles. art. 8. *litera l.* Quorum tamen tam multorum iurium, ait nullam vel modicam vtilitatem esse, & frustra membranas occupare. Prætereo quæ cap. *de multa*, de præbend. allegato Concilij Lateranensis sub Innocentio III. cap. 29. anteriore decreto, in hanc rem sanciuntur quoad certa beneficia. Nec non multa & grauia, quæ similiter quoad certa beneficia statuit Ioannes vigesimus secundus in Extrau. *Execrabilis*. Tandémque alia quæ in Concilio Tridentino sess. 7. cap. 4. de reform. & sess. 24. cap. 17. de reform. decernuntur quoad varia beneficia. Hæc (inquam) nunc prætereo: quia nunc generatim tantùm intendo monstrare, pluralitatem beneficiorum quorumcunque, iure positiuo Ecclesiastico esse illicitam: posteà subiuncturus quod circa uaria beneficia sit constitutum. In omnibus tamen illis locis quæ notaui, habentur multa aduersùs quamcunque beneficiorum pluralitatem, quam Conc. Trid. cap. illo 17. ait inducere peruersionem totius ordinis Ecclesiastici. Ioannes verò vigesimus secundus dicta Extrauagante, decem grauia eius incommoda enumerat. Concilia pleraque Germanica in idipsum consentientia, adducit Adamus Gontzen lib. 7. politic. cap. 41. *Lege nona.*

Ad idem rationes minus firmæ.

6. RAtiones variæ in hanc rem proferuntur à diuersis, quæ non vrgent omnes æqualiter. Cantipratanus l. 1. Apum c. 19. num. 9. & Guilielmus Paris. l. de collat. benef. Quem refert & sequitur Cartus. l. de pluralit. benef. artic. 8. & 17. vrgent periculum recedendi à sententia tam multorum Doctorum, qui pronunciant esse mortale obtinere: simul plura beneficia, ad sustentationem vnius non necessaria. Etiamsi enim eorum sententia non esset certa, tamen committere se periculo mortaliter peccandi, si reipsa eorum sententia certa esset, mortale est, iuxta hos autores, qui idem Beato Augustino tribuunt; sed perperam. Nam Diuus Augustinus nunquam ait, mortale esse operari contra sententiam quæ ait alquid esse mortale, etiamsi ea sententia reipsa & coram Deo sit vera: Diuus ergo Augustinus tantùm affirmat, esse mortale operari contra sententiam propriam, qua existimes aliquid esse mortale: vel certè qua dubites, ne quod facis sit mortale, non deposito dubio practico. Tunc enim malus affectus quo quis fertur in graue malum dubium, est mortalis. Si autem quis non censeat aliquid esse mortale idoneis rationibus ductus ad sic opinandum, quamuis alij, reclament; & multò magis si non tantum ita probabiliter iudicet, sed etiam rationabiliter id habeat pro certo, (esto reipsa hallucinetur;) tamen culpa vacabit; quia malitia non deriuatur in actum nostrum ex obiecto.

biecta secundùm se spectato; sed ex eodem vt substante nostro iudicio & affectui; qui cum supponatur esse rectus, & deriuetur ex iudicio practicè vero, aut inuincibiliter errante, non potest non esse honestus & illimis. Itaque non committit se periculo mortaliter peccandi, qui ex probabili, vel sibi inuincibiliter certa sententia, (reipsa falsa,) operatur quod alij censent esse mortale, quia tunc sententia quam amplectitur, non manet mortaliter & practicè dubia, sed verè est tuta, vt constat ex Tractatione de conscientia. Quare argumentum propositum non est validum in rem nostram.

7. Iidem Doctores, & nominatim Cartusianus l. de reform. Canonicorum artic. 2. ex Gulielmo Parisiensi & Peraldo, aliud argumentum vrgent, quod item imbelle est. Aiunt enim, qui plura possidet beneficia obligari necessariò ad plura officia pro numero beneficiorum; quia beneficiuum datur propter officium. Cum ergo nemo pluribus officiis sit par, & pleraque non possint obiri sæpiùs in die; inferunt beneficiarium multa quæcunque beneficia, habentem, esse in malo statu. Verùm hæc argumentatio non est valida, quoad officium illud Ecclesiasticum quod est onus personale, contentum persolutione horarum Canonicarum: de quo officio nominatim agunt prædicti autores. Nam quoad alia officia seu ministeria propter quæ dari potest beneficium, cum rarò sint onera personalia, sed possint per alium obiri, argumentum partum vrget, vt constat attendenti. De officio ergo, hoc est de horis Canonicis, nonnullis Doctoribus præter prædictos visum est, quandoquidem vnum beneficium non nimis tenue obligat ad illius persolutionem, duo beneficia similia, vel saltem non tenuiora, obligare vt bis persoluatur; & plura pro numero ipsorum, obligare ad repetitas persolutiones. In quam sententiam inclinat Nauarrus Miscell. 60. de orat. & Albertus de Ferrariis tract. de horis Canon. num. 94. ac Binsfeld. in Enchir. 4. p. c. 3. concl. 10. Sed est sententia planè scrupulosa, & contra vniuersalem ac indubitatam Ecclesiæ consuetudinem, vt non possit superesse ambigendi locus. Passim enim Doctores agnoscunt, vnica recitatione satisfieri pro variis illis titulis recitandi officij qui inuehuntur singulis beneficiis. Sicut qui est sacris ordinibus & Episcopatu initiatus, quamuis quolibet illorum titulorum seorsim sumpto teneretur ad recitandum; tamen vnica recitatione satisfacit pro omnibus titulis: quia licet non concurrant in vnum ob concomitantiam in eodem subiecto, tamen voluntas Ecclesiæ per quam onus recitandi imponitur, non fert vt vna persona pro variis capitibus penes quæ potest obligari ad recitandum, multiplicet recitationes; sed tantùm vt ad vnam recitationem pro omnibus simul titulis obligetur; ita vt sit quidem multiplicior obligatio recitandi vnum officium, sufficiat tamen recitare vnicum. Et ita passim Doctores tractantes de horis Canonicis, post S. Thomam quodl. 1. art. 13. Subscribit Maior. in 4. d. 12. q. 6. à Sancto Fausto l. 2. de horis Cano. q. 18. & 84. Azor. t. 1. l. 10. cap. 4. & l. 4. c. 2. q. 6. Garcias de benef. 3. p. cap. 1. n. 124. Suar. l. 4. de orat. cap. 18. à n. 7. & plerique alij quos appendit & sequitur Durantus l. 3. de ritibus c. 22. n. 9. Notat tamen à Sancto Fausto, & benè, l. illo 2, q. 19. obligari beneficiarium ad totidem commemorationes quot sunt patroni beueficiorum quæ possidet; & harum commemorationem prætermissionem, si multa omnino sint beneficia, posse esse grauem materiam.

Probationes validæ.

8. CVm ergo rationes propositæ sint inualidæ, præstat vti rationibus, quas in hanc rem adhibet Corduba l.1.quæst. 20. propositione prima; Gabriel. lectione 28. in Cano. & in 4.d.13. quæst. 8. dub. 2. latè & optimè F. Spiritus Roterus Parergo 2. num.65. hoc præfixo titulo. *Inuectiua in feram pessimam, Ecclesiam deuorantem, beneficiorum pluralitatem.* Benè item Binsfeld. 4.p.Enchir.c.3.concl.1. & ante eos S. Thomas quodl.9.artic. 15. constipans incommoda, quæ pluralitatem beneficiorum consequuntur, eámque per se loquendo redunt illicitam. Imprimis enim impossibile plerunque est, aliquem parem esse pluralitati ministeriorum quibus addicta sunt beneficia. Quomodò enim aderit in pluribus simul, Ecclesiis, in quibus beneficia reperiri contingat? Deinde cum vnus pro pluribus instituitur, minuitur cultus Dei; quia vnus non recitat pluries eodem die officium, vel facit sæpiùs sacrum. Nec rarò fraudantur Testatores, qui certum numerum beneficiariorum poposcerunt, & ad id suas facultates contulerunt. Et vnus quidem esurit & deficit, alius autem abundat & ebrius est, ac multitudine beneficiorum grauatur. Cui dicendum (ait Peraldus,) *non licet tibi habere, vxorem fratris tui.* Et illud, *qui habet duas tunicas, det non habenti.* Eadem incommoda pluralitatis beneficiorum in vna persona, vrget vocibus & modis proponendi non nihil diuersis; sed reipsa eodem recidentibus, Guil. Paris. & ex eo Cartus.l.de plural. benef. art.8 Non prætereo quædam paulo explicatiùs ab eo tacta, quàm à Sancto Thoma, quæ non sunt parui momenti. Vt quod cibus & antidorum temporale beneficio comprehensum, debeatur propter laborem: ac proinde sicut is qui non laborat non debet manducare, ita qui non laborat dupliciter, non debet manducare dupliciter. Quilibet autem beneficiarius, vnico tantùm, id est, vnius duntaxat personæ labore defungitur. Ergo non debet plura beneficia obtinere. Cur verò poterit habere plura beneficia similia in duabus Ecclesiis; v. g. vnum Canonicatum Lugduni, & Viennæ alterum; vel Lugduni ad Sancti Ioannis vnum, & in Sancti Iusti æde alterum, & non poterit similiter habere duos Canonicatus sub eodem tecto? Omnia enim incommoda quæ proferri possunt contra hoc postremum, (quod nullum ausum esse dicere vel attentare, obseruat Guilielmus;) æquè vrgent contra primum quod passim videmus vsurpari ab improuidis beneficiorum congestoribus. Imo ob præsentiam & indiuisionem maiorem, præstaret duo beneficia conferre sub eodem tecto, quàm sub diuersis. Quidni verò in exercitu, idem miles accipiet plura, & pluribus suffectura stipendia? Aut cur idem non poterit in diuersis Prouinciis fungi præfectura, quod tamen vetatur l. *libertus* ff. *municipal.*

9. Ex his concludit Gulielmus, pluralitatem beneficiorum in vna persona, esse pestem debilitantem ac minuentem Dei exercitum, genimen duarum viperarum auaritiæ scilicet voluptatibus propriis lenocinantis, & ambitionis. Hinc enim appetitus ille congerendi beneficia, non autem à charitate siue Dei, siue proximi. Quod ferunt illa S. Bernardi episto. 42. [Curritur in Clero passim ab omni ætate & ordine, à doctis pariter & indoctis, ad Ecclesiasticas curas; tanquam

quam sine curis iam quisque victurus sit, cum ad curas peruenerit. Nec mirum de his qui necdum in semetipsis experti sunt. Videntes quippè illos qui iam proprios humeros cupitæ sarcinæ summiserunt, non solùm non gemere tanquam sub onere, sed insuper appetere plus onerari; non deterrentur periculis, qui cupiditate cæcati non vident, sed fauoribus amplius quos illis inuident, prouocantur. O infinita semper ambitio & insatiabilis auaritia. Cum primos honorum gradus meruerint in Ecclesia, meruerint autem, vel vitæ merito vel pecuniæ, siue etiam carnis & sanguinis, quæ regnum Dei non possidebunt, prærogatiua; non ideo corda quiescunt, duplici semper æstuantia desiderio: quo vtique magis ac magis & dilatentur in plura, & ad celsiora sublimentur. V. g. cum factus quis fuerit in quacunque Ecclesia Decanus, Præpositus, Archidiaconus, aut aliquid huiusmodi; non contentus vno in vna, plures sibi, immò quotquot valet conquirere honores satagit, tam in vno quàm in pluribus.] En causæ, quas protuli multiplicandi beneficia.

10. Ex illarum autem determinatarum causarum malignitate, æstimare licet virulentiam effectus. Quantoperè autem his deterrimis & pestiferis fontibus semper vberiùs manantibus, crescat studium accumulandi noua semper & noua beneficia, ita vt vel si ipse beneficiarius iam satur id tentet, ægerrimè tamen se cohibeat; intelligitur ex illis quæ in hunc modum tradit Prosper. l. 2. de vita contemp. cap. 15. [Suaui iugo Christi contempto, ferreum cupiditatis imperium voluntaria mentium inclinatione suscipimus; & Domini nostri leui onere, quod subiectos non onerat sed subleuat, posthabito; plumbeum pondus nostris ceruicibus aggeramus, quòd citiùs potest deponi, quàm ferri: quia & ipsa cupiditas quæ nobis subiici vltrò volentibus hoc pondus imponit, contemni potest facilius, quàm expleri: & ideò qui se illi volentes dediderint oppugnanti, voluntatem resistendi vlteriùs non habebunt tyrannicè dominanti. Et hoc fit iusto Dei iudicio, vt qui cupiditati resistere noluimus ingressuræ, iam resistere nequeamus ingressæ. O plangendum miserabiliter mentis expugnatæ seruitium. O intolerandum dæmoniacæ cupiditatis imperium, vt ex hostibus suis quos potest vincere, victores faciat suos, promittit ingentia: & bonorum temporalium pollicitatione deceptos, impellit iam miseros, & miserandos in turpia. Tenet nos lucrorum pœnaliter dulciũ catenis addictos, & in sua ditione captiuos, nec trahit inuitos, sed quod est deterius, quocunque voluerit, volentes ducit. Vastat in nobis, quidquid verecundiæ aut pudoris inuenerit, & quos suis triumphis iam addixit; adhuc tanquam resipiscendi suspectos omnibus viribus honestatis exarmat, ne quando contra eam, qui bellare noluimus, rebellemus. Rapit nos ac passim per omnia acquisitionum genera cupidos acquirendi dispergit. Non permittit animum liberum, non stabile corpus (vagante animo mobiliter,) aut quietum, & velut quædam cadauera in pastum feris, auibus bestiisque proiecta, captiuos suos immundis spiritibus tradit; non lacerandos, sed auidissimis mortiferorum criminum faucibus deuorandos: nec tamen vt esse iam desinant, sed vt pœnaliter viuant. Denique in viuis corporibus adhuc portant funera sua; id est viui simul & mortui. Hinc est, quod peccato viuentes, quantum nos congestarum opum oblectet accessio, ipsa fruendi

carnalibus delectatione sentimus; & quantum virtutum sustineamus inopiam velut mortui virtutibus ignoramus.]

11. In summa, vt rem contraham in pauca, hæc beneficiorum congestio, est accumulatio defraudationum. Nam Deus obsequio & honore multiplici, Ecclesia membris, Clerici pauperes plerunque meliores beneficiis quæ iure expectare debent, vt potè possessori superfluis, plebs denique Christiana auxiliis debitis, pro carnalium suppeditatione fraudatur. Vt dissimulem plerumque fraudem factam vicariis conductitiis, qui laborant, & alius mercedem accipit; ipsi serunt & metunt, alius autem congregat in horrea. Nam & horrealium beneficiariorum nomine donandos qui eiusmodi sunt, decernit Guilielmus Parisiensis: cum non aliud versent animo, quàm horreum, de auena & præbendis equinis ac asinariis, (sic enim nominat studium temporalium ob solam corporis curam conquisitorum,) sollicitiores, quàm de præbenda gratiæ & gloriæ. Quæ verè stulta cogitatio, cœlesti illo tonitruo dispellenda est, quod prostrauit illum Euangelicum auarum, de amplificandis antiquis horreis & nouis ædificandis satagentem.

Ira Dei in congestores Beneficiorum.

12. Commemoratio Diuitis huius Euangelici, horreis suis incubantis, in quem subitò detonuit diuina procella, reuocat in memoriam diuina iudicia admodùm seuera in hos beneficiorum congestores. Nam & eis à Propheta dicitur *veh* iuxta Blesensis interpretationem, qui epist. 128. ad Decanum Turonensem illis accommodat verba Michææ 5. & Abacuc. 2 [. Nepos vester in diuersis Ecclesiis diuersos adeptus est turpi commercio personatus. Non enim intrauit per ostium; quandoque auditurus verbum illud terribile. *Quomodò huc intrasti non habens vestem nuptialem?* Scitis quia vestis nuptialis est charitas, humilitas, & honestas. Hunc autem non promouet honestas, sed cupiditas: non moralitas, sed venalitas; non scientia, sed pecunia, non electio, sed ambitio; non meritum, sed pretium; non virtus, aut sanctitas, sed contractus? Verbum Prophetæ est. *Væ his, qui ædificant Sion in sanguinibus. Væ qui congregant non sua; vsque quo aggrauant contra se densum lutum?* Cum sit persona, vel potiùs bellua multorum capitum, hydram tamen & Briaræum cæteráque monstruosa prodigia, multarum facierum numero, aut potiùs personarum multiplicitate transcendit.] Et pulchrè in cap. 1. Iobi. [Quid videtur de Clericis, qui infinitas animas in cura suscipiunt & de illarum salute non curant? Plerique sunt, qui non dicam animarum de quibus respondere tenentur in die tremendi iudicij, sed vix Ecclesiarum suarum numerum cognouerunt: Adiungunt Ecclesiam Ecclesiæ, præbendam præbendæ, domum domui, agrum agro. De talibus dicit Isaias; *Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis, vsque ad terminum loci.* & Abacuc. *Væ qui multiplicat non sua vsquequaque, & aggrauat contra se densum lutum.* Clerici qui nihil possidere debuerant, præsumunt omnia possidere. Non laborant, non arant, non seminant, non ædificant, non nauigant, neque pugnant, & vt verbo Psalmistæ vtamur, *in labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Ideóque tenuit eos superbia.*

O infe-

O infelices. Vtinam saperent, & intelligerent ac nouissima prouiderent.]

13. Non esse hæc vana terriculamenta, sed accessisse non rarò comprobationem iam ex hac vita, à diuinis iudiciis, docent quæ habet Cantipr. l. 1. Apum. cap. 19. num. 10. [Ego (inquit) in quadam ciuitate Episcopali, annis vndecim adolevi; vbi sexaginta duo canonici sub præbendis pinguissimis ducentarum ferè librarum Parisiensium, in matrici Ecclesia seruiebant, quorum plures erant beneficiorum plurium detentores. Vide ergo qualem vindictam Dei in ipsos vidi turpissimos detentores. Mihi testis & Iudex sit sancta Trinitas vnus Deus, quod paucos eorum vidi communi hominum morte defungi, sed subitò omnes & reprobè mori: ita quòd quidam eorum, audito quòd vnus sociorum in nocte sanus, mane mortuus inuentus esset, complosis manibus dixit. Et quid vultis? Secundùm vsum, & consuetudinem Ecclesiæ mortuus est, vt videtis. Vidi ego ipse in Ecclesia eadem, infra paucos annos, quatuor Archidiaconos sic defungi. Vide Lector, mirare miraculum. Primus eorum, de equo phalerato & grandi cecidit: fractísque ceruicibus expirauit. Secundus manè in cathedra sedens, mortuus est repertus. Tertius in choro stans, cùm ad Missam eleuatio corporis Christi fieret, cecidit resupinus, & subtracta loquela cum sensu, quasi brutum animal, die tertia sine Sacramentis Ecclesiasticis est defunctus. Quartus confessionem peccatorum & Sacramenta recusans mortuus est, & extra cœmeterium sepultus.]

14. F. Spiritus Robertus in forti Inuectiua aduersùs hos vt vocat plygamos, quibus omnia Ecclesiæ mala adscribit, contestatur omnes ferè qui eiusmodi sunt, infelicem mortem sortiri, ita vt nec Dei memores nec Sacramentis ritè muniti excedant è vita, magno argumento reprobationis. Bona verò temporalia quibus accumulandis quæstuosa beneficiorum negotiatio seruiuit, miserè dilapidentur & euanescant, siue in lites illico subortas insumpta, siue rapacitate familiarium exportata; etiam ante pluralis beneficiarij excessum. Vt plurimum autem vita functi, expertes maneant suffragiorum, vix vllo satagente iuuare precibus suis aut sacris hominem in eo statu vita functum. Quasi inspirante Deo ariolentur quo loco sit in altera vita. Quod esse magnum ac durum Dei iudicium in hos polygamos, idem Autor confirmat. Finalem impœnitentiam & damnationem æternam Philippi Cancellarij Parisiensis, ob hanc ex parte causam: & alterius hac item sola ex causa damnati, notauerat proximè adductus Cantipratanus ibid n. 6. & 7. iamque attigi superiùs. Theodorum Santabarenum ex Monacho impiissimum & flagitiosissimum Episcopum Photij Pseudopatriarchæ emissarium ad enormia scelera, adiungentem possessionem multorum simul Episcopatuum, vt docet Nicetas *ad finem*, vitæ Sancti Ignatij, exoculatio & flagra, omnisque generis probra & calamitates tandem oppresserunt. Quare nemo se palpet, iisve excusationibus, quibus pluralitatis beneficiorum amatores, suam cupiditatem aut ambitionem communiat,

Vanæ excusationes addensantium Beneficia.

15. EAs excusationes in peccatis, non tacere, sed producere, atque præcludere, hic locus postulat. Non numero autem inter excusationes,

nes, impium iocum hominis flagitiosissimi, qui primus plures Episcopatus sibi iunxisse monstrosissimè proditur. Is fuit Manasses Episcopus Arelatenensis, simulque Veronensis, Tridentinus, Mantuanus, ac denique etiam Mediolanensis; quem postremum Episcopatum vt obtineret, Hugonem Italiæ Regem affinem suum, à quo Episcopatus alios acceperat, iusto Dei iudicio prodidit; & vt regno exturbaretur effecit, postquàm in eius exercitu, militasset armis indutus. Homo iis moribus, & impietate infamis, tot sedium fœda consociationi in vna persona, obtendebat Sancti Petri exemplum, qui Antiochenam, Romanam, & Alexandrinam possedisset Ecclesias, vt ex Luitprando l. 4. scribit Baron. anno 936. Sed non est hæc verè excusatio, sed cumulatio impietatis. Neque enim Sanctus Petrus, tametsi omnium simul Ecclesiarum vniuersalis Rector, peculiariter simul curauit tres illas Ecclesias; Sed Alexandrinam quidem per Marcum instituit, ac rexit. Ad Romanam verò sedem veniens, dimisit immediatè peculiaritérque curare Antiochenam. Quare audiamus eas quæ vtcunque videri possunt excusationes.

16. Fuerunt teste Cartusiano l. de pluralit. beneficiorum art. 1. Gulielmo Parisiensi apud eundem artic. 8. nec non Peraldo ibidem adducto, artic. 10. qui excusarent, sententiam de licita beneficiorum pluralitate, esse multorum Doctorum, qui ipsa plura beneficia sufficientia sine scrupulo habent. In practicis autẽ, opinio quæ habet idoneos autores, tuta est, & sine periculo reuocari ad praxim potest. Alij quandoque excusarunt pinguedinem & opimitatem vnius alicuius beneficij, quod quis tuta conscientia habere potest, etiamsi æquiualeat, vel etiam præponderet pluribus sufficientibus minutioribus. Quidni ergo ista simul habere queat, si potest illud vnicum tutò habere; Sunt qui difficultatem præclusuri curant plurium beneficiorum vniones ad vitam. Crebrò auditur illa quorundam excusatio, inuigilare se quibuslibet beneficiis accuratè & sedulò, bonósque & optimos sibi vicarios in iis à quibus absũt subrogare. Aliqui referente Francisco Turriano l. de perpetua commendatione Ecclesiarum, contestantur non dubitare se, quin fœdum & illicitum sit habere plura beneficia in titulum: se tamen vnicum habere in titulum, cætera in commendam. Tandem plerique omnes, & nunc & iam olim, tutos se censuere in quantalibet numerosa multiplicatione beneficiorum, allegata summi Pontificis dispensatione. De his excusationibus, iure dixerim illud Dauidicum; *Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt.*

Præcluditur prima, ducta ex aliquorum Doctorum autoritate.

17. ET prima quidem adeò inanis est, quàm quotidiana, ob inscitiam plurimorum apud quos inualuit illud quasi effatum, fas esse sequi opinionem probabilem. At iure dici probabilem eam sententiam, quam vnus aliquis Autor euulgauerit, quæcunque tandem sint illius rationes & fundamenta. Notus mihi ex auditione est vnus quidam Moralis Theologus, qui pro vsu nunc inualescente, omnem sententiam habet pro tuta & probabili, quam scriptor quispiam tradiderit. Quod si, vt assolet, autores sententiis varient, consultur de aliquo conscientiæ nodo, autores vtriusque partis consultoribus exhibet, liberam

liberam faciens vtriusque partis potestatem: quod vtraque, (vt vident,) autoribus suis non destituatur. Probationum momenta seponit; tanquam non necessa ad formandum iudicium practicè certum quod sit operationis honestæ directiuum; cum nuda probabilitas quæ pener Sapientum sensum attenditur, ad hoc sufficiat. Nominem latere præterea puto peritiorem, autores qui numerositatem suorum operum frequenter iactant, ea numerositate gaudere; non ob profunditatem doctrinæ qua liquidò carent, nec mirum cum scholas Theologicas ne ad audiendum quidem adiuerint vnquam; non rationum solidarum copiam; cum vix vnam ieiunissimam ratiunculam plerunque adhibeant; non ob ordinis ac methodi excellentiam, cum eorum lucubrationes nihil sint nisi chaos indigestum; non ob acumen quod habent omni pistillo retusius; non ob admistas amœnitates vel multiplicitatem promiscuæ literaturæ, qualis apud Couarruuiam, Azorium, Sanchem, aliósque nonnullos occurrit. Germanam itaque causam illius numerositas pro captu lectorum sua fata habentium, admirationi fuit, quod cum autores studiosissimè captent, laxissimas de conscientiæ nodis sententias, & quidquid apud aliquem aliquósve incoctum, & singulariter aut licentiùs dictum repererint, auidissimè arripiant; annumeratis absque rationum libratione & discussione autorum nominibus, ac locis, siue ex fide propria, siue ex aliena; signatis quàm fieri potest benè multis: quasi hoc sit probare, quod allegare. Improuidi autem & inconsulti lectores quibus eo quod retuli principio fucus est factus, eas lucubrationes tanquam vtilissimas & expediendis quibusuis conscientiæ implexitatibus commodissimas coëmant; vnde tam crebra (de qua tanquam mustaceo laureolam capiant,) editionum multitudo.

18. Cæterùm sola autorum multitudo non sufficit ad conciliandam opinioni probabilitatem; vt benè monet Azor. t. 2. l. 2. cap. 13. quæst. 1. & Torres. t. 1. in 2. 2. disp. 55. dub. 3. Nam plerunque autores sunt leues, aut certè tales vt non debeant censeri plures vno, quem sequi absque alia rationum expensione solent. Qua item ex causa Sanchez l. 3. de matr. d. 44 num. 2. negat eam opinionem debere dici communem, quæ est plurimorum autorum, si ij sunt autores, qui more seruorum pecorum soleant sequi arietem, & alienis tantùm insistant vestigiis. Communem igitur dici ait sententiam, quæ est autorum rationes vtrinque expendentium; ac sic demum de re pronunciantium, etiamsi non adeò multi sint. Hoc ipsum quoque ad iudicandum de sententiæ alicuius probabilitate penes autorum sensum, considerare par est; non dimissa illa probabilitate, quæ ex non leui rationis fundamento petitur. Nam ista quoque spectare debet vir peritus, vt opinionem aliquam sibi esse probabilem, verè & cum fundamento dicere possit, vt benè confirmat Vasques 1. 2. d. 62. n. 17. & Reginaldus lib. 13. num. 102. ac Ioannes Sanchez d. 44. selecta.

19. Ex his apertè euanescit prima excusatio adducta. Autores enim qui produci possunt pro beneficiorum pluralitate per se loquendo licita, non sunt autores idonei, & apti ad conciliandam ei sententiæ probabilitatem: cum rationes quæ in contrarium proferuntur, sint validissimæ, & ab illis inexpedibiles. Deinde quod notauit Gulielmus Parisiensis, & ex eo Cartus. l. de plural. benef. art. 8. nulli sunt; qui ita sentiant, præter ipsosmet plurium beneficiorum

possessores, aut captatores quibus cum in causa propria testimonium ferant, dicendum est, *testimonium vestrum non est verum.* Quod aiunt hi autores de sententia pluralitati beneficiorum patrocinante, propria duntaxat autorum quales descripsimus, confirmari rectè potest ex eo quod narrat Peraldus, de quodam (vt ait,) Doctore, è consilio auaritiæ: qui cum diu asseruisset pluralitatem beneficiorum singillatim sufficientium esse mortale peccatum, quando non nisi vnum beneficium possidebat; postea nactus secundum beneficium, asseruit fas esse cuique plura beneficia habere; & addit, quod nullus posset hoc intelligere, nisi qui ea haberet. Nimirum vt idem Peraldus ex Zacharia ait, *impietas est oculus impiorum in vniuersa terra.* Et quod quisque maximè ardet verum esse, hoc verum putat, iuxta dictum Demosthenis quod celebrat S. Isid. Pelus. l. 2. episto. 146. Sic concupiscentia proci, exoculat eum ne amasiam agnoscat esse quod est, & qualis obiicitur cæteris; nempe fœda & inamabilis. Matrem quoque affectus in filium dementat, & facit elegantem æstimari, qui deformis est. Non secus iuxta eundem autorem, oculus auaritiæ ambitionis, quo isti beneficiorum congestores pluralitatem eorum conspicantur, exhibet illis visione falsa atque phantastica tanquam probabile & licitum, quod sani & periti quorum res non agitur, pronunciant improbabile & planè illicitum. Sic enim pronunciauerunt multi sancti & docti viri, vel nullis ditati Sacerdotiis, vel plurium non cupidi.

In secundam, & tertiam ex licita Beneficij pluribus æquiualentis possessione, pluriúmve vnione ad vitam.

20. SEcunda excusatio non minùs friuola est. Non enim si vnum pingue beneficium, æquiualens pluribus minutis sed sufficientibus, possidetur licitè ab eodem; sequitur fas esse, eundem plura illa minuta possidere. Sicut non si quis potest gestare libram auri quæ æquiualet centum plumbi libris, sequitur eundem posse centum illas libras gestare, cum possit vnam illam æquiualentem. Nec si vnus homo potest totius alicuius amplissimi regni Cancellarium agere; inferendum est eundem posse parem esse innumeris minutis muneribus illi dignitati subordinatis, & nulla ratione æquiualentibus. Nimirum sufficit vnicuique muneri malitia sua: ac proinde cum vnumquodque beneficium homini sufficiens, habeat quod adæquet vim meritoriam (vt sic dicam,) siue ministerialem beneficiarij, compensando illum iustè, debet beneficiarius eo iusto stipendio esse contentus. Esto alibi, quia in iustitia illius stipendij est latitudo, contingat pro simili vel etiam minore labore auctius stipendium tribui. Id enim per accidens est, & pertinens ad aliqualem felicitatem illorum beneficiariorum qui pro eodem ministerio largiùs compensantur, ex maiore liberalitate aut gratitudine populi, vel ex pleniore pietate eorum qui alibi beneficia fundarunt aut dotarunt; quos vberioris stipendij fontes, mirum non est hîc parciùs, ibi copiosiùs fluere, cum res humanæ eam inæqualitatem necessariò ferant. Cæteri verò beneficiarij quibus iustum duntaxat stipendium, id est sufficiens beneficium obtingit pro eadem opera, attendere debent præbendam spiritualem (vt sic dicam;) æternum (inquam) gloriæ pondus, quod

operatur

operatur hic labor minùs compensatus temporali stipendio apud homines. Quod huius stipendiorum inæqualitatis supplementum, egregiè planè in hanc rem ponderat Gulielmus Parisiensis l. de collatione beneficiorum,& ex eo Cartus. l. de plural. benefic. art. 8. *in fine*.

21. Excusationem tertiam quæ nitebatur plurium beneficiorum vnione ad vitam, omnibus probris onerat Thomas Campegius Opusc. de vnionibus Ecclesiarum. Vniones quidem beneficiorum, quas Ecclesiæ vtilitas vel necessitas Inuexit, sunt approbandæ, vt monstrat factum S. Gregorij, qui Cumanam & Musitanam Ecclesias simul vniuit, vt habetur l. 2. Registri epist. 31. Idémque Monasterium Putcolanum, monasterio Gazenensi coniunxit l. 8. epistola. 39. Rursusque monasterium quod in fundo Martiani situm erat, vniuit monasterio Agapiti Abbatis l. 9. epistola 67. Inferiora item beneficia propter paupertatem vniri posse, decernit Honorius II. cap. *exposuisti*, de præbend. Quamuis ergo hæc ita se habeant, quoad vniones perpetuas ex honesta causa à legitimo Superiore factas; tamen vniones ad vitam ferè sunt auersandæ, quod docente cupiditate sint excogitatæ, in fraudem incompatibilitatis qua vacant beneficia vnita, ex cap. *super eo*, de præbend. 6. vel in fraudem defectus ætatis ad certa beneficia præscriptæ. [Vidimus complures (inquit supra Campegius,) prætextu huiusmodi vnionum quas *ad vitam* vocant, parochiales Ecclesias quoad vixerint, nullis susceptis sacris ordinibus retinuisse; & alios postquàm ad decem aut viginti annos parochiales Ecclesias possederint, vxorem duxisse, nullo præpediente sacro ordine.] Parochia enim vnita Canonicatui, ab eis obtinebatur vi Canonicatus, etiamsi eius non essent ætatis, quàm ipsa per se parochia poposcisset, sicque perstabant ad annos multos in illius beneficij possessione, excutienda cum liberet.

Contra quartam, allegantium suffectionem idoneorum Vicariorum.

22. SEquitur quarta excusatio æquè inepta & vana, eorũ scilicet qui allegant nihil bono statui suorũ beneficiorum decedere, ob idoneorum vicariorum quos prouident diligentiã. Aduersùs istos conclamat Peraldus,& ex eo Cart. l. de plur. ben. art. 10. & post vtrumque Felisius in Decalogũ ad 7. præc. c. 8. in primis quia hac ratione, vnus laicus, aut etiã vna mulier, posset decem beneficiis potiri; quia posset sibi substituere decẽ vicarios. Deinde sicut ridiculum esset matrimoniũ contrahere cum animo ponendi vicarium, ita non minus fatuũ est, suscipere in sponsam aliquam Ecclesiam, eique inuigilare per vicarium; qui vel erit mercenarius, vel bonus & verus pastor. Si primũ, non secus se habebit ac fur & latro, vt Christus ipse ait de pastoribus mercenariis. Itaque dicere, possum habere plura beneficia quæ regã per vicarios mercenarios; perinde est ac dicere, possum plura beneficia habere, quia collocabo meo loco ad ea regenda fures & latrones, qui diripiant & mactent ac perdãt omnia. Si verò vicarius sit bonus & nauus pastor, quæ ratio patitur vt tu ferieris,& oues tondeas: Ille laboret,& non nisi modicũ quid accipiat? serit ipse,& alius comedit; seminat populo spiritualia, & tu carnalia à populo reposita metis. Planè in te cadit quod dicitur Ecclesiastici 34. *qui fraudem facit mercenario, & qui effundit sanguinem, fratres sunt*. Et illud,

Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum. Vrgeri porrò m axime potest hoc argumentum, instituta comparatione inter vicarium & beneficiarium. Nam si vicarius est beneficiario aptior & melior, quæ ratio fert vt beneficiarius, duabus fruatur Ecclesiis, Vicarius autem talis, nullam proprio nomine gerat? Quod si Vicarius sit beneficiario ineptior ac deterior; iniquum est illum subrogare. Quemadmodùm iniustitiæ argueretur operarius, qui conductus in vineam, nollet ipse in eam pergere laboratum, sed loco suo mittere operarium eneruem ac inualidum. Hoc non aliud esse videretur quàm Ecclesiam cui vicarius præficitur, pede carneo voluntariè & meditato truncatam, donare pedè ligneo suppositirio.

23. Quadrant huc omnia quæ Damasus epistola 4. profert contra Episcopos substituentes sibi Chorepiscopos. Et quæ Hildeb. epistola 46. in simili adducit. Spectant præterea ad hoc negotium, omnia argumenta quibus Alphonsus de Castro l. 3. de iusta hæret. punit. cap. 4. *sub finem*, reiicit excusationem socordium illorum pastorum, qui suæ in pastorali munere desidiæ, obtendebant idonei vicarij substitutionem suo loco factam; allegantes neque Dominum ouium per seipsum oues pascere, sed per suffectum sibi Pastorem. Quam analogiam multipliciter non quadrare, monstrat Alphonsus; neque beneficiarij qui vicarios sibi sufficiunt, sint Domini subditorum quos curandos susceperunt; neque vt Domini reuera essent, possent eos regere contra supremi Domini voluntatem, quæ fert, vt ipsi per se Pastores, non per Vicarios gregem rationalem regant. Præterquam quòd ea rectio per alium, vix vnquam benè succedit, iuxta Manlij Torquati præclarum pronunciatum apud Liuium, quod nunquam possint properè succedere, quæ oculis quiuis egerit alienis. Similiter ergo vix vnquam benè succedit rectio per Vicarium, quod Christus ipse Pastor magnus ouium (vt dicitur Heb. 13.) vti noluit quamdiu in terris vixit. Quem enim multo ante designauerat Ecclesiæ suæ curatorem, suúmque in terris Vicarium, non nisi breui discessurus è mundo, cœlúmque repetiturus, Vicaria illa præfectura reipsa instruxit. Sicut Samaritanus quandiu in stabulo hæsit, curauit per se ipsum, hominem semiuiuum, nec nisi discedens, opera stabularij est vsus, Moysi quoque in montem ad Deum sedenti, infeliciter cessit Aaronis fratris in Vicarium substitutio, cuius præsentia populum ab immani vitulorum adoratione non arcuit; cum sint Vicarij semper minore in pretio apud subditos, quàm ij quorum sunt Vicarij. Et est vt plurimum Vicarius eiusmodi, vt in eum ritè cadat quod Maro Ecloga 3. ab opilione de alieno ouium rectore dictum profert.

Hic alienus oues custos, bis mulget in hora;
Et succus pecori, & lac subducitur agnis.

Itaque indigna prorsus & friuola (per se loquendo), est hæc excusatio; & in re prædicta de qua Castro disserebat, & æquè etiam in re nostra, etiamsi Vicarius esset alioqui idoneus. Quàm tetra porrò culpa sit, cum Vicarius sufficitur, substituere in sufficientem, latè prosequitur Cartus. l. de vita Curatorum artic. 50.

In

In quintam, nixam commendatione perpetua, titulo adiuncta.

24. ADuersùs eos qui quinto loco excusabant commendationes cæterorum beneficiorum, præter vnum quod haberent in titulum, disputauit neruosè ac eruditè Franc. Turrianus l. de perpetua commendatione Ecclesiarum. Conclamat item aduersùs eos Papyr. Massonius in Paulo 2. & Espencæus in cap. 1. Epistolæ ad Titum. Vt autem perspicuè & solidè procedamus, præmittenda est notio ei voci subiecta, eiusque notionis multiplicitas. Constat, *commendam*, nihil aliud esse, quàm commissionem curandi vel administrandi beneficium; non tanquam per proprium Rectorem aut Prælatum, sed tanquam per procuratorem vel negotij gestorem, vt notat Syluester v. *commenda*, post Glossam ad c. *qui plures*, 21. quæst. 1. Vnde Clemens V. Extrau. postea citanda *commendam*, aliter dici ait *custodiam*, *curam*, *guardiam*, *administrationem*. Inde fit, vt alia sit commenda temporaria, alia perpetua. Nam c. *Nemo*, de elect. in 6. dicitur commendationes non esse faciendas, nisi ob euidentem vtilitatem, vel summam necessitatem Ecclesiæ commendatæ, quæ alioqui destitueretur ministerio necessario vel gubernatione, interim dum ei proprius rector idoneus quæritur. Quod tempus pro Ecclesiis parochialibus de quibus eo capite agitur, dicitur non debere sex mensium tempus excedere. Meminit etiam huiusmodi commendationis temporariæ parochialium Ecclesiarum, ob defectum proprij Rectoris, Conc. Trid. sess. 24. cap. 18. de reform. Et æquè potest committi ad tempus, Ecclesia habens proprium rectorem, si is à rectione iusto impedimento præpediatur, aut absit. De quo Commendatario sub nomine *Vicarij*, mentio est cap. *cum ex eo*, de elect. in 6. Et ita factum in Synodo apud Vermeriam, cum Herimannus Niuernensis per æstatem delirasset, commissa ea Ecclesia Veniloni Senonensi. Alias verò commendatio fit ad vitam Commendatarij: quæ dicitur commendatio perpetua, quia Ecclesia datur in administrationem perpetuam, absque tamen concessione tituli beneficij iuxta cap. *dudum*, de elect. Et de his commendationibus est hoc loco sermo. Excogitatas esse à Leone IV. scripsit Ruzæus tract. de commenda quæst. 1. Et quoad beneficia regularia, non regularibus commendata, cepisse abusionem, sub Vrbano VI. beneficio IX. ait Choppinus l. 1. Monast. tit. 1. n. 14. vocans eas commendationes, *pessimum Ecclesiæ venenum*. Vniuersè tamen commendationes longè antè Leonem IV. viguisse, intelligitur ex variis S. Gregorij literis, quas signat Ioannes Diaconus l. 2. vitæ cap. 54. Æquiparantur autem possessioni beneficij cum titulo, vt latè prosequuntur Rebuf. de pacif. possessor. à num. 35. Ludou. Gomes in reg. de trien. poss. q. 5. Nauarrus in summa c. 25. n. 106. Less. l. de Iust. cap. 34. num. 148. Omnia quippè beneficiario proprio competentia, conceduntur perpetuo commendatario tunc quoad iurisdictionem spiritualem si beneficio inest, tum quoad fructus & emolumenta. Et idcircò huiusmodi commendatio, æquè est materia Simoniæ, ac beneficium, vt rectè tradit Suares l. de Simo. cap. 27. num. 3.

25. Hinc perspicitur vanitas excusationis quintæ propositæ. Quid enim est excusare pluralitatem beneficiorum, quod vnum tantùm habeatur in titulum,

cœtera sint commendata, quàm excusare, haberi quidem nomine tenus vnicum beneficium, reipsa tamen haberi multa? Quomodocunque porrò res nominetur, id est, siue commenda, siue beneficium; est tamen eadem quoad negotium præsens, vt ex dictis liquet. Et tam beneficium, quàm commenda exigunt curam ac sollicitudinem & ministerium eius cui traduntur. Itaque quid prætexi possit excusationis, ex eo quod vnum duntaxat beneficium habeatur in titulum, cætera in commendam, incompertum est. Vt verò intelligatur has non esse commendationes, sed verè beneficiorum naturam redolere; nec quibus beneficium tradi dicitur in commendam, illud reipsa accipere in commendam, sed quomodolibet eam traditionem nominare placeat, idipsum eis sub aliis vocibus præstari, quod si beneficium daretur in titulum; dispiciendum est, dari in commendam, vt præmisimus, habetúrque ex cap. *nemo*, de elect. in 6. idipsum esse quod dari in custodiam seu custodiæ causa. Vnde sicut is qui habet rem sibi datam in custodiam, non facit eius fructus suos; ita nec is qui beneficium habet propriè commendatum, facit suos fructus beneficij, sed rationem eorum reddere alteri debet ex cap. *placuit*. 10. quæst. 3. At commendæ hodiernæ, aliter se habent. Vsus enim fert, vt in commendatione dicatur concedi Commendatariis, vt faciant suos fructus commendati beneficij, nec eorum postea rationem reddant; sed faciant expensas ex redditibus beneficij commendatj, sumántque ex eo alimenta, & persoluant debita, sicut is qui titulum habet, vt cum Archidiacono ad cap. *qui plures* 21. q. 1. asserit Rebuffus in praxi benef. tit. de commenda & Campegius Opusc. de commendis beneficiorum. Hodierni ergo commendatarij, se habent vt procuratores dati in rem suam, qui re integra amoueri non possunt vt obseruat Glossa in l. *Sicut* §. *si procurator* ff. de procurat. per l. C. de donat. Vnde si commendatarius de quo agimus, in malos vsus fructus Ecclesiæ commendatæ consumat, quamuis grauiter peccet, exoluitur tamen onere restituendi: quo onere grauaretur commendatarius, qui ad tempus esset constitutus pro Ecclesiæ vtilitate. Is enim non faceret fructus suos, sed similis esset curatori atque tutori: Quæ omnia sunt planè aliena à natura depositi, siue custodiæ, aut commendæ: cum tamen cortex vocis præferat depositum. Nam *commendare*, nihil aliud propriè est, quàm deponere, vt curam rei habeat depositarius ex l. *commendare* ff. de verbo signif. ex l. *Lucius* ff. *depositi*. Perinde igitur est habere beneficium in commendam ac habere in titulum; Saltem quandò commendatio fit à Papa, titulum & commendam perinde valere, notat Rebuffus supra num. 6. & Corduba l. 1. q. 20. propositione 1. causa 3. Qui igitur excusant quod è pluribus beneficiis vnicum habeant in titulum, cætera in commendam, malè excusant.

26. Nec iuuat abusum quem exagitamus, praxis S. Gregorij, qui plerasque Ecclesias commendasse beneficiariis titularibus legitur, vt l. 2. epistola 13. c. 52. ad Agnellum Fundanum Episcopum, qui Ecclesiam Terracinensem commendauit, mortuo Petro ipsorum Episcopo. Et eodem libro cap. 25. Ioannem Lusitaniæ ciuitatis Episcopum, iussit commendatam habere Ecclesiam Squillacinam. Et ibid. c. 7. commendat Ecclesiam Neopolitanam Paulo Episcopo, quousque deliberare posset de iis quæ Neopolitani poposcerant. S. Remigius Laudunensem Ecclesiam habuit comemendatam tempore septennis pœnitentiæ Gundebaudi,

debaudi, lapsi cum propria vxore: ita vt eo concluso, S. Remigius vnam dominicam Remis in propria sede, alteram Lauduni in Ecclesia commendata ageret; vt videre est apud Flodoardum l. 1. hist. Rhem. cap. 14. S. Dunstanus, ad tempus Vigorniensem & Cantuariensem Ecclesiam simul rexit, vt scribit in eius Actis Osbertus. Linum quoque & Cletum fuisse vrbis Romanæ Episcopos commendatarios, ab Apostolorum Principe constitutos, ne ciuitas Romana per absentiam Pastoris proprij, per Prouincias ob Euangelij negotia discurrentis, careret debita rectione, S. Damasus & Ioannes III. ac S. Epiphanius tradiderunt. Paulus item pro Timotheo quem euocabat, Tychicum misit qui Ephesinæ Ecclesiæ interim præesset, & loco Titi in Cretam misit Arthemam Lystræ Episcopum, & Tychicum Colophoniæ vel Chalcedonis Episcopum, vt habent Hyppolitus & Dorotheus. Hæc inquam & si quæ sunt huiusmodi exempla, non iuuant abusum commendationis Ecclesiarum, qualis viget in re de qua agimus. Vel enim commendationes illæ, factæ duntaxat sunt Antistibus propria sede destitutis ob hostiles incursus, vt in duobus primis exemplis ex S. Gregorio prolatis: vel tantùm factæ sunt, vt interim suppeteret tempus ad quærendum idoneum Antistitem, vt in tertio exemplo; vel ne per necessariam absentiam proprij Prælati, Ecclesia dispendium subiret, vt in reliquis exemplis. Quid verò hæc omnia ad commendationes perpetuas, quales nunc vsurpari videmus? Quare licet illæ fuerint innoxiæ, non item istæ, per se loquendo. Et meritò conclamat in eas Choppinus lib. 1. Monast. tit. 2. num. 3. adducto Budæo l. 5. dedisse. Quod autem magis ridiculum est, cumulátque harum commendationum inordinationem; plerique eo ipso quod Ecclesiam non habent nisi commendatam, putant se exolui munere residendi: quasi commendatio possit effectum suum sortiri, & esse quod dicitur, commendatario procul posito. Quæ ratio vt benè perpendit Turrianus l. de commendatione perpetua Ecclesiarum, efficaciter conuincit, sapienter Clementem V. in quadam extrauaganti, cum tales commendationes absentibus aliquando concessisset, postea tactum dolore cordis intrinsecùs, & experimento edoctum quanta mala & spiritualibus & temporalibus Ecclesiæ bonis inde acciderent, omnibus eas abrogasse, ne Cardinalibus quidem exceptis: quos Innocentius III. & Gregorius XI. ac Leo X. in Conc. Lateran. mala commendationum enumerantes, easque abolentes excipiunt. Sed insistamus commendationibus, præcisè quatenus obtendebantur pluralitati beneficiorum, quorum vnum duntaxat haberetur in titulum, cœtera in commendam; non autem quatenus obtenduntur æquè inaniter grauissimæ obligationi residendi.

27. Perspexerunt huius excusationis inanitatem, qui hanc dixerunt esse polygamiam, vt Paulus II. Pontifex. Nam referente Rebuffo in praxi tit. de commenda num. 22. & Selua tract. de benef. parte 3. q. 39. num. 5. rogatus vt filio Regis, vnum Episcopatum iam habenti, alterum Episcopatum vel Abbatiam commendaret, [absit (inquit,) à me, vt bigamiam in Ecclesiam Dei inducam.] Non alludens ad bigamiam qua vnus mortua priore coniuge alteri iungitur coniugio, sed ad bigamiam simultaneam, eiusdem cum duabus coniugibus. Nec minus apposite Sanctus quidam Episcopus Parisiensis, vt ibidem refert Rebuffus; cum oblata ei esset Abbatia, commendationis nomine cum

Episcopatu possidenda; respondit, absit vt cum sponsa habeam concubinam. Itaque isti commendatarij, æquè ac cæteri beneficiorum congestores; vel sunt polygami spirituales, vel concubinarij; & spiritum contra diuinam institutionem diuidunt; sicut ille homicida Lamech, qui primus pluribus vxoribus aut concubinis iunctus est, carnem diuisit Gen. 4. Vtinam nec eos par calamitas inuoluat, vt animarum homicidas esse contingat; vt Lamech interfector corporum fuit, occidens virum in vulnus suum, & adolescentulum in liuorem suum. Sanè non modò animarum alienarum cladem ac cædem, cum beneficium est curatum, exprobrare commendatariis plerisque omnibus cum Rebuffo supra n.14. licet: sed etiam (vt cum Tertulliano dicam l. de idololat. c. 1.) si quid ad homicidij elogium facit, commendatarius, suimetipsius & suæmet animæ interemptor est, ob grauia peccata quæ hodiernas commendationes ferè comitantur, præsertim commendationes Ecclesiarum Regularium, factas secularibus. Ea peccata ad quinque capita cum reduci dixisset Rebuffus supra num. 13. in progressu octo recensuit. Nolo ego ea capita percensere, quæ apud Autorem prædictum legi possunt; tum quod experimentum vbiuis quotidianum, satis supérque doceat, quanta inde mala Ecclesiis & quoad temporalia & quoad spiritualia inferantur; tum quod præstet ea mala premere, quàm vix vllo pretio operæ frustra producere. Tanta certè sunt, vt non veritus sit Rebuffus supra num. 10. ad harum commendationum nimiam copiam, tanquam ad principem causam, referre exitium totius Reipublicæ Christianæ: addátque hac præsertim esca irritari gulam Ecclesiasticorum, qui vnum nacti Episcopatum sexaginta millium librarum annui census, deglutiunt velut Charybdes, permultos alios Episcopatus commendatos & Abbatias; tantisque onerantur Ecclesiarum commendatarum bonis, vt vix suis pedibus ambulare valeant, grauante hac podagra, ex ingluuie bonorum Ecclesiasticorum procreata. [Sed sicut isti Commendatarij bona pauperum deuorant (inquit,) ita dæmones Comestores deuorabunt illos, nisi resipiscant.] Alludit ad antiquum iocum, cuius etiam meminit Syluester v. *Commenda*, n. 1. qui ait *commendam*, olim dictam fuisse à *commendatione*, quia Ecclesia in curam commendabatur. Nunc autem dici *commendam*, quasi *comedendam*, quia Ecclesia quæ est in commenda, comeditur. Videsis illustre in eam rem exemplum ad calcem Actorum S. Medardi, per Fortunatum, cum describitur commendatio monasterij S. Medardi extorta à Varimberto, eiusque grassationes in Monasterium commendatum, ac denique mors horrenda effusis visceribus, instar Iudæ & Arrij.

18. Apparet ergo meritissimò Concilium Tridentinum sess. 7. cap. 4. de reform. commendationes beneficiorum perpetuas proscripsisse. Quod decretum à se curatum, scribit Thomas Campegius l. de commendatione Ecclesiarum *in fine*. Et has quidem commendationes, prout nunc in vsu sunt, (dimisso vsu S. Gregorij ex finibus supra recensitis) inuexisse primùm dicitur Clemens V. vt haberet Cardinales opulentos. Nam vsus antiquus ferebat, vt non alij essent Cardinales Episcopi, quàm septem illi: postea verò non nisi sex, qui ob locorum propinquitatem, nec Ecclesiis suis nec Pontifici deesse possent. Vt autem aliarum vrbium Episcopi in Cardinales promouerentur, vsus non tulit per satis longum tempus; hoc est vsque ad Clementem V. si Iacobatio credimus

mus lib.1.de Concil.n.121. Imò verò vsque ad tempora Alexandri III. vt benè notauit Hieron. Platus l. de Card. dignit. & officio cap. 4. addens, primum omnium sic promotum alienæ sedis Episcopum fuisse Cõradum Moguntinum, à Federico Ecclesiæ tunc hoste loco motum, & idcirco creatum Episcopum Cardinalem Sabinensem; quam sedem, consecuta pace restitutus sedi Moguntinæ, retinuit. Ex quo factum est, vt aliarum item vrbium Episcopi, ad aliquē è sex illis Romanæ Prouinciæ Episcop. Cardinalibus promouerentur. Nec ita multo post à Clemente III. alij item Episcopi, electi sunt Presbyteri Cardinales, mutato tamen titulo Episcopi in Commendatarium perpetuum, vel administratorem ad vitam. Aucta verò est supra modum tempore Clementis V. ea Ecclesiarum commendatio, cuius ætate eam frequentiorem fecisse videtur necessitas & penuria hominũ idoneorũ; postea tamen prorogauit exlex cupiditas. Scribit enim Leander l. de viris illustr. ord. Prædic. in breuiculo vitæ Raymundi Capuani Magistri Generalis 23. ord. prædicti anno Christi 1349. grassatam pestem adeo diram & virulentam per vniuersam Europam, quam ante annos triginta Robertus Auenionensis eiusdem ordinis, inter concionandum diuino afflatu prænunciarat; vt vix ex hominibus decimus quisque superesset; pérque aliquod tempus, non pagi modò ac vici, sed & vrbes quondam populosissimæ, vacuæ remanerent. In agris antea cultissimis, vbique dumeta & syluæ succrescerent. Domus prope omnes, ob ingentem aquarum effluxum, nemine tecta jugiter perstillantia curante, aliterve exundantem in eas aquam arcente, infeliciter dirutæ iacerent. Ad religiosas itaque domos, ruina quoque diffusa est: nec tam in materialibus ædificiis, quàm in regularis disciplinæ obseruatione. Cum enim vita functis tam multis, qui tantæ cladi superfuerant pro sufficiendis sibi posteris solliciti essent; & in tanta hominum paucitate, non multi occurrerent idonei; necessitate compulsi, impuberes plerosque, & imbecilles allegerunt: quibuscum vt lubentes perstarent, vigor disciplinæ laxandus fuit; in quo postea ad pristinum statum reuocando diu multúmque anno 1380. sudatum esse à prædicto Raymundo, ait Leander. Addens hinc Cœnobiorum & Episcopatuum ac reliquorum beneficiorum commendationes enatas esse. Qui enim pauci supererant idonei viri, cum seculares tum religiosi qui præficiebantur, vnum beneficium in titulum accipiebant, alterum vel plura si sors ferret, & opportunum videretur, iisdem commendabantur. Nec tantùm secularibus secularia beneficia, & regularibus regularia tradebantur, vt faciendum fuisset iuxta decretum peruetustum Synodi Nicænæ, quod est quinquagesimum quartum inter Arabicos illius Concilij Canones in editione Latina desideratum; per vniuersas autem Orientis, Septentrionis, ac Meridiei Ecclesias, huc vsque vigens; teste Genebrardo l. de sacrarum electionum iure cap. 2. n.8. sed etiam propè monstrosa adiunctione, regularibus seculare caput commendationis nomine est attributum quod non esse seruare ordinem sed euertere dixit Nicolaus I. Episto. 24. excludens à præfectura monasterij Corbeiensis, omnem non Monachum, siue Canonicum, siue laicum. Meminit eiusdem pestis, & dispendiorum in ordinem Augustinianum, aliósque tunc omnes, ac in ipsam etiam Ecclesiam per eam inuectorum, qui præfatur ad Thomam de Argentina: quæ notasse iuuit, vt appareret mirum non esse,

has

has commendationes, præsertim secularibus quoad regulares factas, adeò esse pestiferas Cœnobiis, & vniuersæ Ecclesiæ; quandoquidem originem suam ad pestem referunt. Antiquis certè ignotum fuisse huiusmodi genus commendationum, nec nisi in fraudem incompatibilitatis esse inductum, expostulat Campegius, Opusculo de commendatione beneficiorum.

Contra sextam, ex dispensatione Superioris.

29. VLtima excusatio eorum erat, qui dispensationem Pontificiam proferebant. Circa quā excusationem, illud præfari meritò possim, quod Guliel. Paris. & ex eo Cartus. l. de plural. benef. artic. 8. *in fine*, proponunt: nempe huiusmodi indulta Vicarij Christi, supra non esse; & iuridicè data vera iura esse, nec vllius esse Catholici, mutire aut grunnire in contrarium. [Hoc tamen indubitanter sentiendum est, (inquit Gulielmus,) quod Romanus Pontifex quantuncunque largam dispensationis gratiam videatur facere in beneficiis cum aliquibus personis; tamen nec dispensat, nec dispensare potest, cum auaritia, cupiditate, vel ambitione earum: nec indulget eis indulgentiis suis, vt his vel aliis vitiis indulgeant. Non enim intendit nutrire pestes vitiorum, de temporalibus bonis Ecclesiæ; quæ plenè nouit ad sustentationem seruorum Dei in eius seruitio, sacrificata esse Domino, & oblata.] In his Gulielmi verbis, duplex dispensationis Pontificiæ cum pluralibus beneficiariis, genus proponitur; quod sigillatim excutere, est operæ pretium.

30. Primum est inutile, quod scilicet ex falsa allegatione per cupiditatem vel ambitionem, plura beneficia captantium extortum est, imponendo Pontifici, & seipsum illudendo, ac perdendo. Quod enim optimè docet Vlricus de Argentina in Summa, exscriptus à Carthusiano l. de pluralit. benef. artic. 11. & cum aliis Bellarminus in admonitione ad Episcopum Theanensem controuersia 5. ac Ioannes Valerus V. *beneficium*, differentia 1. huiusmodi dispensatio conuellens Apostolicum & morale statutum super ius naturale fundatum, de non confundendis membris Ecclesiæ, atque adeò vno ministerio & beneficio vni, non pluribus vni assignandis, non est dispensatio, sed crudelis dissipatio, iuxta S. Bernardum lib. 3. de consid. cap 4. *in fine*, vbi agens cum Eugenio, & auocans eum à dispensationibus intutis, ait. [Quid inquis? prohibes dispensare? Non, sed dissipare. Non sum tam rudis vt ignorem, positos vos dispensatores; sed in ædificationem, non in destructionem. Denique *quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur.* Vbi necessitas vrget, excusabilis dispensatio est. Vbi vtilitas prouocat, dispensatio laudabilis est. Vtilitas dico communis, non propria. Nam cum nihil horum est, non planè fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.] Idem contra se munientem Apostolico indulto aduersùs vota sua, egregiè ait epistola 7. *sub med.* & aliquatenus etiam Epistola prima.

31. Hinc manifestè concluditur, de Doctorum prædictorum sententia, tametsi is qui in pluralitate beneficiorum dispensatione vtitur in foro externo, tutus sit: tamen coram Deo, non excusatur à peccato mortali, & damnatione: In quam etiam ruinam æternam, conuoluit dispensatorem improuidum; iam

iam non dispensatorem, sed dissipatorem. Idem egregiè de hoc ipso negotio disserens tradidit Aluarus Pelagius l. 2. de planctu Ecclesiæ art. 8. *littera l.* tradens huiusmodi dispensationem primam, esse dissipationem animarum. Nam vera dispensatio, requirit aut necessitatem aut vtilitatem; non confictam sed veram, saltémque rationabiliter existimatam. Quibus fundamentis legitimæ dispensationis euersis, vt fit in hoc primo dispensandi modo, qui dispensatur, etiamsi à summo Pontifice dispensetur, non est apud Deum tutus. [Faciliùs ergo (inquit Aluarus) & curialiùs talis cum sua dispensatione ad gehennam descendit, secundum Hostiensem.] Aut vt ait Lauacrum conscientiæ cap. 8. *fol. 36.* Sic dispensari, est, cum licentia Papæ in infernum intrare. Nec ipse Papa dispensans, erit innoxius. Neque enim Pontifex, vt rectè dixit Ennodius in apolog. accepit cum priuilegiis, peccandi licentiam. Esséque inane quidquid in hac re absque graui causa statuit Pontifex, tradit cum Cameracensi Gabriel lect. 28. in Cano. *litera. R.* & benè quoque F. Spiritus Roterus Ord. Prædic. Parerg. 2. num. 65. dicens, hæc esse scuta, quæ Deus comburet igni, vt potè (inquit) nimirùm debilia, & vt plurimùm, malleo & incude mendacij fabricata. Conclamat quoque aduersùs hanc abusionem Adamus Gontzen l. 6. polit. cap. 41. *ad legem nonam*, visa sibi dicens diplomata dispensatoria pro venerabili Domino N. insignis Literaturæ & multorum laborum pro Ecclesia exceptorum gloria commendato, qui puerulus erat, prauæ indolis. Sed placuerat parentibus eo sacrilego falsiloquio flectere Pontificem ad dispensandum, cum pueri & parentum exitio.

32. Latissimè hoc punctum versat Franciscus Turrianus, tota secunda parte opusculi de perpetua commendatione Ecclesiarum (*mihi à pag. 116.*) tractans an per dispensationem Pontificis, commendatarij non residentes tuti sint in conscientia. Cui dubio genuinum est, quod in hoc negotio versamus, an per dispensationem, licita sit plurium beneficiorum sufficientium possessio. Monstrat autem eo loco Turrianus, nihil apud Deum prodesse huiusmodi dispensationes, si sint contra id ad quod ex natura rei & iure diuino quis obligatur, quia in iure diuino non licet homini dispensare. Id quod etiam S. Bernardus l. de præcepto & dispens. cap. 5. admonuit. Vnde epistola prima, cum Robertus eius nepos, resultum ab ordine Cisterciensi ad laxiorem, excusaret per dispensationem Pontificis, S. Bernardus contendens eam dispensationem fuisse contra legem diuinam de non respiciendo retrò, post positam manum ad aratrum; [Et quid (inquit,) tibi frustra quispiam blanditur de absolutione Apostolica, cuius conscientiam diuina ligata tenet sententia?] Plenè ac fortiter in eundem prætextum agit epistola septima, vt Adamum Monachum, ex dispensatione (vt iactabat) Pontificia segregem ac extorrem, reuocaret ad caulam. Monstrat ergo S. Bernardus, licentiam & dispensationem Romani Pontificis, si collidatur cum iussione summi illius Pontificis, qui per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta, perperam allegari; nec tutum reddere in conscientia. Subdit verò paulo post [Remorsas ac remordentes conscientias, Apostolica conati estis delinire licentia. O friuolum satis remedium; quod non est aliud nisi more protoplastorum, cauteriatis conscientiis texere perizomata; videlicet ad velamentum, non ad medicamen-

tum. Apostolicam, inquiunt, licentiam quæsiuimus, & impetrauimus. Vtinam non licentiam quæsissetis, sed consilium; id est non vt liceret, sed an liceret. Vnde tamen quærebatis licentiam? vt liceret, quod non licebat? Facere itaque volebatis, quod non licebat. Sed quod non licebat, malum erat. Mala igitur erat intentio, quæ in malum tendebat. Nisi fortè tale hoc fuisse dicatur, quod absque licentia quidem non liceret: liceret autem si cum licentia fieret: Verum id iam superiùs inuincibili exclusum est ratione. Nec enim Deus vbi ait; *Nolite contemnere vnum ex is pusillis qui in me credunt:* addit etiam, *nisi cum licentia.* Aut dicens. *Qui scandalizauerunt vnum de pusillis meis*, &c. determinauit subiungens, *sine licentia.* Constat igitur vbi veritas, & veritas necessaria, in causa non est, nec licitè scandalum quodlibet posse à quolibet committi, nec iustè præcipi, nec innoxie consentiri. Huius tamen patrandi mali quærendam putastis esse licentiam. Sed ad quid? An vt quantò licentiùs, tanto securiùs; & quo securiùs, eo & periculosiùs peccaretis? Mera cautela, & stupenda prouidentia. Malum quod iam corde conceperat, opere tamen cauti fuerunt non implere, nisi cum licentia. Conceperunt dolorem, sed non pepererunt iniquitatem; donec iniquo Papa conceptui præbuisset assensum. Quo lucro, quóve saltem compendio mali? Nunquid ideò aut malum esse desiit, aut vel minoratum est, quia Papa concessit.]

33. Accommodando itaque ista ad beneficiorum pluralitatem, dicendum similiter est, quandoquidem pluralitas beneficiorum sufficientium, per se loquendo, est contra ius naturale & diuinum; frustra item per se loquendo, adduci pro ea dispensationem humanam; quæ proficere tantùm potest, vt curialiùs quis pereat, vt ex Aluaro supra diximus; hoc est, vt quod suspendiosis plerumque accidit, cum suo Regiæ absolutionis diplomate, agantur in crucem. Dicat planè si sapit, qui huius duntaxat primi generis dispensatione gaudet, illud Apostoli 1. Cor. 10. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* Quia enim erant tunc qui dicerent cum hodiernis sectariis, frustra facta esse omnia, nisi liceret omnibus vti; reponit Apostolus transfigurans in se nostra, vt solet, *omnia mihi licent*; physicè inquam, vel certè impunè, & catenus in foro externo licitè, multa præstare possum; si quæ non debeo facere, essent mihi facienda quia physicè aut nemine reprehensuro vel castigaturo, præstare possum. Sic enim liceret mihi potare sine mensura, ludere effusè, scortari & similia ad quæ seculi leges silent: At ego cum sciam me ad eum modum posse omnibus vti, agnosco tamen, non omnia quæ sic licent, mihi expedire ad possidendum Dei regnum, nec reuera esse vsurpanda. *Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate.* Est inquam id in omnibus obseruandum, vt non omnia quæ physicè vel impunè possumus, præstanda censeamus: sed discernámus quæ facere secundùm Deum expediat. [Etiamsi omnium mihi licet esse participi, non omnia tamen expediunt. Citò enim adducuntur vt ea faciant, quæ non licet, qui faciunt omnia quæ licent.] Glossa est Clementis Alexandrini in hunc Apostoli locum 2. pædag. cap. 1. *sub finem.* Omnia quidem nostra sunt, & subiecta pedibus nostris; omnium inquam vsus nostro arbitrio est permissus; cauendum tamen seriò est, ne in vsu nobis permisso, qui dominari appetitui nostro debebamus, ab aliquo obiecto captiuemur in lege peccati: proindéque curandum

est,

est, vt res omnes nobis permissas, nobis ipsis ac legi mentis subiiciamus; virtutem & libertatem spiritus ostendentes, cum non fœdè trahimur à carnalibus obiectis, (quod est in eorum potestatem redigi, & seruum fier. peccati, faciendo peccatum:) sed rationis ductum sequimur in eorum vsurpatione. v. g. corpore vtentes non ad fornicationem, quamuis physicè & per humanas leges possemus, atque ita vti impunè liceret, sed ad seruiendum Domino; Item cibis & escis vtentes, non ad seruiendum ventri & infarciendum secundùm desideria carnis abdomen: sed ad naturæ necessitatem. Hæc ipsa Apostoli verba vsurpet; qui dispensationem primi generis, ad multa simul beneficia possidenda potest prætexere; ita vt etiamsi ei liceat per forum humanum & leges externas canonicas, habita tali dispensatione subdolè & per irreptionem extorta, habere plura beneficia; sciat tamen id non sibi expedire, nec par esse vt sub pluralitatis quæstuosæ sed damnabilis potestatem, prætextu licentiæ, id est impunitatis apud homines, redigatur: Si igitur liquidem sit nullam interuenisse causam rationabilem dispensandi in beneficiorum pluralitate, qui ea beneficia est assecutus, quamuis validè ea susceperit, quod multi Canones supponunt; & quamuis dummodo per se vel per alium satisfecerit, non teneatur ad fructuum perceptorum restitutionem; Tamen non est tutus in conscientia, & planè tenetur resignare illa pro quibus legitima dispensatio non intercessit. Quæ est valdè communis sententia, quam cum S. Thoma, Adriano, Maiore, Caietano, Soto, Toleto, multisque Iurisperitis tradit Lessius cap. 34. de Iust. num. 151.

34. In hac meta occinere planè liceat iis qui huiusmodi Pontificia dispensatione malè materiata nituntur, illud Goffridi Opusc. 2. [Sunt quidam qui Romanæ Ecclesiæ omnia licere putant, & quasi quadam dispensatione, aliter quàm diuina scriptura præcipit, eam facere posse. Quicunque itaque sic sapit, desipit. Nam Romanæ Ecclesiæ post Petrum, minime licet quod Petro non licuit. Petro quæ liganda erant ligandi, & quæ soluenda soluendi est à Christo data potestas; non quæ liganda soluendi, vel quæ erant soluenda ligandi concessa facultas.]

Per accidens dispensatio addensationis Beneficiorum, honesta.

35. ALterum humanæ dispensationis genus quod proponebam ex Guilielmo Parisiensi, vtile est; illudque insinuaui, cum semper dixi, prædicta vrgere *per se loquendo.* Nimirum quia per accidens, ob causas aliquas extrinsecas, quod simpliciter loquendo inhonestum est, etiam interposito humani Superioris assensu, fieri potest licitum, si in aliis circunstantiis idem assensus interueniat. Et expedire plerunque condescendere, tradit pulchrè ex Augustino Petrus Clun. l. 6. epist. 44. *in fine.* Quo pertinent quoque vulgati euentus, in quibus fas esse plura beneficia possidere graues Doctores tradunt, vt S. Thomas quodl. 9. art. 15. Cartus. l. de plural. benefic art. 1. Val. 2. 2. d. 5. q. 7. p. 2. §. 4. & fusissimè Soto l. 3. de Iust. quæst. 6. artic. 3. post Glossam 21. quæst. 1. *initio.* Profertur primo loco, tenuitas beneficij ad honestam sustentationem insufficientis. Quæ ratio dispensandi in beneficiorum pluralitate habetur in Bulla

aurea Alexij, data anno 1081. itémque cap. *vnio* 10.q.3. & cap. *eam te*, de ætate & qual. ordin. vbi hæc ratio, ad beneficia quoque curata in eodem multiplicanda, admittitur tanquam legitima. Quod quantum quidem est ex vi huius solius causæ correctum est à Tridentino sess. 24. cap.17. de reform. quamuis si aliæ causæ iam proferendæ id ferant, non vocet Concilium. plures etiam curatas Ecclesias, eidem ex dispensatione concedi, vt notant Nauarrus in summa cap.25.num.127.& Val. supra.

36. Profertur secundo loco annexio plurium Ecclesiarum ex prædicto cap. *eam te.* Eo ipso enim fas est, imò necessarium, plures Ecclesias vni beneficiario concedere. Sed hîc cauenda cupiditatis esca, ne dum pluralitas beneficiorum ad tempus in vno concomitanter adunatorum euitatur, incidatur in vnitatem non minùs Ecclesiæ perniciosam. Si nimirum absque idonea causa & necessitate extrinseca, ad solius beneficiarij cupiditatem explendam, quæratur & curetur perpetua annexio & coniunctio duarum Ecclesiarum. In quam sic factam & quæsitam, meritò conclamat S. Bernardus epistola 42. *post medium*, postquàm insatiabilem aliquorum ingluuiem in aggregandis pluribus in sua persona beneficiis, & irrequieto ad vlteriores Ecclesiasticos gradus progressu, exagitasset. [Nonnulli (inquit,) cum ista non possint, vertunt se ad aliud ambiendi genus, in quo nihilominus aperiunt eam quam habent dominandi libidinem. Nam cum præsideant vrbibus valdè populosis, & totas vt ita dicam, patrias propriæ diœcesis ambitu circumcludant occasione inuenta ex quocunque veteri priuilegio, satagunt, vt & vicinas sibi subiiciant ciuitates: quatenus duæ, quibus duo vix Præsules sufficiebant, sub vno redigantur Antistite. Rogo quæ hæc tam odiosa præsumptio, quis hic tantus ardor dominandi super terram? quæ principandi tam effrenis cupiditas?] Et mox. [Cur hoc? Fortè vt plures populos salues? Sed in alienam messem, tuam mittere falcem, iniuriosum est. Vt tuæ præstes Ecclesiæ? sed Ecclesiarum sponso non placet, tale vnius incrementum, quod sit detrimentum alterius. Crudelis ambitio & incredibis, si fidem oculi non astruerent. Vix tenent manus, quin illud ad literam impleant quod legitur in propheta; *Secuerunt prægnantes Galaad, ad dilatandum terminos suos.* Vbi est illa terrifica comminatio. *Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis?* Nunquid in his duntaxat exiguis, væ istud metuendum est, non autem cum vrbes vrbibus, aut prouinciæ prouinciis continuantur? Imo etiam respondeant si volunt, se imitari Dominum Christum, facientes & ipsi vtraque vnum; adducentes & ipsi ex diuersis pascuis greges, vt fiat vnus pastor, & vnum ouile. Huius rei gratia non pigritantur crebrò terere limina Apostolorum.] Vt igitur annexio Ecclesiarum, sit iusta causa plurium Ecclesiarum ab vno possidendarum; necesse est annexionem ex iusta causa anteriùs factam esse, non autem nunc primùm fieri, curante beneficiario ad nouam illam prædam inhiante, ex causa inidonea. Vel certè necesse est, vnionem ex necessitate aut vtilitate Ecclesiæ fieri, vt minutiùs declarat Campegius Opusc. de vnionibus Ecclesiarum. Qua ratione S. Gregorius, vt infra attingam, varia beneficia, etiam Episcopalia, vniuit. Et idem posse Episcopos propter paupertatem Ecclesiarum, habetur ex c. *sicut vnire*, de excess. prælat. quamuis non possit

possit suæ mensæ au Capituli sui vnire, vt traditur Clement. 2. de rebus Eccles. non alien.

37. Tertio loco profertur paucitas idoneorum ministrorum. De quo euentu iam supra ex Concilio Chalcedonensi can. 10. habetur cap. *Clericus* 21. q. 1. Itaque pergo ad id quod adducitur quarto loco de commendatione alterius Ecclesiæ ad tempus ex cap. *qui plures*, 21. quæst. 1. Cuiusmodi multa exempla superiùs attulimus. Verùm cum habere beneficium commendatum ad tempus, non sit propriè illud habere; commendationes autem perpetuæ æquiualeant titulo, de cuius licita pluralitate hîc quærimus, poterit sanè quarta hæc dispensandi causa prætermitti hoc loco, quo de habendis ab eodem pluribus sufficientibus beneficiis disserimus.

38. Postremo adducitur eminentia literaturæ vel nobilitatis in aliquo, vt habetur ex cap. *de multa*, de præbend. Et ratio suffragatur. Expedit enim Ecclesiam insignibus huiusmodi personis quæ illi & ornamento & præsidio esse possint, instrui atque muniri. Respectu autem earum, vnum beneficium quod respectu vulgaris cuiuspiam, id est, nec exquisitè docti, nec nobilitate eminentis Clerici, sufficiens esset, censebitur tenue: quia & viri docti iustum stipendium auctius meritò esse debet quàm ignari, & viro nobilissimo, vt salua ei sit decentia status sui, multo plura sunt necessaria, quàm quæ sufficiunt plebeio. Itaque malè hanc dispensandi causam reiicit Carthusianus mox adducendus; veréque à Sancto Bernardo admittitur episto. 271. cùm agnoscit dispensationem ad plura beneficia simul habenda, ob magnam vel Ecclesiæ necessitatem, vel personarum vtilitatem. Nam in hoc secundo comprehenditur causa de qua agimus, cámque admittit Corduba l. 1. q. 20. propositione 1. causa 3. & Bartholo. à Martyribus 2. p. Stimuli pasto. c. 1. *pag.* 44. dummodò nobilis aut doctus, tantum prosit Ecclesiæ quantum duo facerent, quorum cuique vnum ex beneficiis pluribus quæ accipit, conferretur. Aliæ nonnullæ honestæ dispensandi causæ, vt quis pluribus beneficiis potiri possit, recensentur à Nauarro in summa c. 25. num. 128. qui post Carthusianum l. de plural. benefic. art. 12. refragantibus licet Valentia supra, & Turrecremata ad Clement. *Gratiæ*, de Rescriptis, ac Ioanne Valero v. *Beneficium*, differentia 1. non habet pro idonea dispensandi causa, synceram intentionem plura erogandi in eleemosynam vel hospitalitatem. Deus enim non amat eleemosynas, & hospitalitates, cum tot incommodis quot pluralitas beneficiorum inuehit, necessariò coniunctas. Vnde si beneficiarius habens iam vnum beneficium sibi sufficiens, ea solùm ex causa captat nouum beneficium, & voluntarias eleemosinas largiùs conferre, & voluntariè hospites plures excipere possit; temperet potiùs ea captatione; & illa misericordiæ sibi non necessaria opera, tanquam supra suas vires posita, atque adeo à se non requisita, prætermittat. Quare sistamus in prioribus euentibus, quos idoneos esse admisimus: ad quos facilè reducentur, si qui sint alij honesti & iure admittendi.

Quomodò Beneficiorum addensatio ex se illicita, honestetur per accidens.

39. IN prædictis igitur euentibus, quos omnes constat esse per accidens, valida & licita est dispensatio in pluralitate beneficiorum: quæ tametsi diuino & naturali iure per se loquendo vetetur, nominatim cum vtrunque beneficium exposcit residentiam, tamen per accidens desinit iure naturali & diuino vetari. Atque ita tunc est locus humanæ dispensationi. Neque enim omnia diuino naturali iure vetita, habent parem inhonestatis suæ immobilitatem, sed, vt S. Thomas quodl. 9. art. 15. considerat, sunt aliqua iure diuino naturali vetita, quæ in omni euentu, & in omnibus circunstantiis non vetantur diuino naturali iure; ita vt placeat tunc Deo, relaxari à Pontifice obligationem alioqui interuenturam, declarando subesse causas, ob quas Deus ipse non sit malè accepturus, aut homini vitio versurus, quod præuia humana facultate se gerat contra quàm per se loquendo fas esset. Sicut tametsi nefas sit homini dispensare in diuino præcepto positiuo, per se loquendo; tamen dispensationis in diuino præcepto positiuo per accidens interpositæ, pleraque luculenta exempla habemus in Scripturis, quæ Turrianus supra latè expendit; vt sacrificij ab Elia facti in Carmelo, præter aut potiùs contra literæ legis corticem, quo nefas erat sacrificare extra Hierusalem. Item pugnæ à Mathathia & filiis contra legis corticem susceptæ, in Sabatho. Præterea de panibus propositionis, quos nefas erat laicis comedere: Et tamen Dauid ab Abimelech Sacerdote, eos sibi & suis tametsi laicis accepit, atque comedit illud professus; esse quidem viam pollutam, id est non esse ligitimam per se loquendo comestionem panum sacrorum per laicos; tamen ipsam viam sanctificandam esse in vasis; hoc est vel iis vasis quæ possideri in sanctificatione & honore, abstinendo scilicet vsu coniugij ad tempus ex causa orationis mandat Apostolus; & fuisse à se ac pueris ab heri & nudius tertius possessa in sanctificatione abstinendo mulieribus, dixerat Dauid; ita vt *Sanctificari in vasis*, sit comestionem reddi honestam, ob necessitatem summam corporum alioqui purorum & mundorum. Vel certè professus est Dauid, viam illam ex se pollutam & per se illicitam, sanctificandam esse in vasis, scilicet psalmi, vt alio loco loquitur: hoc est per orationem & verbum Dei; videlicet sumendo in tanta necessitate, cum gratiarum actione, creaturam Dei in eum finem ab eo creatam, vt sit homini subsidio; tametsi seclusa illa graui necessitate, non esset placiturum Deo, panes Sanctos à non Sacerdotibus comedi; ideóque via illa siue actio comedendi polluta in speciem esset; quippè contra corticem legis, sed per accidens honesta, annuente Dei Sacerdote Abimelecho, quia consona intentioni Legislatoris in talibus circunstantiis: quæ est anima & Spiritus legis. Dispensatio ergo quæ in legibus diuinis positiuis homini negaretur, conceditur in quibusdam euentibus, ob mutationem circunstantiarum, & negotij varietatem. Idem igitur potest contingere in quibusdam diuinis præceptis naturalibus, in quibus varietas circunstantiarum, & mutatio adiunctorum, mutat qualitatem materiæ alioqui vetitæ; facitque rigorem legis diuinæ circa materiam

riam

riam qualis præiacebat, ministeriali Vicarij Dei obligationis laxatione, solubilem.

40. Hoc ipsum est, quod Græci Patres tradunt, sub nomine *Oeconomiæ*; fas esse aliqua præstare alioqui futura nefaria: Ex tribus enim vocis *Oeconomiæ*, notionibus quas profert Anast. cap. 2. *Odi. ferè in fine*, secunda ad hunc locum pertinens est; qua fit quippiam quod non oportebat omnino fieri; fit autem per Syncatabasim: quia quis intuitu salutis, atque adeò ex iusta causa, & necessaria, ad aliorum imbecillitatem sese demittit & accommodat. Quali dispensatione vsum esse Paulum cum circuncidit Timotheum, ait Anastasius. Quod si quis tricetur, circuncisionem tunc nondum fuisse mortiferam, quamuis Synagoga esset mortua; recidet in hoc quod dicimus: quia circunstantiæ tunc ferebant, ne circuncisio etiamsi à Christo euacuata obligatione, ad aliquod tempus esset mortifera, vt Synagoga sepeliretur cum honore. Addit Turrianus exempla Græcis æquè ac Latinis probata, vt dispensationis in lege Apostolica de Neophyto in Episcopum non promouendo: quam in S. Cypriano primùm, tum in Thalassio Cæsariensi, Nectario, Tarasio, Nicephoro, Flauiano, ipsóque S. Ambrosio adhibitam constat, ex iusta causa & cessante fine Legis Apostolicæ, vt idem S. Ambrosius epistola 82. ordinationem suam contra calumniatores propugnans, rectè exponit. [illegible] ratio est dispensationis in lege Apostolica de non ordinando viro nisi vnius vxoris; id est de arcendis bigamis, in qua lege S. Innocentius Papa epistola 2. dispensationem esse posse ex iusta causa, vel necessitate agnoscit: quia vbi causa non hæret, vitium non imputatur; vt de sua ordinatione dixit S. Ambrosius. De dispensatione in votis & iuramentis ex iusta & necessaria causa, tametsi iure diuino obligaturis, idem ratum est apud omnes. Et disertè de residentia Pastorum, tametsi diuino naturali ac positiuo iure præscripta, idem habet Athanasius, Patriarcha Constantinopolitanus Epistola de residentia Pastorum ad Imperatorem. Est septima inter eius epistolas de eo argumento tom. 13. Bibl. Colon. intextas. Agnoscit enim ex causa iusta aut necessaria, cum Pastore dispensari posse, vt ad breue tempus aliò excurrat, mox recursurus ad suos celeriter obito negotio quod iustæ & necessariæ successionis copiam fecerat. Similiter ergo in causa pluralitatis beneficiorum, cum iustæ & necessariæ causæ interuenerint quales proposuimus, & per accidens esse monstrauimus; fas erit plura beneficia eidem simul possidenda concedere, etiamsi per se loquendo id foret nefarium, & cum mortali culpa coniunctum. Extra eos autem euentus, non si centum pelles dispensatoriæ obtineantur, tutus erit in conscientia is cum quo dispensatus, vt ait Adamus Gontzon lib. 6. polit. d. 41. *Lege nona.*

Addensatio per accidens licita, duntaxat est Beneficiorum compatibilium.

41. Ratum ergo & fixum manet, quod initio huius capitis statuimus, pluralitatem beneficiorum, quum vnum sufficit, esse per se loquendo illicitam, nec prætextu dispensationis honesta & idonea causa non subnixæ, tutum reddi coram Deo beneficiarium: Sed tantùm, si subsit legitima

dispensandi causa, ac nominatim, si ex vno beneficio non suppetat Clerico integra sustentatio, (ad quam ex beneficio quærendam; habet potestatem; quandoquidem qui altario seruit, potest de altario viuere;) potest velle supplere per comparationem noui beneficij, quod sibi deerat ad sustentationem integram, non relicto priore beneficio. Ad extremum tamen animaduertere oportet, cum dicitur ad supplendam prioris beneficij insufficientiam, concedi adiunctionem noui beneficij vnde Clerico honesta sustentatio suppetat; intelligendum id esse, de beneficio tantùm quod sit cum priore compatibile. Sunt enim quædam beneficia, quæ ne ad supplendam quidem insufficientiam primi, sunt coniungenda, v. g. quia vtraque exigunt residentiam, quæ nequit in duobus locis præstari. Quod maximè cautum est circa Episcopatus, quorum duos, siue in titulum, siue in commendam, siue quomodolibet alter eidem conferri, vetuit Trid. sess. 7. cap. 2. de reform. Quoduis item beneficium curatum, eiusmodi est, vt sit incompatibile cum altero beneficio eiusdem generis vt habetur ex c. *de multa*, de præbend. & in extrau. Ioannis 22. cuius initium est *Execrabilis*; idque maximè in beneficiorum pluralitate improbari, monstrat Cord. l. 1. q. 20. propositione 2.

42. Sed hîc aduertenda est vulgaris distinctio beneficiorum incompatibilium, dimissis tamen innumeris tricis forensibus, in quibus immensus est Garcias de benef. parte 11. capite 5. Quædam ergo dicuntur incompatibilia primi generis, quia obtenta pacifica possessione secundi, & fructuum perceptione non negata, ex cap. *si tibi concesso*, de præbend. primum vacat, excluditúrque ipso iure per aduentum secundi. Talia beneficia sunt duo Episcopatus, duæ dignitates, vel personatus, vel Officia. Cuiusmodi pluralitatem & simultaneam retentionem Ioan. 22. inhabilitate insuper ad sacros ordines, & ad quodcunque beneficium Ecclesiasticum, multauit extrauaganti citata. Incompatibilia quoque primi generis beneficia sunt, duo Canonicatus in eadem Ecclesia; & duæ Sacellaniæ ad eandem functionem concurrentes. Item duæ quæuis præbendæ vniformes, sub eodem tecto, ex cap. *literas*, de concess. præbend. Alia verò beneficia quæ ipso iure non se excludunt, ita vt sequens pacificè possessum inducat eo ipso vacationem prioris; quamuis sine peccato retineri simul non possint, dicuntur incompatibilia secundi generis. Et huiusmodi sunt omnia beneficia residentiam postulantia, demptis iis quæ primi generis esse diximus; hoc est præter curata, dignitates, personatus, & officia, ac beneficia vniformia sub eodem tecto; vt docent Lessius l. de Iust. cap. 34. numero 144. & Nauarrus l. 3. consilio 24. & 29. de præbend. Præter hæc inquam beneficia, nullum est quod pacificè obtentum, inducat ipso iure vacationem prioris, quamuis vt habetur ex Trident sess. 24. cap. 17. de reform. si ambo eiusmodi sint vt residentiam exigant, non possint licitè ambo simul retineri absque dispensatione solius summi Pontificis; nisi sint beneficia quorum vnum tantum sit cum cura animarum aut dignitas, sit tamen tenuis census; alterum verò sit simplex, nec residentiam postulet; itémque nisi ambo sint simplicia, tenuia, & impatia sustentationi beneficiarij; quorum saltem alterum, vel ex sua institutione, vel ex præscripta consuetudine residentiam non exigat.

Tunc

Tunc enim etiam absque dispensatione, haberi possunt ambo simul, quod item de capellaniis ex patrimonio laicorum erectis tradit Vasq. tract. de benef. c. 4. §. 2. art. 1. dub. 10. & Basil. l. 8. de Matr. cap. 12. num. 9.

43. Monstratum igitur sufficienter est, aditionem noui beneficij iam obtento sufficiente, non vacare culpa per se loquendo: eámque beneficiorum cogerendorum cupiditatem, partum ferè esse auaritiæ, aut ambitionis, vel vtriusque, ac proinde declinandum esse. Tantoperè autem ardens in quibusdam Clericus est ea cupiditas, vt monstrosa *Boulimia* videri possit; ei non dissimilis quam S. Hieronymus prodit agente dæmone occupasse miserum iuuenem; cuius stomachus Ventridæmone (vt loquitur Clem. Alex. 2. pædago. cap. 1.) in fumum vertente ac dissipante cibos omnes ingestos, vorattrina erat ita vt quod in multorum sustentationem abundè esse potuisset, ei nihil videretur. Ad eum modum, plerosque beneficiarios, ventridæmon quantacunque beneficiorum deuoratione inexplebilis occupat. Verùm sicut ingluuies ciborum, & copiosior iusto eorum ingestio, corporibus exitiosa est; ita vt iuxta Sapientis effatum, multo plures ciborum nimietate quàm gladio pereant? Ita nimia beneficiorum accumulatio, exitialis est animæ. Nec aliunde magis ea cupiditas in homine attenditur, quàm ex dimissa recogitatione iudicij extremi, in quo exactissimum & seuerissimum examen instituetur de sacris ministris. Quod præclarè omninò prosequitur, & ad vitandam beneficiorum pluralitatem, percommodum esse affirmat S. Bernardus Serm. in Concilio generali. Contestatur enim quod si id recogitarent qui tantoperè inhiant accumulandis beneficiis, non sic in eo negotio feruerent. [Non sic denique quærerent, Præposituras super Archidiaconatus; Non sic sibi vel suis super Thesaurarias peterent Decanatus; nec tam dira libidine miseri gibbum adderent super gibbum; cum ad negandum camelo, regni cœlestis per foramen acus introitum, satis supérque impedire dum potuerit gibbus vnus. Cogitare magis debuerant quod legerunt; *Nolite plures Magistri fieri fratres mei; scientes quod sumatis maius iudicium.*] Hoc considerauit & beneficium pingue quo præhabitum beneficium cumulauerat, vltrò deposuit quidam. Beneficiarius S. Mariæ Oegniacensis amicus, vt est in eius sanctæ mulieris Actis l. 2. cap. 6. Consulens enim sanctam hanc mulierem de eo facto suo, responsum post breues inducias accepit. [Vidisse se monstrante Deo, hominem vestibus albis indutum; ad cursum, expeditum atro insuper pallio indui, & mentis sarcina onerari.] Id quod pertineret intelligens, memor iudiciorum Dei pius beneficiarius, secundò partum beneficium vltrò absque mora dimisit. Quòd beneficiorum congestoribus, consideratum optat Cardinalis de Vitriaco, Vitæ Autor.

SECTIO TERTIA.

De malis bonorum Beneficij Ecclesiastici malè dispensatorum.

1. AVSPICABOR S. Bernardi verbis declamat. in illud, *Ecce nos reliquimus omnia.* [Verùm (inquit,) etsi irreprehensibilis videatur ingressus, & intentio casta, nihilne vltra timendum est?] Etsi inquam aliquis, nec per Simoniam, nec per vllum ex aliis ostiis illicitis supra reseratis, subiuerit beneficium, illudque verè adiuerit ea intentione quæ par fuit; num idcircò euasit omne periculum malorum ex bonis hisce Ecclesiasticis? Minimè sanè. Nam quantumuis iustus & purus fuerit ingressus in beneficium, superest cauendum ingens & multiplex malum, à mala dispensatione bonorum illorum, tametsi rite & sine labe comparatorum. [Quid prodest si Canonicè eligantur quod est per ostium intrare, & non Canonicè viuant?] Ait apud eundem Bernardum Autor Sermonis ad Concilium Rhemense. Hoc ergo considerandum superest quoad bonorum erogationem. Restringendus autem est sermo, ad bona beneficij Ecclesiastici nomine obuenientia; quia institutum præsens non fert, vt excurramus ad alia bona, siue Ecclesiæ, de quibus altero libro, siue Ecclesiasticorum distincta à bonis titulo beneficij obuenientibus. Præter hæc enim bona Ecclesiasticorum, dantur alia & patrimonialia, & quasi patrimonialia, quæ ab iisdem Ecclesiasticis possidentur, vt Abul. notauit in cap. 6. Matth. q 74. & 75. *Patrimonialia* vocantur, quæ spectant ad Clericos aliqua ratione ipsis & laicis communi, vt hæreditate, donatione, opificio, contractu. *Quasi patrimonialia*, iuxta Nauarrum tract. de redit Eccles. q. 1. monito 19. dicuntur, quæ à Clericis comparantur titulo ministerij alicuius sacri; non quod sit connexum beneficio, sed quod habeat rationem mercenarij operis. Qua ratione stipendia Missarum, & quæ rependuntur ob munus Vicarij, aut Sacellani temporarij; item ob auditionem confessionum, concionem, cantum in sacris, & similia dicuntur quasi patrimonialia bona Ecclesiasticorum. Et talia etiam sunt, quæ à Pontifice, vel ab Episcopo alicui dantur ad honestam sustentationem. Hoc igitur loco, de solis Ecclesiastici beneficij redditibus agendum est, ad eos arctandus erit sermo; quoties hîc indefinitè de bonis Ecclesiasticis malè dispensatis disputabitur. De patrimonialibus enim beneficiarij bonis, liberrimam illi esse æquè ac laico dispensationem & erogationem nemo dubitat. Et æquari iisdem quoad hæc, bona quasi patrimonialia rectè statuit loco allegato Nauarrus, rursusque monito 30. *in fine*, & Corduba l. 1. q. 18. ac Lessius l. 2. c. 4. n. 37. Itaque sistendum est in beneficiorum prouentibus.

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

Præsuppositio fundamentaria; Quod sit ius Beneficiarij in Beneficij sui censum.

1. ET liceat de culpæ genere & qualitate in mala dispensatione census Ecclesiastici aliquid statuere, ordiendum eo à iure quo beneficiarius potitur circa censum prædictum. Permagni enim interest, saltem ad iniiciendam vel eximendam restitutionis obligationem, cognoscere an redditus beneficij subsint vero & propriè dicto Domino beneficiarij secularis. De hoc enim duntaxat ago. Nam beneficiarium Regularem, v. g. Episcopum ex religiosa familia assumptum, non esse Dominum redditum sui beneficij, sed meram eorum administrationem obtinere absque dominio, censeo verissimum cum Nauarro tract. de reddit. Eccles. q. 1. monit. 11. Sanchez l. 6. in Decalo. c. 6. num. 8. Alphonso de Castro v. *votum*, ad quartum Lutheri. Castro Pal. disp. 2. de Charitate puncto 8. Ægidio disp. 27. de actibus supernat. à num. 201. Bannesio 2. 2. q. 32. art. 6. dub. vlt. concl. 7. & c. 41. num, 92. Valentia 2. 2. d. 10. q. 3. p. 8. Lessio l. de Iust. c. 40. num. 113. Suaresio tract. 8. de relig libro 3. cap. 16. à num. 6. & cum innumeris aliis, cum Theologis, tum Iurisperitis, quos Sanchez supra addensat. Tametsi graues nonnulli autores, inter quos Soto l. 7. de Iust. q. 4. art. 2. ad vlt. & l. 10. quæst. 5. art. 6. & Vasq. 1. 2. d. 165. num. 91. & 104. contrarium senserint quoad Episcopos Regulares. Sed cum nemo neget eos perseuerare religiosos, & ligari votis quoad omnia quæ non obstant executioni muneris Episcopalis, (cuiusmodi certè non est abdicatio dominij saluo iure liberæ administrationis redditum Ecclesiasticorum in quoscunque vsus decentes;) fatendum est, Episcopos quoque cum assumuntur è religiôsis familiis, carere dominio redditum Episcopatus. Idque Nauarrus, Francus, Aragon, quos refert & sequitur Sanches supra n. 9. statuunt æquè dicendum esse de Religioso euecto in summum Pontificem. Itaque restringamus disputationem ad beneficiarium secularem.

Prima sententia, prorsus negans Beneficiario, dominium census Beneficij.

2. DE eo tres occurrunt sententiæ. Prima asserit, beneficiarium secularem qui aliquos è beneficio suo fructus colligit, verum illorum dominium consequi, nec posse liberè de eis disponere, vt de re planè sua: sed tantùm esse dispensatorem talium bonorum; ita vt præter honestam sustentationem ex arcta iustitiæ obligatione astringatur nihil inde sibi aut aliis sumere; sed tantùm ea valeat impendere in opera pia; idque ni faciat, tam ipse, quàm qui ab eis accipiunt, teneantur ad restitutionem. Ita tradit Gratianus c. *nulli*, §. *si ergo*. 12. q. 1. & cap. *Episcopus* §. *quia ergo*. 14. q. 1. Archidiaco. ad c. *Episcopi*,

de rebus versic. *de frugibus*, 12.q.1.& cap. *assessorem*, num. 13. de rescrip. in 6. vbi contrariam sententiam vocat *in iure hæreticam*, quod premens Nauarrus tract. de redditibus Ecclesiasticis, existimat esse ex fide certum, beneficiarios non esse dominos reddituum beneficij. Pugnacissimè item pro ea sententia contendit, & contrariam seuerissimè notat Comitolus 1. resp. q.70. Absolutè autem, & vt opinionem duntaxat longè veriorem, eam sententiam amplectuntur Aluarus Pelag.l.2. de planctu Eccles.artic.28. *litera I.* qui innumera loca Iuris Canonici in hanc sententiam addensat; & Valdensis t.1.l.4.c.43. ac Maior. in 4. d. 24. q. 16. & 17. & Turrianus Epistola prolixa de redditibus Ecclesiasticis, quam Nauarrus prædicto suo operi texuit. Quinetiam Lessius l. de Iust. cap. 4. num.42. hanc sententiam, tanquam tutiorem, esse in praxi amplectendam & consulendam pronunciat. Propendet quoque in eam Azor.t.2.lib. 12. c. 12. Ad triginta quatuor Autores pro hac sententia; allegat [Marsil. Columna in op. de orig. & iure reddituum Eccles. p. 3. cap. 34. Disertissimè in ea est Petrus Blesensis episto.20. vbi agens de profusionibus Episcopi Carnotensis; Non militibus (inquit) sed pauperibus, erogare tenetur patrimonium Crucifixi, cuius ipse non dominus, sed tutor est, vt misereatur & commodet ad vsus egentium, tanquam Testamentarius dispensator.] Idem tradit Isidorus Pelusiota lib.5.epist.21. & 79.

3. Accedit ratio, quia bona quæ ex beneficiis percipiuntur, sunt sacra; nec alio fine dantur beneficiariis, nisi vt inde sustententur, iuxta gradum suum. Vnde plerique Canones damnant sacrilegij & rapinæ Clericos illos, qui supra sustentationem aliquid è redditibus Ecclesiasticis retinent aut vsurpant. Congerit huiusmodi loca Achilles Statius epistola ad Nauarrum, adducta ab ipso Nauarro ibidem, *ad calcem quæstionis tertiæ.* Nihil verò horribilius, quàm quod apud S. Hieronymum epistola 2. in eam sententiam legitur. [Amico quippiam rapere furtum est, Ecclesiam fraudare sacrilegium est; accepisse quod pauperibus erogandum sit; & esurientibus plurimis vel cautum esse, vel timidum, aut quod apertissimi sceleris est aliquid inde subtrahere, omnium prædonum crudelitatem superat.] Saltem verò longè certiùs id esse debebit, de iis beneficiis quibus immista est portio quædam debita pauperibus & fabricæ. Quomodò enim eius Dominus statuetur beneficiarius?

Sententia secunda dominium illud agnoscens, sed granatum obligatione iustitiæ, ad erogandum superflua in vsus pios.

4. SEcunda sententia asserit, beneficiarios ita esse dominos fructuum sui beneficij, vt tamen dominium illud non acquirant, nisi cum onere & obligatione ex iustitia pendendi pauperibus, aut insumendi in pia opera, quod eis superetit. Qua ratione philosophandum necessariò est de portione addicta pauperibus, quæ admista fuerit portioni Clericali; cum de ea admistione liquet. Nec aliter philosophandum de eo qui accepit beneficium onere soluendæ pensionis. Est enim Dominus omnium beneficij fructuum; & tamen ex iustitia tenetur partem alteri assignatam illi præbere; quia dominium quod acquisiuit, est grauatum eo onere. Hanc sententiam facilè admitterent Nauarrus, & alij.

alij pro prima sententia adducti: quia æquè conduceret ad scopum quem habent propositum; nempè frænandi beneficiarios, ne sibi superflua prodigant; quod æquè assequi licet, vel negando absolutè dominium, vel non concedendo nisi onere restitutionis grauatum, vt contingit in variis exemplis quæ addensat Marsil. Columna in opere de orig. & iure redditùum, parte 3.c.21.à n.4.v.g. dotis cuius maritus fit dominus, sed cum onere eam restituendi in variis euentibus, vt tradunt, Doctores l. *si cum dotem*, ff *soluto matrimo.* Idem cernitur in fideicommissario ex l. *non ideo minus* ff. *de rei vendic.* Similiter senos sub conditione legatos, hæredis esse conditione pendente; quamuis postea desinant hæredis esse; traditur l.1.ff. *ad Syllan* Idem cernitur in pacto legis commissoriæ, quo emptor effectus Dominus tenetur restituere ex l. 3. ff. *de contrah. empt.* Videtur ergo idem posse statui redditibus beneficiariorum.

5. Fundamentum huius sententiæ sic expositæ, duci potest ex eo quod verisimillimum videatur; fundatores beneficiorum ea mēte contulisse suas facultates ad beneficij erectionem; primùm vt inde sacri ministri sustentarentur. Deinde vt de superfluo sumptus illis in varia pia opera suppeterent; & ita habetur ex sancto Ambrosio 2. offic. c. 16 sic compellante sacrum ministrum. [Quo plus te operari, id est beneficum in calamitosos esse viderit populus, magis diliget. Scio plerosque sacerdotes, quo plus cōtulerunt, plus abundasse: quoniam quicunque bonum operarium videt, ipsi confert, quod ille suo officio dispenset; securus quòd ad paupertatem sua perueniat misericordia. Nemo enim vult, nisi pauperi proficere suam collationem. Nam si quem aut immoderatum, aut nimis tenacē dispensatorem viderit, vtrumque despicit; si aut superfluis erogationibus dissipet alieni fructus laboris, aut recondat sacculis.] Quis verò credat, primos fundatores, (& idem est de aliis benefactoribus insignibus qui fundationes auxerunt & locupletarunt,) voluisse saginare beneficiarios, & occasionem exitij, ac sementem scandalorum illis præbere; & non potiùs habuisse propositum, vt omnia illa quæ Deo in sacrorum ministrorum vsum consecrabant cederent in cultum Dei, & in eum finem dispensarentur à beneficiariis? Stultè profectò sua prodegissent, & pessimè beneficiariis consuluissent, fundando vel ditando aliâ mente beneficia. Quare vt ab hominibus de Dei Ecclesia & posteritate benemeritis, tetras illas notas amoliamur, censendi sunt se gessisse vt diximus; eumque animum Ecclesiæ moderatoribus & primis beneficiariis patefecisse; idque ab istis acceptatum esse, tanquam valdè honestum & pium. Ea autem voluntate & eius acceptatione supposita, dominium fructuum non acquiritur à beneficiariis, nisi cum onere illo quod diximus. Videtur fuisse in hac sententia Vlricus in summa, adductus à Carthusiano lib. de plural. benefic. artic. 11. Idem significat Reginaldus l. 30. tract. 3. num. 78. Nauarrus quoque præterquàm quòd contendit beneficiarios non esse redituum beneficij dominos; addit hos reditus quomodocunque dentur beneficiariis, non dari nisi sub hoc onere quod probat septemdecim rationibus q. 1. monito 21. 22. 23. Confirmatque monito 42. Idem tradunt Palud. in 4.d. 24 q.3. art. vltimo. S. Antoninus 3.p.tit.15.cap.1.§.19. Caiet. 2.2.q.87.art. 3. & Corduba l. 1. quæst. 18. propositione 2. versic. *Item secundo*, Binsfeldius in Enchir. 4. p. c.13. concl.11. Ioannes Machærentinus ad 2. Saluiani de Ecclesf.c.13.annot.7.

Vera sententia, idem dominium agnoscens, nullo iustitiæ onere grauatum.

6. Tertia tamen sententia, quæ dominium redituum Ecclesiasticorum nullomodo ex iustitia grauatum, penes beneficiarios seculares statuit, est nunc cōmunissima. Fuit in ea sine dubio S. Thomas quodl. 6. art. 12. ad 3. vt latissimè versat Columna mox adducendus, toto c. 37. Sequuntur Ocham in opere. 90. dierum cap. 2. Gabriel (tametsi nonnihil anceps) in 4. d. 15. q. 8. concl. 5, Soto l. 10. de Iust. q. 4. artic. 3. c. Couarr. *cum in offic*, de Testam. n. 3. Sarmiento de reditibus 4. p. c. 1. & seqq. Columna Tract. de Orig. redit. Eccles. parte 3. cap. 26. Driedo l. 2. de lib. Christ. c. 4. Mol. tr. 2. de Iust. d. 143. Bannes 2. 2. q. 32. art. 6. dubio vltimo Corduba l. 1. q. 18. Val. 2. d. 11. q. 3. p. 7. Lorca d. 40. de Char. num. 23. Vasq. tract. de reditibus Ecclesiasticis c. 1. num. 27. A Sancto Fausto l. 3. de hor. Cano. 496. Less. de Iust. cap 4. n. 43. Ægid. d. 27. de actibus supernat. n. 185. Castro disp. 2. de Charit. p. 6. Traditur haud obscurè hæc sententia c. vnico de Clericis non resident in 6. vbi statuitur, vt Clerici absque legitima causa officium deserentes, non acquirant distributionum dominium, nec faciant eas suas. Eodem modo videtur hanc sententiam insinuasse Conc. Trid. sess. 22. c. 3. de reform. & sess. 23. c. 1. de reform. vbi beneficiarii si muneri suo desint, dicuntur non facere fructus suos, nec eorum dominium acquirere. Quod item sanxerat Conc. Later. sub Leone X. sess. 9. Igitur si beneficiarij officio fungantur, acquirunt dominium fructuum illorum; & (quod eodem recidit,) eos faciunt suos, de Concilij vtriusque sententia: quæ quoad id quod negat, beneficiariis officio non fungentibus dominium fructuum, nihil continet nisi roborationem iuris naturæ, quo cauetur ne operarius, nisi laboret, non statuat sub dominio suo stipendium quod pro labore rependitur, qua de re sequenti capite plura. Quod verò ex hoc pronunciato negatiuo vtriusque illius Concilij, inferimus contrarium pronuntiatum affirmatiuum, quoad beneficiarios munere suo benè fungentes; manifestum est argumentando à priuatione dominij, non his sed illis facta. Itaque mens vtriusque illius Concilij, videtur perspicua. Ac proinde sententia proposita, non modò liberatur tetra illa nota erroris in fide, quam ei inurebat Nauarrus, sed etiam ab autoritate satis communita videri debet.

Origo attributi Beneficiariis census Ecclesiastici aperitur, ad eius dominium illis vendicandum, contra primam sententiam.

7. Vt eandem sententiam ratione stabiliamus, obseruanda est origo prima institutionis beneficiariorum Ecclesiasticorum, & eius causa. In quam rem Gratianus causa 12. variis qq. & capitibus, multipliciter monstrat, Clericos initio (maxima saltem ex parte,) vixisse in communi, nihil habentes peculiare, vti nunc faciunt Canonici regulares qui verè illud nonomen præferunt: Per manus autem idoneorum dispensatorum ab Episcopis delectorum, accepisse quæ necessaria erant ad propriam sustentationem. Idémque in pauperes erogabant quod erogandum ex Ecclesiastico censu erat, tam copiosè

copiosè, vt Sanctus Chrysostomus homil. 67. in Matth. castigans diuites auaros, dicat. [Sed vt apertissimam inhumanitatem eorum videas, vnius diuitis, nec valdè locupletis, hæc Ecclesia fructus colligens, cogita tecum quot viduis, quot virginibus quotidie succurrat. Iam enim numerus eorum in catalogo adscriptus, ad tria millia peruenit: & prætereà multis, qui carceres habitant auxiliatur, multis in hospitali laborantibus, multis aduenis, multis leprosis, omnibus qui altari assistunt cibaria & indumenta præbet, multis etiam, qui quotidie ad petendum accedunt; nec tamen Ecclesiæ opes, idcircò diminutæ sunt.] Huc pertinuisse *opitulationes*, de quibus meminit Apostolus, prosequitur latè Mich. Medina l.7. de recta in Deum fide, cap. 21.

8. Ex iisdem iuribus patet, dispensatores illos, quos dicebam collegisse sumptus ad prædictos effectus, cum ex oblatis sponte per fideles & in vnam massam congestis, tum ex decimis, ac etiam ex fructibus prædiorum quæ Ecclesiæ dari solita, simul cum aliis plerisque constat ex Concilio I. Aurelianensi sub Clodouæo c.17. vbi enumerantur data Ecclesiis prædia, vineæ, mancipia atque pecülia, necnon vt ibid. c.7. additur, obligationes, quæ vt ex textu colligitur, aliud non erant quàm iuxta quædam super agris aut immobilibus aliis, ad pensitandum Ecclesiæ certum annuum censum. Et quidem initio, immobilia quæ dabantur Ecclesiis, vendi moris erat; (Quod de Romana Ecclesia (vtique tantùm cum æstus persecutionum duraret;) tradit Theodorus Lector, ad calcem Collectaneorum. Imò vt plurimum non dabantur Ecclesiæ immobilia ipsa, sed eorum priùs diuenditorum pretium: quo spectat querela Præfecti Ethnici apud Prudentium hymno 2. peristeph qui est de Sancto Laurentio *sub initium*.

Tum summa cura est fratribus
(Vt sermo testatur loquax)
Offerre fundis venditis
Sextertiorum millia.
Addicta auorum prædia
Fœdis sub auctionibus
Successor cohæres gemit
Sanctis egens parentibus.
Hæc occuluntur abditis
Ecclesiarum in angulis
Et summa pietas creditur
Nudare dulces liberos.

Eadem praxis offerendi pretium ad Apostolorum pedes, habetur ex cap. 5. Actorum. Vt tamen tradit Vrbanus Papa cap. *videntes*, 12.q.1. rectè postea satius visum est Ecclesiæ moderatoribus, non vendere immobilia, eo quod pretium mox dilaberetur. Saniore igitur consilio, & Ecclesiæ longè commodiore, cum primùm per turbines persecutionum discussos, & pacem Christianis concessam licuit, prædia & huiusmodi immobilia, asseruata sunt: quod benè multis exemplis confirmat Demochares l.3. de sacrif. cap. 23. & de Rhemensi aliisque Ecclesiis monstrat Flodoardus l.1. hist. cap. 14. cœptumque id esse sub

annum Christi 224 ac Vrbano Papa, scribit in eius vita Onuphrius, & ex eo Marsil. Columna parte 1. operis de orig. & iure redit. Eccles. c. 3. n. 6. Idque factum, vt suppeterent Ecclesiæ sumptus ad fines, qui c. 7 Concilij primi Aurelianensis enumerantur; suntque hi quatuor; reparationes Ecclesiarum, alimoniæ Sacerdotum, pauperum refectiones, redemptiones captiuorum. In hæc quatuor capita partitum esse S. Adalbertum Pragensem, redditus sui Episcoptaus, habent eius Acta. Luculenter idem traditum est, his verbis in Concilio Aquisgranensi sub Ludouico Pio cap. 116. [Res Ecclesiæ, sicut à sanctis Patribus traditur, & in superioribus capitulis continetur, vota sint fidelium pretio peccatorum, & patrocinia pauperum. Fideles namque, fidei ardore & Christi amore succensi ob animarum suarum remedium, & cælestis patriæ desiderium, suis propriis facultatibus, sanctam locupletem fecerunt Ecclesiam; vt his & milites Christi exornarentur, pauperes recrearentur, & captiui pro temporum opportunitate redimerentur.]

9. Vides quas Episcopi Gallicani dixerant *reparationes Ecclesiarum*, hîc dici *exornationes*. In nonnullis verò aliis Synodis, vt in Romana sub Symmacho, idẽ caput siue reparandæ, siue exornandæ Ecclesiæ, denotatur nomine *fabricæ*. Et eodem referendi sunt omnes sumptus qui faciendi erant ad diuinum cultum, vt Molina bene notauit tract. 2 de iust. disp. 144. Sicut etiam nomine *cura pauperum*, non est dubium comprehensa fuisse opera quælibet pia, & impensas. V. G. factas in ægros, aut nubiles puellas collocandas. Ac denique nomine *Sacerdotum*, ipse in primis Episcopus qui æquè ac cœteri de altario & communibus sumptibus viuebat, intelligendus est. Et erat sanè hic modus seruiendi Deo longè optimus; Ex Augustino. serm. de communi vita Clericorum: cúmque hodie exhibent regulares qui ex redditibus cœnobiorum, siue sint recèns comparati, siue sint beneficia iam olim conflata & cœnobiis vnita, nihil sibi, nihil Abbati decerpunt; sed omnia in commune cedunt, & diuiditur inde vnicuique pro vt opus habet.

10. Verùm multiplicatis procedente tempore Sacerdotibus, & intepescente in illis feruore perfectionis, prædictam bonorum communitatem magna incommoda sunt consecuta, iis non disparia quæ Doctores euentura meditantur, si omnia fortunæ bona essent communia. Quare ab ea sensim discessum est; & quod circa nonnullos iustè impeditos à communi vita primùm inualuit, vt mẽsurnam diuisionem ex Cypriano epistola 78. & 34. acciperent, vel sportulas, vt idem habet epistola 66. (vbi latè Pamelius num. 100.) ad plurimos traductum. Sed id quoque breui mutatum oportuit, ob segnitiem Præfectorum nonnullorum in curandis bonis communibus præter difficultates varias ex querelis aduersùs dispensatores, & Antistites, qui dispensatoribus quantitatem & modulum dispensandi præscribebant. Itaque necessariò deueniendum fuit ad bonorum frugiferorũ & prouentuum diuisionem, in totidem partes, quot fines paulò ante recensuimus: vt videre est cap. *mos* 12.q. 2. & ibid. cap. *de reditibus*, vbi quatuor illarum portionum, prima Episcopo, secunda fabricæ, tertia pauperibus, quarta Clerecis adiudicatur. Aliquando tamen portio Episcopi & Clericorum, numeratur vt vna, subdiuidenda deinde in duas; & loco quartæ, portio captiuorum assignatur, quæ alibi sub portione pauperum vniuersè accepta com-

comprehenditur. Et fuit sanè magni semper momenti habita, redemptio captiuorum, & dignissima visa, in quam facultates Ecclesiæ erogarentur. [Summa etiam liberalitas, (inquit S. Ambrosius de offic. cap. 15.) captiuos redimere, eripere ex hostium manibus, subtrahere neci homines, & maxime fœminas turpitudini, reddere parentibus liberos, parentes liberis, ciues patriæ restituere. Nota sunt hæc nimis Illyrici vastitate, & Thraciæ, quanti vbique venales erant toto captiui orbe: quos si reuoces, vnius prouinciæ numerum explere possit. Fuerunt tamen qui etiam quos Ecclesiæ redemerunt, in seruitutem reuocare vellent ipsa grauiores captiuitate, qui inuiderent alienam misericordiam. Ipsi si in captiuitatem venissent, seruirent liberi: si venditi fuissent, seruitutis ministerium non recusarent: & volunt alienam libertatem rescindere, qui suam seruitutem non possent rescindere, nisi fortè pretium recipere emptori placeret: in quo tamen non rescinditur seruitus sed redimitur. Præcipua est igitur liberalitas redimere captiuos, & maximè ab hoste barbaro, qui nihil deferat humanitatis ad misericordiam, nisi quod auaritia reseruauerit ad redemptionem.] Ideò sanctissimi Antistites in eum finem etiam vasa sacra distrahere non dubitauerunt, vt dixi, cum de sacrilegio mobilium sacrorum.

11. Ea ergo pars quæ sustentationi Sacerdotum deputabatur, diuidenda fuit secundùm proportionem Geometricam, habita scilicet ratione gradus & laborum in vtilitatem Ecclesiæ exantlatorum. Quare Episcopo, certa prædia vnde sibi sustentationem decerperet sunt assignata; alteri deinceps Episcopo cessura: & aliis similiter Ministris pro rata dignitatis & laborum, ex eadem portione bonorum, aliqua pars assignata est, ex qua ipsi, & eorum in illo munere successores se sustentarent. Factum id primùm sub Symmacho Papa qui anno 500. sedebat, scribit Baro. anno 502. Idem tamen anno 324. sub Syluestro iam inductum fuisse morem illum tradiderat. Nec dubium est, quin vsus ille iam ante Symmachum viguerit sub simplicio Papa, qui annis aliquot Symmachum antecessit. Simplici quippè decretum in eam rem extat cap. *de redditibus*, 12. quæst. 2. & anteriùs quoque rem reuocat Suares l. de Simonia cap 24. num. 1.

12. His portionis illius Sacerdotalis particulis sic distributis, nomen *beneficiorum* est inditum: de cuius vocis primo vsu atque origine, latè Nicolaus Mæstræus 2. p. operis de bonis Ecclesiarum l. 1. cap. 8. Hoc nomen primum legi in Concilio Moguntino sub Carolo Magno celebrato cap. 1. *de Eccles. ædificandis*, scribit Suares supra. Apud Autorem quidem sermonum ad fratres in Eremo in 37. vox *Beneficij*, hoc ipso sensu vsurpata legitur. Sed autor illorum sermonum non est S. Augustinus. Et quamuis citetur in Concilio Aquisgratensis sub Ludouico Pio, tamen non constat autorem illum antecessisse Carolum Magnum Ludouici patrem. Nec placet distorta significatio huius vocis quam adinuenit Autor nuperus, in querela Gallicanæ Ecclesiæ, agens de sacrilegio laico sub Carolo Magno Existimat enim nomen *beneficij*, primò tunc auditum, pertinuisse duntaxat ad prædia Ecclesiastica laicis à Rege in præmium rei benè gestæ beneficè collata: indéque nomen illud, sub hodierna notione ad quoscunque beneficiarios manasse. Hoc non puto verum. Quin potiùs nomen *beneficij*, ad concessa sacrilegè laicis illis prædia extensum esse ad

bitror : quia cum essent præmia & beneficia Sacerdotum, translatione ad laicos facta, nomem primùm, vt sæpè aliàs accidit, retinuerant. An enim Ecclesia, profanum & sacrilegum nomen, iustis & sanctis sacrorum hominum stipendiis, accommodare voluisset? Quin potiùs Ecclesia, tale *beneficij* genus habuit pro maleficio, vt ferunt illa ex autore vitæ. Sancti Gothardi Hildesemensis, cum meminit iurgiorum inter Ludouicum Pium & eius liberos. [Ea tempestate complures spoliabantur Ecclesiæ, monasteria vastabantur, atque in his etiam Altahense, cuius possessiones, fidelibus ei collatæ; militantibus pro voluntate eorum qui sic debacchabantur, *beneficij*, imò verò *maleficij*, nomine attribuebantur.] Eo sensu apud Flodoardum l. 3. histor. Eccles. Rhem. c. 4. Carolus Caluus præmissis magnis excusationibus facti alioqui illiciti, sed ex necessitate admissi, iubet restitui quæcunque ipse *beneficiasset*, suis fidelibus. Quod mox interpretatur, *quicquid alicui è bonis illius Ecclesiæ præstito beneficio concessisset.* Talem ergo beneficiationem, & talia beneficia, agnoscit sordere: ac proinde Ecclesia, spurcam vocem pro honesta sacrorum ministrorum compensatione non vsurpasset; vt placuit Autori cum quo agimus. Quod autem idem Autor addit, Carolum Magnum res Ecclesiæ sic transcripsisse in laicos, quia potiebatur iure præsentandi & nominandi ad beneficia Ecclesiastica concesso ab Adriano primo, parum consideratè dictum est. Nam quidquid sit an verè Carolus Magnus iure illo nominandi sit potitus, & an indultum Adriani relatum dist. 63. cap. 2. germanum sit, an suppositicium (de quo superiùs :) tamen certum est ius præsentandi & nominandi, non spectare laicos, vt subiecta quibus beneficia per præsentationem & nominationem applicentur, sed solos Ecclesiasticos.

13. Quare sine dubio, Ecclesia illam sacrorum fundorum atque bonorum ad laicos transfusionem, minimè probauit; nec inde duxit vel ratum habuit nomen *beneficij*, ductum à benefica compensatione militum vel ducum facta è bonis Ecclesiasticis per secularem Principem. Sed quod Ecclesia ipsa, tali beneficio suos ministros benè laborantes afficeret; inde petitum est *beneficij*, nomen. Alibi, consentaneè ad Apostolum, qui Presbyterum benè curantem sibi commissos, duplici honore dignum dixit, vocatur *honor*, aut multitudinis numero *honores*. Sic Rothaldus Suessionensis in appellatione ad Nicolaum Papam, testatur sibi oblatos honores. Quod ipsemet de Abbatia interpretatur. Similiter Rheginus anno 905. *honores* appellat, prædia Abbatiarum. Id quod æquè videre est in Flodoardi Chronico anno 940. Id nomen vt videtur petitum est à stipendio honorario, cuiusmodi datur medico & præceptori, aduersùs quos mercede non defungimur, vt loquitur Seneca l. 6. de bebenef. cap. 16. quia nos non ante quàm vendant obligant, sed benigna & familiari voluntate. Vnde Diuus Augustinus epistola 54. mercedem operari, contra distinguit honori medici: quo item nomine, medici stipendium designauit Petrus Chrysol. serm. 35. & clarè Ecclesiasticus cap. 38. vbi in Græco habetur, *honora medicum suis honoribus*, id est, *pende illi stipendium debitum.* Quod ergo Ecclesiastica beneficia sint stipendia Ministrorum, meritò donari potuerunt *honoris* vel *honorum* nomine.

14. Hu

14. Huiusmod porrò institutionem beneficiarium siue honorum,presbyteris & aliis ministris benè laborantibus pendendorum, honestam & labe vacantem esse potuisse,nemo non videt. Supposita enim tepiditate sacrorum ministrorum, quam procedente tempore prorsus præcludi humana fragilitas non tulit;impossibile fuit aliter prouidere diuino cultui & sacris ministeriis Siquidem Ecclesia neminem poterat adigere,vt sacris ministeriis se addiceret, victurus in communi, vel sportulis annuis, aut diuisionibus mensurnis è bonis immobilibus, aut iuribus per alios administratis, vt primùm à nonnullis factum vidimus. Quare ne ministris alioqui idoneis destitueretur, & vt magis incederentur ad comparandas habilitates, quibus fructuosè ministrarent fidelibus, suam cuique administrandam & fruendam partem iurium aut immobilium bonorum concessit, in præmium & stipendium iustum laborum ex pacto prærio susceptorum; quæ pars iis defunctis, ad successores in eo munere æquè esset transferenda,& per eos similiter administranda,ac vsibus suis applicanda, ita vt de illis fructibus tanqnam de re sua possent disponere in ordine ad suam sustentationem. Id verò supposita Charitatis primæ & feruoris remissione,valdè æquum fuisse; omni labe vacasse, perspicuum videtur. Quid enim non iustum ea in re notari potest? Nam si redditionem & persolutionem stipendij consideremus, manifestum est eam deberi operanti iuxta illud, *dignus est operarius mercede sua.* Apostolus quoque 1.Cor.9.ministrantem Euangelio, agnoscit iustè & sine culpa viuere de Euangelio: qua voce planè intelligit sustentationem acceptam à ministro,& ipsi concreditam,vt de ea disponeret. Sicut ibid.ait,Iudeos in Sacrario operantes, & altario deseruientes, inde accepisse sustentationem parte aliqua sacræ annonæ illis adiudicata, vt disponerent de ea in talem finem. Quid vero est quod creditus Prosper l. 2. de vita contempl. c. 14. de Euangelio viuere,in eo Apostol loco, idem sonare vult,atque viuere in communi, nihil habendo proprium?Abhorret planè is sensus ab Apostolo, vt contrapositione Leuitarum viuentiumde sacrario & altario, non sanè in communi. Neque verò vllus Patrum,aut Interpretum,ei expositioni Prosperi est suffragatus.

Verum census beneficij dominium, Beneficiario asseritur, contra primam sententiam

15. EX his cõfirmata manet idonea ratione,tertia sententia proposita,quantum attinet ad cõparationem dominij fructuũ per beneficiarios,in quo differt à prima sententia. Sacri enim ministri quibus adiudicatæ sunt particulæ illæ vnius è partibus quatuor bonorum Ecclesiasticorum, eas habent titulo Iustitiæ: quia assignatæ illis sunt pro sustentatione inde petenda, atque adeo tenent locum stipendij iusti, quod cedere dominio personæ operantis nullo voto paupertatis illigatę,nihil esse potest quod prohibeat. Sicut quod dabatur Leuitis & Sacerdotibus antiquis ob ministerium in sacrario & altario, (quos hac in parte ministris Euangelicis æquiparauit Apostolus,) transibat in eorum dominium. Nec tantùm transire potuisse,sed reuera transisse hoc stipendium & beneficij fructus in dominium beneficiarij Christiani voto liberi, ex ea æquiparatione Apostoli constare videtur. Quid quod iidem beneficiarij, liberè & longè aliter quàm Canonici regulares de rebus vsui suo concessis, disponunt de fru-

ctibus prædictis intra finē constitutum:hoc est quantum sustentatio decens po stulat,cuius ambitu etiam donationes aliquæ & venditiones continentur,vt postea videbimus.Hoc autem indicium est dominij.

Fatendum ergo est,beneficiarios esse dominos fructuū sui beneficij.Et sanè nisi id concedatur,dicendum erit, omne furtum ex huiusmodi fructibus esse sacrilegium, quia est furtum rei sacræ:quod non posse in contraria sententia negari,notauit Suares l. 4. defens.c. 23.n. 8. Certum tamen est,id esse contra sensum omnium. Nemo quippè tale furtum censet sacrilegum ex eo solùm capite quòd sit rei inter fructus beneficij computatæ,& idcircò ad immediatum Dei dominium pertinentis.Ex autoribus quidem nostræ sententiæ,Lorca d.40.de Charit. n.35.tale furtum vult esse sacrilegium, quia est rei sacræ subductio. Sed est sententia singularis, nec eius fundamentum est solidum. Non enim reditus, sunt sacri.

Nullum esse tali dominio annexum onus iustitiæ, contra secundam sententiam.

6. QVod verò Beneficiarij fructuum beneficij verum dominium comparent, absque vllo iustitiæ onere ad expendenda in vsus pios,quæ sustentationi suæ supererunt,in quo hæc tertia sententia in qua versamur,discrepat à secunda superiùs proposita; non difficile est euincere. Vel enim idjonus esset iniectum à fundatoribus, vel ab Ecclesia. Atqui neutrum est verum. Non à beneficiorum fundatoribus. Vnde namque id hebetur? Certè nullo iure scripto proditum est fundatores huiusmodi pactum cum Ecclesia vel ministris iniuisse, vt isti ex iustitia obligarentur abdicare à se quæcunque vltra honestam sustentationem, superessent è beneficij fructibus. Quinimò suppetunt in contrarium benè multæ coniecturæ,quas fusè prosequitur Lorca 2.2. sect.3. d. 40. à num 26. Verisimile enim est, fideles bona sua in beneficiorum fundationem conferentes, voluisse maiestati & vbertati sacrorum ministrorum potiùs seruire, quàm sordidè cum eis agere,paciscendo de erogatione superfluorum facienda ex iustitia.Esto verò in eum finem dederint suas facultates; ac etiam sperauerint, ministros quæ illis superessent insumpturos piè & honestè; verisimile tamen non est,quod eos onerare voluerint obligatione iustitiæ incerta,& absque determinata regula; cum ex parte pauperum, quorum necessitates non sunt statæ, tum ex parte ministrorum,qui in definiendis præcisè sibi necessariis, iusto arctiùs angerentur & premerentur, & in perpetua iniustitiarum grauium anxietate statuerentur.Quod argumentum persuadet,etiamsi mens fundatorum talis fuisset,vt non nisi cum eo onere vellent sua bonna conferre in fundationem beneficiorum; tamen Ecclesiam non admissuram huiusmodi conditionem ministris sacris nimium grauem & indecoram, quandoquidem fideles de eorum pietate & charitate diffisi, vellent eos astringere ad pactum ex graui iustitiæ obligatione seruandum, de superfluis à se abdicandis; malè persuasi ministros nihil tale facturos nisi sic alligarentur, quod esset illis planè probrosum, & proinde meritò ab Ecclesia non esset admissum. Vnde habetur quod secundo loco assumptum erat, de hoc iustitiæ onere iniecto beneficiariis per Ecclesiam. Itaque nullo ex capite stabiliri potest, Clericos dominium comparare,

sed

sed cum onere iustitiæ ad impendenda in pios vsus sibi residua. Ac proinde tertia sententia, cui simpliciter subscripsimus, rata manet.

Expediuntur argumenta primæ sententiæ.

17. Argumenta in contrarium ab Authoribus primæ sententiæ proposita, facilè eliduntur. Falsum quippè est fructus beneficiorum esse res sacras, eo modo quo ipsa beneficia & prædia vnde fructus colliguntur, dicuntur *res sacræ*. Ex quo enim administratio particularum quartæ portionis bonorum Ecclesiasticorum alendis ministris sacris deputatæ, ministris iisdem concessa est; fructus illius particulæ, quæ cuique obtigit, mutant conditionem suam, & veluti de gradu sublimiore deiiciuntur: ita vt cum in sua causa essent res sacræ & spirituales, in seipsis euadant temporales, & purè humanæ; quamuis interdum denominatione petita à causa è qua existunt, & à personnis quibus sustentandis addicuntur, dicantur res sacræ: quod tamen non est satis ad verum fructuum illorum dominium beneficiariis abrogandum. Multo minus licet inferre, beneficiarios eo dominio carere propter canones & Patres, affirmantes furem sacrilegum esse qui supra sustentationem suam aliquid sibi è bonis Ecclesiæ retinet. Id enim vel tantùm est prolatum de antiquis illis Clericis, qui in communi viuebant, vel de illis qui ante bonorum Ecclesiasticorum diuisionem, ex pacto solam sustentationem accipiebant. Cum enim reliquum esset pauperibus, vel sacris operibus addictum; meritò qui ex eo quicquam sibi vsurpabat, rapinæ sacrilegiíve arguebatur; non item qui simile aliquid facit post inductam bonorum diuisionem & institutionem beneficiorum, vt dictum iam est sect. super. c. 5. Vel si ea Canonum & Patrum loca, ad nostros quoque beneficiarios pertinent, insinuant tantùm obligationem alterius virtutis quàm iustitiæ, qua astringantur superflua dare pauperibus. Quod enim tametsi tuum est teneris ex charitate dare alteri, quodammodò videtur non tuum. Qua ratione sæpè Patres aiunt, diuites laicos superfluorum suorum (quorum vtique sunt domini,) debitores esse egentibus.

18. Denique ad abrogandum beneficiariis verum dominium fructuum beneficij sui, non refert, quod plerisque beneficiis præsertum pinguioribus, non modò particula quartæ illius portionis bonorum Ecclesiasticorum addictæ sacris ministris contineatur, sed etiam tres aliæ portiones admistæ sint, vel magna ex parte vel omnino. Qua ratione videtur iniri posse conciliatio pugnantium in speciem locorum iuris Canonici: Nam c. *constitutum* 16. q. 1. dicitur debere Episcopis tribui tertiam prouentuum partem, iuxta antiquos canones. At cap. *antiquos* 10. q. 1. allegatis iisdem antiquis Canonibus, dicitur Episcopum accipere debere medietatem vnam prouentuum sacrorum, & alteram esse Clero distribuendam pro varietate graduum. Quæ in speciem dissidentium locorum pugna, tolli posse videtur, dicendo alicubi Episcopos & Clericos certã reliquarum portionũ quantitatẽ suæ portioni adiunxisse, & cum ea permiscuisse, secernendã postmodùm ab eis ex iustitia; nec nisi cũ restitutionis onere sic adiunctã

Itaque vbi id vsu receptum erat, Episcopus & Clerus medietatem quisque suam sacrorum prouentuum accipiebant: quod spectauit caput *antiquos*. Alibi autem ea duntaxat sacrorum reuituum portio quæ alendo Clero erat addicta, distribuebantur iisdem, & id spectauit caput *constitutum*. Quamuis igitur alicubi, portiones reliquæ sacrorum prouentuum admistæ essent portioni Clericis destinatæ, & ea permistio nunc variis in locis videatur remanere; tamen hoc nihil (vt dicebam,) refert ad tollendum beneficiario dominium census sic permisti, qui ei ad sustentationem suam conceditur cum onere restitutionis. Quamdiu enim portiones reliquæ manent immistæ, dominium earum est penes beneficiarum, licet non absque prædicto onere. Sicut si meo argento permisceatur alienum, ita vt secerni nequeat, efficior totius summæ dominus, cum onere tamen restituendi quantitatem quam admistam fuisse constiterit.

Ad argumenta secundæ sententiæ.

19. Argumentis pro secunda sententia propositis, satisfactum est inter eam impugnandam. Monstratum enim est, fundatores & benefactores quamuis sperauerint & optauerint bona sua in pios vsus esse insumenda; tamen nullo iustitiæ onere beneficiarios grauasse, ad dispensanda fideliter & piè, quæ ipsis residua essent. Et vt fundatores ac benefactores id intendissent; monstratum tamen est, Ecclesiam tam lubricum & periculosum onus à suis ministris fuisse amolituram, eásque conditiones fuisse reiecturam. Quare etiamsi non fuerit impossibile, facultates è quibus beneficium coaluit, conferri cum eo iustitiæ onere, vt ostendunt exempla pensionis impositæ, & portionis pauperum permixtæ cum quarta Clericali, quibus exemplis ea secunda sententia declarabatur: Tamen negandum est, eum fundationum modum fuisse de facto initum; & vel à fundatoribus intentum, vel ab Ecclesia admissum; tametsi verum est, fideles benefactores, aut omnes aut ferè omnes, sub ea spe ac desiderio contulisse sua bona in Ecclesiasticos; idque Deum velle, & Ecclesiam valdè commendare; vt ex charitate faciendum: quod vnum probant septemdecim argumenta Nauarri.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

Illatum primum; Perceptionem honestæ sustentationis è beneficij censu, dummodò Beneficiarius ministerium suum impleat, innoxiam esse; & quantum ea sustentatio pateat.

NVNC vt doctrinam popositam, ad malas bonorum horum Ecclesiasticorum dispensationes accommodem, infero ex dictis superiori capite; Inprimis fructus beneficii; quos hactenus monstratum est cadere, sub beneficiarij dominium, ab eo iustè & sine omni labis suspicione in sustentationem suam impendi posse, vt pacti quo hæc bona data & accepta sunt, dummodò operarius verus sit, & officium propterquod ei beneficij emolumenta traduntur, ritè exequatur.

Vt Beneficiarius faciat fructus suos, debet implere ministerium.

CVr hanc limitationem adhibeam, non potest esse obscurum, siue autoritatem sacram, siue rationem consulamus. Nam loca Scripturæ, quibus probatur sacrum ministrum debere accipere necessaria ad sustentationem, (ad quod vt minimum dari beneficia omnes fatentur) agunt de solis operariis. Sic apud Lucam Christus mandat Euangalizantibus, *In eadem domo manete, edentes & bibentes quæ apud illos sunt*: *Dignus est enim operarius mercede sua.* En *operarius.* Apostolus quoque, agens de potestate qua vsi fuerant alij Apostoli, quia sine scandalo poterant, sèque sine iniustitia eandem vsurpasse potuisse contestatus 1. Cor. 9. totus est in ea potestate solis operantibus vendicanda. Eóque refert militantem stipendiis alienis, plantantem vineam & de fructu eius edentem; pascentem greges, & de lacte gregis manducantem; bouem triturantem, cui non est alligandum os; Operans in sacrario, quæ de sacrario sunt edentes; & altari deseruientes cum altari participantes. Quæ omnia sunt operantium, & idcircò mercedem vel stipendium percipientium, nomina. Tum subdit. *Ita & dominus ordinauit ijs qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere.* Quod de annunciantibus Euangelium affirmat; de aliis in sacro alio quocunque ministerio occupatis, æquè diceret. Sicut ergo Euangelij annunciaator qui iustè de Euangelio viuit, non is est qui eum titulum vanè præfert, sed qui reipsa exequitur partes Euangelij præconis: ita Euangelicus minister qui iustè de ministerio illo vult viuere, & sustentationem accipere, debet reipsa exequi ministerium, cuius titulo vult accipere sustentationem necessariam; alioqui fur est, & alienam rem iniustè captat. Pertinet huc quoque illud eiusdem Apostoli *qui non laborat, non manducat* 2. Timo. 3. Optimè ex Scripturis in hanc rem argumentatur Innoc. III. cap. *cum secundùm* de Præbend.

2. Inducit egregie philosophantem in hāc rem Iulianum Episcopum, creditus Prosper l. 1. de vita contempl. cap. 21. expenso loco ex cap. 34. Ezech. quo idipsum insigniter confirmatur. Ibi Dominus de Pastoribus populi sui grauiter queritur, quod lac ouium & lanam perciperent sibi; id est, fructus & emolumenta ministeriorum studiosè colligerent; de earum tamen tuitione à Lupis, ac rectione, & pastione, non essent solliciti. *Neque enim* (inquit Deus,) *quæsierunt pastores gregem meum; sed pascebant pastores semetipsos, & gregem meum non pascebant.* Et paulo ante, *Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos. Nonne greges pascuntur à pastoribus? Lac comedebatis & lanis operiebamini; quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis.* Ex hoc igitur Prophetæ loco, grauissimè in hanc rem argumentatur, is quem à credito Prospero induci dicebam Antistes, affirmans eodem loco Prophetæ, percelli ministros sacros qui ex oblationibus quotidianis & decimis fidelium vitam exigunt; (atque adeò beneficiarios: Nam ex oblationibus aut decimis, existunt vel extiterunt beneficia:) si non ritè & fideliter exequantur munus iniunctum. Optimè quoque Hildebertus serm. ad Pastores, ex eo quod sacri ministri lac & lanam percipiunt, infert obligationem eorum ad pascendum oues, eisque inseruiendum. Præiuitque his omnibus S. Augustinus l. de Pastor. cap. 2. tractans in hanc rem eundem locum Ezechielis; & addens comparationem lucernæ, quæ si accepto oleo non luceat omnibus qui in in domo sunt, digna est quæ frangatur. Facit denique ad hoc negotium autoritas iuris Canonici cap. *Si quis Sacerdotum* & c. *eos etiam,* dist. 81. vbi dicitur, eum qui officium non implet, iniustè accipere emolumenta pro eo constituta.

3 Eadem est omnium Doctorum sententia, cum agunt de obligatione beneficiarij ad recitandum diuinum officium; quod ex institutione Ecclesiæ cuilibet beneficio per proprium spiritualem titulum collato, annexum est, vt habet certa & constans Ecclesiæ traditio, insinuata in multis iuribus, nec obscurè exposita in Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 9. in Bulla reform. Ea quippè institutione supposita, communis propè omnium doctrina est beneficiarium ex naturali iustitia teneri recitare officium, tanquam opus pro quo ex virtuali pacto cum Ecclesia inito, percipit fructus beneficij; ita vt si desit huic operi, non faciat suos beneficij fructus, quoad partem illam quæ pro hoc ministerio datur: eo quod, vt Leo X. dixit, loco citato beneficium detur propter officium, iuxta effatum iuris quod traditur c. vlt. de rescrip. in 6. & cap. *cum secundum,* de præbend. Et hanc esse naturalis iustitiæ obligationem, quocunque formali præcepto positiuo anteriorem, supposita annexione recitationis facta per Ecclesiam, latè confirmat Suares l. 4. de orat. cap. 18. num. 5. & cap. 29 à num. 10. post Alensem. 3. p. q. 36. memb. 5. art. 2. Gabrielem in 4. d. 25. q. 8. *litera D.* Angelum *v. hora* num. 11. Sotum l. 10. q. 5. art. 5. Petrum Toletanum l. 2. c. 2. num. 216. Vasquem 2. 2. d. 168. num. 33. Valentiam 2. 2. d. 6. q. q. 2. puncto 10. Azorium t. 2. l. 10. cap 14. *initio,* Durantum 3. de ritibus cap. vlt. *ad finem.* Idem habet cum multis aliis quos adducit, Fagundes l. 2. ad Eccles. præcep. cap. 4. n. 11. nequicquam refragante Bartholemæo à Sancto Fausto tract. de horis Cano. l. 2. q. 275. Quod ergo de hoc ministerio omnibus beneficiis annexo, ac in plerisque ferè vnico, tradunt adeò vnanimiter Doctores, ad omnia æque mini-

steria

steria pro quibus beneficium datur, de eorundem Doctorum sententia, est extendendum; vt scilicet qui ministerium suum non exequitur, pro proportione dimissionis ministerij, iniuste accipiat sustentationem ex beneficij fructibus, vt disertè tradunt Petrus Ioannes Oliu. quodl. 2. q. 8. Vasques tract. de benef. cap. 4. num. 154. Carbo q. 62. de restit. dicto 14. ac Marsil. Columna in opere de orig. & iure reddit. Eccles. parte 3. cap. 33. Et miror hæsisse hac in parte Gersonem 2. p. tract. de temperantia Prælatorum in cibo, potu, & vestibus *sub finem.*

Suffragium tam multiplicis autoritatis, roborat manifesta ratio, ob quam Alex Alensis loco proximè adducto, omnem beneficiarium non deseruientem beneficio, nec implentem ministerium suum, ait esse furem & raptorem. Nec aliter Vlricus apud Carthusianum l. de pluralit. benef. art. 11. Rationem igitur ducunt, ex eo quod stipendiarius obligatur ex iustitia commutatiua exequi munus, & nihilominus accipiat stipendium, peccat contra iustitiam commutatiuam, nec fecit suum quod accepit. Sic conductus ad laborandum in vinea ex denario diurno, si post anticipatè acceptam mercedem, tota die stertat; vel certè nihil operatus, immisceat se vesperè cum operariis, accipiatque communiter cum eis mercedem, iniustus est, nec suam facit mercedem quam accipit. Idem est de milite, qui accepta Principis pecunia, occultè diffugit antequàm ineatur certamen. Meritò enim furcæ addicitur, non modò vt præuaricator militiæ, sed etiam vt fur stipendij quod acceperat militaturus ex pacto. Similiter igitur qui sacræ militiæ dant nomina, & eo titulo accipiunt beneficium, vt aliquo ministerio in Castris Ecclesiæ perfungantur; iniustè & sine comparatione dominij accipiunt fructus beneficij ad suam sustentationem; quæ inde non debetur, nisi implentibus ministerium. Dicat ergo beneficiarius cum Abbate Radingensi apud Blesensem epistola 102. [Scriptum est, *sumite psalmum, & date tympanum.* Qua fronte temporalia recipio, qui spiritualia non impendo.]

An exigatur sententia publica, vt minister non laborans, non faciat fructus suos.

5. NOn eneruat doctrinam hactenùs traditam, quod habet Lessius l. de Iust. cap. 34. num. 180. cum ait, in beneficiis quorum tota vel præcipua functio est recitatio horarum Canonicarum, eos qui non recitant, posse ab Ecclesia priuari fructibus; tamen non teneri sponte restituere, nisi Ecclesia significet se velle; vt significauit pro talibus beneficiariis, post primum semestre à capta possessione. Similiter ergo qui aliis ministeriis exercendis astringuntur, etiamsi ea non exequantur, non tenebuntur sponte restituere, nisi Ecclesia id significet; vel per edictum vniuersale, vel per sententiam specialem. Neque enim accipiunt fructus vt mercenarij pro obsequio diuino, vel vt famuli pro ministerio annuo; quandoquidem hæc ministeria spiritualia non sunt pretio æstimabilia sicut obsequium famuli, sed accipiunt fructus ad suam sustentationem immediatè, cum onere exequendi ministeria; ad quorum proinde executionem tenentur ex Iustitia; ita tamen vt si ea omiserint, non teneantur sponte fructus restituere, quia nihil prætermiserunt pretio æstima-

bile, quod pretij restitutione compensandum sit: Alioqui etiamsi absque culpa omitterent, tenerentur restituere, quod nemo dixerit.

6. His non obstantibus; dico, Beneficiarium, qui non implet ministerium suum, teneri ex natura rei, absque vlla vel generali sententia, vel speciali, restituere fructus; quia verè non sunt eius, nisi sub onere exequendi ministerium. Quod enim dicebatur à Lessio, post Panormitanum in cap. 1. de celebr. Missarum, num. 8. eos dari ad sustentationem personæ, friuolum est. Neque enim Ecclesia (vt Angelus optimè opponit v. *Hora.* num. 11.) intendit sustentare personam sibi inutilem; sed idcircò vult sustentare beneficiarium, quia in tali ministerio est commodus bono animarum, aut ad Dei cultum. Vnde is dicitur titulus perceptionis fructuum. Quod si in beneficiis solo precum ministerio grauatis, non obligat beneficiarios officium omittentes per primum semestre; valet id duntaxat vi legis humanæ, & in foro externo. Nam in foro Dei, & ex natura rei, ex iustitia obligantur ad restitutionem, etiam per illud semestre, vt cum benè multis tradit Suares l. 4. de orat. cap. 9. num. 7. Quod denique ministerium omissum, non sit aliquid pretio æstimabile, parum refert. Satis quippè est, quod sit aliquid ex iustitia debitum; & tale, vt sub onere illud præstandi dentur fructus, & prebeatur sustentatio; cuius proinde refundendæ obligatio ex natura rei iniicitur, si non stetur pacto, nec satisfiat oneri: quod tamen tale est, vt cum spectat duntaxat recitationem horarum Canonicarum, non grauet nisi sanum ac valentem, aut nullo legitimo impedimento recitatione prohibitum; quia cum ea mente iniectum est tale onus. Itaque mihi quidem clarum videtur, beneficiarium, qui non exequitur ministerium, fructus non facere suos, & ex natura rei ante omnem sententiam, teneri ad eum restitutionem.

Iustus metus, socordium Beneficiariorum.

7. Hinc verò apparere facilè potest; quàm iusto metu corripi possint ac debeant Beneficiarij, præsertim curam animarum habentes, qui ad tam multa ministeria sunt astricti; & tamen plerumque dormitant, nec aliud minùs curant, quàm executionem muneris sui: aut si vtcunque in id incumbunt, non tamen implent ministerium, vt Apostolus mandat. Non, inquam, omnibus numeris, provt humana fragilitas fert, absolutam eius executionem exhibent, siue laboris pertæsi, siue metu displicendi hominibus, quos monere & increpare tenentur. Egregia planè est in hanc rem S. Gregorij disputatio hom. 17. in Euang. *sub finem.* [Nos pereunti populo auctores mortis existimus, qui esse debuimus duces ad vitam. Ex nostro etenim peccato, populi turba prostrata est; quia nostra faciente negligentia, ad vitam erudita non est. Quid autem animas hominum, nisi cibum Domini dixerimus, quæ ad hoc sunt conditæ, vt in eius corpore traiiciantur; id est, vt in æternæ Ecclesiæ augmentum tendant? sed huius cibi condimentum nos esse debuimus. Sicut enim paulò superiùs præfati sumus, missis prædicatoribus dicitur; *Vos estis sal terræ.* Si igitur cibus Dei est populus, condimentum cibi, Sacerdotes esse debuerunt. Sed quia dum nos ab orationis & eruditionis sanctæ vsu cessamus, sal

sal infatuatum est, condiri non valet cibus Dei; atque idcircò ab auctore non sumitur, quia exigente fatuitate nostra, minimè conditur. Pensemus ergo qui vnquam per linguam nostram conuersi, qui de peruerso suo opere nostra increpatione correpti, pœnitentiam egerunt; quis luxuriam ex nostra eruditione deseruit, quis auaritiam, quis superbiam declinauit? Pensemus quod lucrum Deo fecimus nos, qui accepto talento, ab eo ad negotium missi sumus. Etenim dicit; *Negotiamini dum venio.* Ecce iam venit, ecce de nostro negotio lucrum requirit. Quale ei animarum lucrum de nostra negotiatione monstrabimus? Quot eius conspectui animarum manipulos, de prædicationis nostræ segete, illaturi sumus.]

8. S. item Bernardus, perpulchrè in Declam. ad Clericos. [Qui per Christum sibi in sortem ministerij huius introisse videtur de cætero quemadmodùm ei seruiat, quemadmodùm ministret, quemadmodùm pascat tripliciter, (vt prædiximus,) gregem Domini, sollicita secum examinatione discutiat. Indignus enim lacte & lana conuincitur, si non pascit oues. Si non vigilat in custodia gregis, iudicium sibi manducat & vestit: Væ tibi, Clerice; mors in ollis carnium; mors in huiusmodi deliciis est: Non modò quia secus introitum delectationis posita esse cognoscitur, sed ob id maximè, quia populi constat esse peccata quæ comedis. Sumptus Ecclesiasticos gratis habere te reputas? Cantando (vt aiunt,) tibi prouenire videntur: sed bonum erat magis fodere, aut etiam mendicare. Peccata enim populi comedis, ac si propria tibi minùs sufficere viderentur. Sollicitus esto, (tanquam redditurus rationem pro eis,) gemitus fundere, dignos agere pœnitentiæ fructus. Alioquin tibi ea noueris imputanda, quæ modò inter delicias comedis, & paruipendis, & dissimulas tanquam nihil attinentia tibi. O iudiciorum Dei abyssus multa! O terribilis Deus in consiliis super filios hominum! Frustra tunc incipient miseri, dicere montibus, cadite super nos, & collibus, operite nos. Veniens venient ante tribunal Christi; audietur populorum querela grauis, accusatio dura, quorum vixere stipendiis, nec diluêre peccata: quibus facti sunt duces cæci, fraudulenti mediatores. Quid tibi insipiens, deliciæ sapiunt? Quid diuitiæ illæ cæcos delectant oculos, quibus mercaris tam graue iudicium, tam duræ temetipsum obligas rationi? Vniuersa siquidem, vsque ad quadrantem nouissimum, exigêris.] Sic incendi à malis vinitoribus vineam domini, dum emolumenta quidem captant, sed vineam sinunt scatere vepribus egregiè dixit Sanctus Basil in c. 3. Esaiæ, ad illud quod Sacerdotibus accommodat. *Vos autem vt quid incendistis vineam meam?*

Sapientum ad eandem socordiam, gemitus.

9. Gemebat ad hanc beneficiariorum socordiam Guil. Paris. l. de Virtut. cap. 11. longissimo, *sub medium*, cum appositis temporalis panis variis saporibus vulgaribus, secundum, ac tertium, & quartum, apponit sublimiorem, quo salarium & stipendium militiæ, & pretium redemptionis animarum, sapit pro beneficiariis. [Secundus (inquit) sapor est, quo sapit nobis spiritualis patrocinationis salarium. Quoniam nobis Clericis & Sacerdotibus,

datur vt salarium tanquam aduocatis animarum, tam mortuorum, quàm viuentium; ad allegandam scilicet causam animarum, coram Patre misericordiarum. Quapropter tanquam fur, & latro, & sine causa, illud comedit: quia causam animarum (prout diximus) allegare non satagit. Necesse ergo habent & leges & allegationes huiusmodi, tam sublimis consistorij seu auditorij, non solùm nosse, sed etiam elegantia qua decet atque sollicitudine, quandocunque opportunum est, allegare. Heu quot habet, & tam auidos perceptores, quàmque flammeos concupitores huiusmodi salarium; & quàm paucos quàmque imperitos atque negligentes oratores causæ animarum. Tertius sapor est quo sapit benè saporantibus (vt diximus) militiam; & hoc in eo quod stipendiũ est enim stipendium militiæ Clericalis, & si non solum, & totum stipendium. Vt fur ergo & latro, quia sine causa, percipit huiusmodi stipendium, qui animabus negligit militare; quod est pro animabus eorum contra hostes eorum: & quod plus est etiam contra Deum, iratis eiusdem pugnare. Pugnas autem & prælia ista, in Tractatu Sacramentorum, & Sacramentailum in capite de confessione, ibi nominauimus & numerauimus, & propter hoc ista hîc non repetimus. Heu quot & quantos habet ne dicam perceptores, sed fures & latrones huiusmodi stipendium, qui non solum pro animabus militare negligunt, sed etiam totis studiis, ac viribus militant contra eas; & etiam contra Deum stipendiorum huiusmodi dulcissimum largitorem; & quod deterius est magisque horrificum, capitali hosti & Dei & animarum suarum, scilicet Diabolo militant Dei stipendiis: ab ipso Diabolo cui militant, non aliud stipendium, quàm mortem perpetuam, & æterna supplicia percepturi; sicut legitur ad Romanos 6. *Stipendia peccati mors est.* Propter defectum & infidelitatem eorum, qui spiritali, hoc est militiæ Clericali ascripti sunt, datus est Dei populus in prædam & in direptionem dæmonum. Propter hoc enim cateruatim centenatim, milliatim, capiuntur, captiuantur, & trucidantur. Quia non est à parte eorum qui defendat; propter hanc causam Clerici attonsi sunt in circulum instar pugilum; vt se esse propugnatores animarum agnoscant. Heu quàm turpe est, quàmque erubescendum, se pugilem, seu propugnatorem animarum tonsura & habitu gerere; & nihil propugnatoriæ strenuitatis, vel pugilaris fortitudinis, vel agege, vel habere? In omnibus hostem animarum se exhibere, & muliebrem fragilitatem, atque imbecillitatem, vitæ mollicie, & infirmitate actuum profiteri. Quartus sapor est, quo sapit redemptionem animarum, sicut legitur Prouerb. 13. *Redemptio animæ viri, propria diuitiæ.* Et Dan. 4. *peccata tua eleemosinis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Omnia enim beneficia Ecclesiastica, data sunt Ecclesiis in Redemptionem animarum; Redemptionem, inquam, à captiuitate peccatorum & pœnarum. Quotquot ergo Clerici sumus, qui huiusmodi beneficia percipimus, Redemptionem, inquam, idest pretium Redemptionis. Non solùm igitur sine causa, sed etiam proditiosè huiusmodi pretium recipimus, qui pro liberatione animarum non satagimus, quia eam, prout huiusmodi redemptio requirit, non procuramus. Quis enim adeo proditor esse auderet, vt cum redemptionem amici sui accepisset, eo scilicet pacto & conditione, vt eius liberationem à carcere & vinculis procuraret, & eum ibi diu torqueri, & tandem patibulo affigi absque vlla miseratione sustineret?

10. Gemebat

10. Gemebat item Petrus Blesensis, cuius illa sunt lugubria in c. 1. Iob. [Infelix ego homo, *quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum.* Hi enim qui constantiæ Beati Iob imitatores esse debuerant & sequaces, mentes arundineas habentes, omni fletui cedunt, omni spiritui credunt, omni circumferuntur vento; in iudiciis fauore liquescunt, in consilio pauore deficiunt, turbantur tristitia, auaritia contrahuntur, protrahuntur ambitione, inquietantur suspicionibus, curis exæstuant, tabescunt odio, mordentur inuidia, ita ardent, honoribus tument, oculos habent ad munera, pupillo & viduæ non intendunt, imò quod longè grauius est, & quod sine miserabili gemitu explicare non possum, Christi opprobria, sputa, flagella, clauos, lanceam, crucem, mortem; hæc omnia Prælati in fornace auaritiæ conflant, & pretium vniuersitatis suis marsupiis includentes, patrimonium Crucifixi, aut nepotibus erogant, aut damnabiliter retinent, aut in vsus extraordinarios dilapidant & profligant. Nonnè considerant infelices, quod morituri sunt: Nónne cogitant, quia requiret Dominus ab vnoquoque suæ villicationis rationem, aut sui principatus honorem? *Propter hoc irritauit impius Deum; dixit enim in corde suo, non requiret.* Sed & certè requiret exactissimè, vsque ad nouissimum quadrantem, & retribuet abundanter facientibus superbiam. Malos itaque malè perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis. Væ operariis vineæ Domini Sabaoth, si cum sarmentis abscinduntur. Væ pastoribus, si numerantur in sinistra cum hœdis. Væ piscatoribus, si cum malis piscibus eiiciuntur forás. Væ cultoribus dominicæ messis, si cum palea comburuntur isti sunt pastores, quibus Isaias improperat, dicens, *Pastores erant, & intelligentiam, ignorabant.* Et Hieremias, *Tenentes legem, nescierunt me.* In eo forsitan sunt pastores, quia se pascunt. Quantum enim ad curam ouium pertinet, tonsores sunt potiùs, quàm pastores: lac & lanam quærunt in ouibus, non salutem. Sanè in Leuitico præcipitur vt Sacerdos habeat in sacrificiis armum dextrum, & separatum: vt operatio Prælati non solùm sancta sit, quod significatur per dexteram, sed exemplo sit præcipua, & merito singularis, quatenus tantum præcellat subditos opere, quantum præeminet dignitate. Agnoscat ergo vnusquisque suæ vocationis honorem: sciat quia Angelus Domini exercituum est: sciat quia est sal terræ, & lux mundi. Recordetur, inquam Prælatus, quos antecessores habuit, & quorum retinet dignitatem. Habet enim primatum Abel, patriarcharum Abrahæ, gubernationem Noë ordinem Melchisedec, dignitatem Aaron, autoritatem Moysis, virtutem Samuelis, potestatem Petri, vnctionem Christi. Ab omnibus istis accusandus & iudicandus est apud Deum, qui iniunctæ sibi administrationis officium non exercet.]

11. Væ talibus beneficiariis, quos ne sustentationem quidem necessariam posse ex beneficiis fructibus petere, manet ex dictis perspicuum. Et ad eos referendum esse quod Zizania suffocent sementem, insinuauit Christus Matth. 13. verbis illis: *Cum dormiant homines*, vt exponit ibi S. Chrysostomus hom. 47. & S. Augustinus q. 11. Matth. Spectant ad hunc locum, omnia quæ aduersùs non residentes, variis decretis & Doctorum lucubrationibus sunt constituta Residentiam enim quæ beneficiarium exoluit, & quæ sola suppeditat ius ad fructus, non esse quasi materialem per præsentiam corpoream, sed debere esse for-

malem, per curam & sollicitudinem exequendi debita ministeria, optimè monstrat Ioann. Sanches disp. 47. selecta num. 3 & 4.

Beneficiarius ministerium suum implens, accipit ex iustitia sustentationem, quæ non est sita in indiuisibili.

12. SI tamen beneficiarius, ministerium cui beneficium destinatur exactè pro viribus impleat, iustè fruitur beneficio, accipiens ex eo sustentationem suam, & quæ in ea conuenienter inuoluuntur, etiamsi aliunde haberet vnde sustentationem illam peteret. Hæc omnia videri possunt, satis confirmata sectione superiori cap. 5. Ibi enim monstratum est, fructus beneficij esse antidorum, quod iustè debetur beneficiario vt sustentetur, & de altario viuat, quandoquidem deseruit altario. Id quod non malè traditur serm. 37. ad fratres in eremo, & ab aliis eo cap. 5. adductis. Non quod istiusmodi antidorum, sit pretium sacri ministerij, sed quod sit adminiculum necessarium vt sacrum ministerium possit exerceri; præter obligationem se priuandi facultate vacandi aliis negotiis, ex quibus minister lucrari posset vnde se sustentaret. Quæ omnia faciunt, vt sustentatio ex iustitia debeatur; & derogatis per consuetudinem diuturnam antiquis quibusdam canonibus, fas sit pascisci de stipendio ad talem sustentationem suppeditandam, vt rectè statuunt Suares cap. 46. de Simo. num. 4. & seqq. ac Less. cap. 35. de Iust. num. 48. quæ omnia fundantur in obligatione iustitiæ sustentandi ministrum, exposita cap. illo 5. Ibidem quoque monstratum est, nihil esse quod beneficiarium aliunde diuitem, impediat accipere sustentationem suam integram ex beneficio, etiamsi nolit in vsus pauperum conuertere, quod ex patrimonio vel aliunde habet ad sustentationem suam sufficiens. Denique ibidem obiter monstratum est, quid intelligatur nomine honestæ sustentationis Clerici, penes quam beneficij sufficientia de qua eo loco agebatur, æstimanda erat. Nunc autem tanquam in proprio loco, de ipsa honesta sustentatione agendum per se paulò pleniùs atque distinctiùs, quantum argumenti ex tam variis circunstantiis pendentis incertitudo patietur; tametsi in particulari res semper definienda sit prudentis arbitrio, vt Mol. rectè notauit tract. 2. de Iust. d. 145. & præiuerat Gerso 2. p. tract. de temperantia Prælatorum in cibo, potu, & vestibus, *sub finem*.

13. In primis verò statuendum est, hanc beneficiarij sustentationem non consistere in indiuisibili, sed contineri in latitudine quadam infimi, medij, & supremi. Id quod cum aliis virtutibus purè moralibus commune est, tum nominatim in Iustitia est frequens. Videmus enim iustum mercium pretium, non posse ita exactè definiri, quin latitudinem habeat, & varios gradus subeat, etiam eodem tempore. Similiter igitur necessaria beneficiarij sustentatio, non est statuenda in indiuisibili; non tantùm spectatis variis temporibus quibus clarum est diuersa ad sustentationem necessariam deposci, pro annonæ vilitate aut caritate, vel spectatis variis locis, in quibus abundat pecunia magis aut minus, & res quoque ad vitam necessariæ parciùs vel copiosiùs suppetunt; sed etiam eodem loco & tempore. Sed neque beneficiariorum omnium par est indigentia

digentia, siue necessitas: & aliquibus plus, aliquibus minus est necessarium ad sustentationem conuenientem: Et quo plus alicui est necessarium, eo difficilius est de honesta mensura pronunciare; maiórque latitudo intra eam est agnoscenda. Sicut quo merces sunt pretiosiores, eo maior latitudo pretij iusti admittitur.

Quid ambitu honestæ sustentationis ex Beneficio debitæ, contineatur.

14. HOc ita constituto, dicendum est, nomine *honestæ sustentationis*, iustè ex beneficio debitæ, designari in primis omnia, quæ ad victus, & vestitus, & habitationis, ac famulitij necessitates pertinent, quod est plusquàm clarum. Similiter intelligi quæ ad familiæ sustentationem, & famulorum stipendia exiguntur, omnia intra decentiam gradus & conditionis personæ considerando; quod optimè traditur apud Clementem Romanum l. 2. const. Apostol. cap. 24. Et ratio videtur perspicua. Neque enim vestem quis è rudissimo panno, aut cibum quali rusticus & rupex contentus esset, velit Clerico honesto assignare, vt censeatur habere quod ad eius sustentationem sufficit. Propterea que dixi, concedendum esse Clerico beneficiario honestam sustentationem. Honesta autem non esset, quæ statui personæ non congrueret, & ad eas quas dixi sordes cibi ac vestitus, Clericum honestum deiiceret. Quod proportione seruata, æquè de supellectile, & famulitio, & familia est statuendum. Nec dubium quin nimia parcitas & indecora rusticitas in hoc genere esset illaudabilis, præsertim si ex auaritia ortum haberet. Qua ratione aliqui beneficiarij propinant se ridendos, & quidem iustissimè; nec peccati expertes sunt, cum immemores gradus sui & dignitatis, non modò ministerium suum per eas sordes non honorificant, sed etiam vile & despicabile reddunt. Infame planè est & propudiosum, quod scribit Æneas Syluius in histor. Bohemica cap. 35. & 42. de Albico Posoniensi in Hungaria Episcopo, adeò illiberalis & sordidi genij homine, vt indignus videretur, qui ex pingui beneficio quod possidebat, censum vllum perciperet. Præterquàm quod enim claues cellæ vinariæ nulli quàm sibi credebat, & animalia dono data mox vendebat; veritus coquorum sumptuositatem, abiecta anu pro coquo vtebatur. Quod autem non sibi tantum parcus & sæuus, sed suis quoque sordidus supra modum esset, ita vt eos edentes bibentésve ferre non posset, nec alium sibi magis sonum exosum esse profiteretur quàm maxillarum ossa frangentium; tandem vt auaritiæ liberiùs licentiúsque seruiret, cessit Episcopatui, vt in minore locatus gradu minore impensa, (quæ tamen copiosa suppetebat,) sordidiúsque posset viuere. Non est autem cur dicam, quomodo cum his cohæreat, quod auarissimum hunc Episcopum Pragensi Ecclesiæ aliquando præfectum, sua socordia hæresi Hussitarum fomentum & diuturnitatem præbuisse, scribit Alphonsus de Castro l. 3. de iusta hær. punit. cap. 4. ex Ænea Syluio. Si enim hic ipse est, (vt nomen præfert & ætas consentit, nec vlla adiuncta repugnant;) non potest mirum videri, quod eius culpa, tantum malum increuerit. Homo enim totus in cœnum cupiditatis infixus, nec nisi de parcendo rebus suis, & aggerenda vi opum immensa sollicitus; in negotio, quod eum maximè vrgere par fuerat, ob-

torpuit; & indiligentibus excubiis, aditum fidei hostibus ad Ecclesiæ cladem aperuit. Sed sistamus in eneruatione autoritatis Beneficiariorum, per sordidam parcitatem.

15. Cum ergo parsimoniam status sui oblitam, & Ecclesiæ indecoram, ægrè minoris culpè insimulandam censuerim, quàm profusionem; Tanti est aûream mediocritatem vbique tenere, quod fecerunt in hac re Sancti Dei homines beneficia adepti; ita vt eorum plerique, tametsi paupertatem & vilem supellectilem adamarent, tamen personæ ac muneri seruientes, ne vile redderent ministerium suum, nec pannosi procederent in publicum, nec ornamentis decentibus cubiculorum destituerentur. Lectos etiam insigniter stratos palam exhiberent, quamuis interiùs simplicissimè induerentur, & in abdito conclaui, super storea quapiam, aut nudis asseribus cubantes, partem noctis somno concessam exigerent. Hoc de Sancto Carolo habent eius acta. Nec dissimilia de Cardinali Bellarmino sunt prodita. In vita Sancti Petri Moroni, qui nomine Cælestini quinti Ecclesiam rexit aliquandiu, cap. 30. ex Petrarcha eius æquali refertur, cum intra palatium in loco abdito casernulam habuisse, vbi inter summas diuitias, pauper interdum degebat, pristini status memoriam refricans, & vt licebat raptim renouans. Foris tamen decentiam seruabat, & apparatum dignitati suæ congruum adhibebat.

16. Familiam porrò beneficiarij, pro ratione gradus eius, ac prouentuum Ecclesiasticorum vbertate, aliisque nonnullis circunstantiis, & nominatim pro nobilitate, dignitate Ecclesiastica, & doctoratu, posse esse ampliorem; talique familiæ decenter necessaria, contineri ambitu honestæ sustentationis iustè ex beneficio perceptibilis à tali beneficiario, non videtur dubitandum. Planè enim ita fert proborum ac prudentum sensus, vt rectè asseruit Nauarrus q.1. monito 36. num.3. & Mol. tract. 2. de Iust. disp. 145. ac Ægid. Coninc. disp. 27. de actibus supernaturalibus num.194. Colligiturque apertè ex decreto Innocentij III. in Concilio Later. cap. *de multa*, de præbendis: vbi cum viris eximiæ nobilitatis & doctrinæ, dispensandum dicitur, in beneficiorum pluralitate; eo quod tales personæ sint Ecclesiæ vtiliores, & idcircò sint præ cæteris honorandæ. Quæ ratio apertè fert, sustentationem talium personarum, posse esse ampliorem quàm aliorum. Quorsum enim alioqui plura beneficia eidem conferrentur? Denique vsus, etiam inter timoratos, annuente Ecclesia, idem iam olim tulit, Doctoribus non improbantibus.

Viro docto & nobili, indéque vtiliori, sustentationem pleniorem deberi, monstratum, contra Lorcam.

17. REfragatur tamen Lorca disp. 40. de Charit. num. 59. contendens intuitu literarum & doctrinæ, nihil amplius posse deposci ad honestam sustentationem beneficiarij vnius quàm alterius; cum omnes Ecclesiastici debeant esse literis instructi, iuxta exigentiam dignitatum: nec item titulo nobilitatis posse vlteriùs diffundi honestæ sustentationis mensuram; adeò vt si filius Regis creetur Episcopus, nolit Lorca plus illi tribui ad sustentationem honestam, quàm alteri de plebe in Episcopum euecto: eo quod Episcopatus,

patus, (& idem proportione seruata est de Cardinalatu, aliísque beneficiis,) status sit non pompæ, sed sanctimoniæ : ideóque non tam sit quærendum in tali Beneficiario, quid illi secundùm carnem & sæcularem statum conueniret, quàm quid secundùm Christianam humilitatē beneficiario consentaneam, cuius mensura eadem est quoad omnes. Neque verò beneficia Ecclesiastica instituta sunt ad fouendam nobilitatem, eique seruiendum : sed vt consulatur necessitatibus, & sustentationi honestæ ministrorum sacrorum, pro dignitate muneris & officij, quæ par est in quibusuis beneficiariis. Fauent huic doctrinæ Peraldus in summa vitiorum, descriptus & approbatus à Carthusiano l. contra pluralit. beneficiorum art. 10. Agens enim de iis, qui ratione suæ nobilitatis, contendebant fas sibi esse plura habere beneficia. Respondet, si sint filij Dei & Ecclesiæ vtiles, posse habere pinguius beneficium, sed si sint filij Diaboli, vel Ecclesiæ inutiles, aut etiam malo exemplo damnosi, iustum non esse quod præ cæteris commodum reportent ab Ecclesia. Deum quoque nolle habere in Ecclesia, qui tam carò ei constent, & nihil prosint. Quæ doctina, videtur genuina ei quæ ex Lorca est proposita.

18. Non est tamen difficile, is deiectis firmare communem sententiam suprapositam. Nam quod aiebat Lorca, pro maiore literatura augeri non posse mensuram honestæ sustentationis, indignum videtur homine literato. Sic quippè succiduntur nerui studiosis omnibus, & ardori eorum ad immensos in re literaria labores deuotandos frigida affunditur. Quis enim laborare velit, subtracto præmio? Honos alit artes. Vnde etiam ingens in Ecclesiam damnum redundare potest, ex penuria virorum eruditorum, quorum tantus est vsus, tanta ad bonos mores plantandos & errores extirpandos opportunitas, imò necessitas. Quod autem omnes Ecclesiastici debeant aliqua literatura instrui, verum est; sed non omnes debent eam eximiam doctrinam habere, cui iure conueniat amplior illa sustentatio de qua agimus. Iam verò quod Lorca aiebat de filiis Regum, æquè repellendum est. Nemo enim non videt, quantoperè ornet & iuuet Ecclesiam, talium Clericorum ad eam accessio. Itaque dignum & iustum est, tales ministros sustentationem ab Ecclesia accipere, commensam vtilitati ac dignitati quam Ecclesiæ conciliant; Et cum tales ministri splendidiùs quàm cæteri ab Ecclesia sustentantur, non seruitur pompæ, sed Iustitiæ; quæ fert, vt tali ministro ob vtilitatem maiorem plus detur.

19. Semper addidi, plus dandum esse talibus beneficiariis ob maiorem vtilitatem, quia si literatura maior, vel nobilitas, non essent Ecclesiæ vtiles, non posset ob eas augmentum honestæ sustentationis deposci ex beneficio. Vel quia dotes illæ semper sunt saltem ornamento Ecclesiæ, & eatenus semper iuuant; dicendum est, non nisi pro ratione excessus vtilitatis & commodi inde obuenientis Ecclesiæ, supra commodum à vulgaribus ministris obueniens, posse augeri sustentationem talis ministri ex censu beneficij. Si ergo talis minister aliunde haberet vnde sustentaret auctiorem familiam, suis illis dotibus quatenus Ecclesiæ non commodantibus respondentem; posset sanè eam familiam habere; non tamen si ex beneficio sit sustentenda; quicquid dicat Mol. tract. 2. de Iust. d. 145. §. *est tamen*. Et ratio est, quia ille excessus in numero & splendore familiæ, non potest ex beneficio peti, nisi quatenus comprehendi potest intra

sustentationem ministri: hæc autem non debet esse auctior prout ex beneficio petitur, nisi pro ratione augmenti commodorum à tali ministro obuenientium Ecclesiæ. Sicut enim simpliciter spectata sustentatio, non debetur beneficiario nisi ratione ministerij vtilis, sic neque auctior sustentatio debetur, nisi ratione ministerij vtilioris: intelligendo nomine *ministerij*, quamcunque functionem spiritualem, prout conuestitam iis ornamentis & ab eis quasi collucentem, cóque splendore perfundentem Ecclesiæ corpus.

Quæ ad hospitalitatem, & decora munera ac in aliquos pios vsus acervantur, nomine honestæ sustentationis comprehensa.

20. PErgo in expressione & discussione eorum quæ ambitu honestæ sustentationis beneficiarij comprehendi possunt, præter antedicta. Veniunt igitur eo item nomine, impensæ faciendæ in conuiuiis moderatis, statui beneficiarij consentaneis. Et *conuiuia*, hîc intelligo, non ea duntaxat quæ præbentur hospitibus & peregrinis propter Deum, sed etiam alia. Nam hospitalitatem quidem, quatenus est opus charitatis, Clericis & religiosis debere esse summoperè commendatam, intelligitur ex iis quæ de ea luculenter tradunt Petrus Blef. Episto. 29. Hildeber. epistola 60. Castro v. *Peregrinus*, Petrus Audomarus tract. de hospitalitate, post Origenem hom. 5. in Genesim *in ipso initio*. Et quod plus est, Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 8. de reform. post Concilium Antiochenum can. 25. omnes beneficiarios, tam seculares, quàm regulares, ad hospitalitatem valdè hortatur. Non igitur de huiusmodi duntaxat conuiuiis ago, cum dico impensas ad conuiuia moderata comprehendi nomine *congrue sustentationis*; sed illa quoque conuiuia intelligo cum Nauarro q. 3. de reditibus monito 28. num 2. & Corduba l. 1. q. 18. propositione 2. quæ amicis aut consanguineis, attenta beneficiarij conditione & qualitate exhiberi interdum par est, ex sola humanitate aut vrbanitate. Quæ tamen vt honestæ sustentationis ambitu possent iure concludi, aiebam debere esse moderata, attento beneficiarij gradu & dignitate. Iustum quippè non esset, vt finibus honestæ sustentationis comprehensa vellemus illas conuiuiorum profusiones, de quibus infra agendum erit: suntque sine dubio reprehensione dignæ, præsertim cum sacerdos ea conditione est vt, meritò succini ei possit illud S. Hieronymi epistola ad Nepotianum. [Turpe est, ante fores Sacerdotis Christi crucifixi, & pauperis, & qui cibo quoque vescebatur alieno, lictores consulum & milites excubare; iudicémque prouinciæ, meliùs apud te prandere, quàm in palatio.]

21. Spectant præterea ad sustentationem honestam beneficiarij, donationes quæ pro ratione status beneficiarij sunt interdum faciendæ cum debita moderatione; cum merè liberales, tum etiam remuneratoriæ. Quoad liberales, repugnat Nauarrus q. 1. de redit. monito 28. num. 2. Sed fortè non agit nisi de immoderatis donationibus. Moderatos enim non excedentes conditionem & statum beneficiarij, meritò in honesta eius sustentatione comprehendunt Mol. tract. 2. d. 145. Corduba l. 1. q. 18. propositione 2. & infra corollario 2. ac Binsfeld. in Enchir. p. 4. cap. 13. concl. 13. Et ratio est, quia sustentatio honesta

nesta complectitur quidquid conditio & status personæ exigit. Recta autem ratem ratio & iudicium prudentum planè fert. vt Beneficiarius aliquando liberaliter aliquid moderatum largiatur. Ergo potest id petere ex censu beneficij quod ei congruam sustentationem suppeditat. Certè in sustentatione honesta, quam maritus debet vxori pro dote, comprehendi moderatas largitiones pro ratione status sui, quales cæteris paribus fœminæ eiusdem conditionis facere solent, graues Doctores agnoscunt; Inter quos Mol. tract. 2.d.274. benè monstrat, id pertinere ad sustentationem conuenientem vxori debitam: ideòque ab ea præstari posse, etiamsi maritus refragetur. Similiter igitur censendum est, tales donationes moderatas ad statum & decentiam beneficiarij pertinentes, honesta eius sustentatione comprehendi, & ex beneficio peti posse. Multò clarius id est de donationibus remuneratoriis, quàs idcircò Nauarrus q. 1. de redit. monito 29. num 2. & mon. 36. admittit è censu beneficij fieri posse, ac proinde contineri ambitu sustentationis honestæ. Idem latè confirmat Comitolus 1. respons. q. 76. & Mol. tract. 2.d. 145. & d. 202. Fatentúrque hi Doctores has donationes remuneratorias posse aliquantulum excedere quantitatem, debitam ad compensanda ex gratitudine anteriora benefacta; ita scilicet vt non modò munera à beneficiario licitè rependenda, adæquent beneficia vel obsequia quæ accepit, ad quod tenetur ex virtute gratitudinis; sed etiam nonnihil sint supra æqualitatem. Nam id quoque pertinere ad gratitudinem, (tametsi absque labe peccati & nota ingratitudinis posset omitti,) habetur ex Aristotele 5. Ethic. c. 5. & ex D. Thoma 2.2.q.106.art.6.

2. Admitto insuper, ambitu sustentationis honestæ licitè ex beneficio iam parto desumendæ, contineri posse nonnullam quantitatem quotannis asseruatam ad pium aliquod opus curandum, vbi ea summa congruè creuerit. V.g. ad templi erectionem, Xenodochij constructionem, Collegij fundationem, & similia publicæ vtilitatis opera. Dixi quidem sect. super cap. 5. non licere hoc titulo noua beneficia captare, cum quis iam habet vnum beneficium præsenti statui beneficiarij sufficiens. Nisi enim ita statueremus, frustra Ecclesia pluralitatem beneficiorum, in eo qui iam habet vnum sufficiens, execraretur. Nam semper fas esset obtendere, plus requiri ad honestam sustentationem, comprehensis intra eam operibus magnæ impensæ, quorum posset nunquam esse finis. Itaque si agatur de comparando nouo beneficio, vltra illud quod est statui præsenti sufficiens; admitto horum operum curam, etiamsi ex animo propositam, non suppeditare idoneum titulum conuellendarum tot sacrorum legum contra beneficiorum pluralitatem. Si tamen beneficium iam sit partum, & vel accreuerint deinde eius reditus, vt interdum contingit siue refossis nouis iuribus, siue ob variatas circunstantias: Vel certè pinguius sit, quàm alioqui exigeretur ad beneficiarij sustentationem, sapienter faciet si vbi communibus quibusuis obligationibus fecerit satis, aliquid ex beneficij censu pedetentim asseruet, quod in ea opera quæ dictum est, impendi queat, vbi ad aliquem cumulum peruenerit: illudque quotannis decisum è censu beneficij, & ad eos fines accumulatum, arbitror haud immeritò comprehendi posse ambitu honestæ sustentationis; quia non abhorret à talis beneficiarij decenti sta-

tu, ad quem admetienda est, sustentationis honestæ ei ex beneficio debitæ congrua mensura.

Vsus similium piorum Beneficiariorum, attendendus.

23. AD extremum, quia in particulari cuncta definire impossibile est, non malè dici potest, vsum piorum & prudentum Beneficiariorum, quos in aliis negotiis constat agi Spiritu Dei, & à peccato valdè abhorrere? posse allis Beneficiariis esse pro regula, vt quod illi tanquam ad honestam sustentationem pertinens, è beneficij reditibus, non semel sed passim, nec vnus sed communiter tales omnes insumpserint, aliis quoque sine scrupulo fas sit impendere. Quod enim à Philone l. 1. de vita Mosis, scitè dictum est, hic quoque locum habet, nempè virum bonum esse legem animatam & rationalem, cui confirmari liceat. Id quod egregiè item tradit l. de Abraham. Itaque quod plures similes beneficiarij, prudentiæ & non vulgaris probitatis laude clari, facere deprehendentur, obstrepente nemine; fas erit aliis simili beneficio potientibus, in iisdem circunstantiis, sibi haud inhonestum ducere; & quod alios ad suam honestam sustentationem pertinens arbitrari, ac proinde ex beneficij censu sumere viderit, sibi quoque congruum censere.

24. Neque tamen diffiteri volo, quin possit in similium Beneficiariorum sustentatione esse inæqualitas; siue ob industriam maiorem vnius, qui non plura vel etiam minora insumens, decentiam gradus & status sui optimè seruat; siue ob grauamina vnius, non alterius, quæ interdum necessariorum sumptuum copiam magis diffundunt; at si plures ex vnius familia eo anno ægrotauerint, si plures appulerint hospites, quos honestas aut necessitudo excipi adegerit, si in domus ruinam minantis reparationem, faciendi fuerint sumptus; & alia huiusmodi; Ex quibus liquet, vni quàm alteri, eo anno plura esse necessaria ad honestam sustentationem. Hæc inquam nolo diffiteri; neque tamen idcircò videri debet nutare regulam traditam de conformabilitate vnius beneficiarij ad alios similes, in æstimanda congruitate honestæ sustentationis. Nam hæc extrinseca sunt, & per accidens se habent: ideóque non fuerunt atendenda, in generali (quantum dari potest,) expressione honestæ sustentationis. Satis tamen insinuauimus, habendam in particulari esse eorum rationem, cum diximus, inspiciendos esse similes beneficiarios in iisdem circunstantiis constitutos. Nam ij penes quos ista extrinseca, vel grauamina, vel diffundendæ sustentationis iusta principia interueniunt; eatenus sunt in diuersis circunstantiis, quas seorsim pro vno quoque æstimare par est, cum ad taxandam prudenti arbitrio cuiusque honestam sustentationem in particulari deuenitur?

Quando per accidens præter ante dicta, statuendum.

25. HIc igitur est ambitus, eorum quæ beneficiarius tanquam ad suam honestam sustentationem necessaria, è sui beneficij fructibus

ctibus potest absque scrupulo petere, per se loquendo: id est dummodò Ecclesiæ dispendium ex tam diffusa sustentationis honestate non sequatur; quia nimirum omnia susdéque volui sinuntur; nec intenditur sartis tectis, aut supellectili ad diuinum cultum conuenienti; dum omnia insumantur in diffusiorem sustentationem beneficiarij; vt supponitur, ad eas impensas obstricti. Tunc enim Beneficiarius, tenetur arctare sustentationem suam limitibus angustioribus. Et idem esset, si occurrerent valdè graues necessitates proximorum. Tunc enim sicut laici tenentur nonnihil restringere honestas impensas, quas aliis temporibus facere potuissent, vt suppetat vnde releuent necessitates illas proximorum, de quo latiùs 2. 2. in Tractatione de eleemosina: Ita multò magis Clerici & Beneficiarij, quorum obligatio ad charitatis opera est multò arctior & seuerior, tenentur idem præstare circa honestatem suæ sustentationis. Tenentur inquam ex ea aliquid decidere, pro quantitate necessitatis proximorum, vt habeant vnde tribuant necessitatem patienti. Sed hæc, (vt liquet,) sunt per accidens. At per se loquendo, & spectato primario fine institutionis beneficiorum Ecclesiasticorum, qui primò ac principaliùs spectauit ministrorum sustentationem, quàm pauperes, vel Ecclesiam, vt latè confirmat Démochares l. 3. de sacrif. cap. 29. rectè constituisse videmur, metrum honestæ sustentationis beneficiarij; quam ille sine culpa ex censu beneficij possit petere, dummodò ministret vt debet.

26. Quam vnam conditionem adhibui, vt acceptio decentis sustentationis, labe vacet. Tametsi non me latet, Adrianum in 4. tract. de restit. q. 14. & Achillem Statium Epistola de reditibus Ecclesiasticis, (apud Nauarrum q. vltima) num. 14. *in fine*, præterea exigere; vt beneficiarius sit vir probus. Nam eum qui turpiter assiduè viuit, negat posse absque iniustitia talem sustentationem sumere ex beneficio. Duriusque etiam Card. Alexandr. eum qui non est assiduè improbus, si quando malè agat, spoliat fructibus sustentationi necessariis pro rata temporis. Sed rectè hæc reiiciunt Nauar. tract de redit. q. 1. monito 29. num. 3. Mol tract. 2. d. 145. Comitolus respons. q. 71. quia cum improbus minister, supponatur nihilominus verè ministrare, ius habet vt de altario viuat. Itaque nec peccat de nouo, si accipiat fructus in mortali peccato; nec ad fructuum in eo statu perceptorum restitutionem obligatur, vt rectè cum Soto l. 10. q. 5. art 7. tradit Carbo q. 61. de restit. dicto 7. & Binsfeld. 4. p. Enchir. cap. 13. concl. 6.

CAPVT TERTIVM.

Illatum secundum. Quid statuendum de superfluis sustentationi Beneficiarij, spectata obligatione iustitiæ & charitatis.

1. OSTENSVM est, honestam sustentationem, ritè & citra culpam omnem accipi posse ex reditibus beneficij. Nunc videndum est, quomodò sint dispensanda superflua, siue quæ ex reditibus beneficij reliqua sunt, postquàm impensæ in beneficiarij sustentationem, eo ambitu quem descripsimus conclusam, inde sunt petitæ. Et quia duarum virtutum obligationes, circa hæc superflua, videri possunt vrgere beneficiarium, nempe obligatio iustitiæ & charitatis, vtramque expendamus.

Euentus quidam, in quibus Beneficiarij, obligantur ex iustitia, ad piam erogationem superfluorum.

2. ET quidem quoad obligationem iustitiæ attinet, infertur perspicuè ex dictis cap. 1. quæ sunt superflua beneficiario, posse ab eo absque iniustitia in quoscunque vsus conuerti, modò sistamus in beneficiario seculari, & non sit rationabilis causa suspicandi: quod pertineant ad quartam pauperum, aliásve portiones quàm Clericalem. Specialem restrictionem hîc adhibeo quoad beneficiarium Regularem, quia etiamsi cum iam supra excluserim à disputatione de dominio redituum beneficij, cuius supposui illum esse incapacē; idque cum communiore sententia admittat Lorca disput. 40. de charit. n. 30. addit tamen num. 31. eiusmodi beneficiorium, si fiat Episcopus, non teneri debito Iustitiæ ad restitutionem eorum quæ de superfluis in profanos vsus erogauerit: neque eos item qui acceperunt, ad vllam restitutionem teneri. Quod probat, quia Episcopus Religiosus habet facultatem dispensandi bona Episcopalia? & idipsum de eis faciendi quod faceret secularis; ita vt quamuis non habeat dominium, habeat tamen liberam & absolutam administrationem; & dominium redituum quod manet penes Ecclesiam, ita suppositum sit voluntati Episcopi Religiosi, vt quicquid de reditibus illis fecerit, ratum habeat & validum, quoad dominij translationem. Hoc puto falsum. Sic enim libera illa administratio, esset plusquàm administratio, transiretque in dominium. Si autem est tantùm administratio, debet esse fidelis & prudens dispensatio, ex obligatione iustitiæ. Nam quis neget dispensatorem teneri ex iustitia, erogare fideliter quæ sibi sunt commissa, atque adeò teneri ad restitutionem, si secus faciat? Igitur alia debet esse ratio Episcopi Religiosi, quàm secularis; ita vt tametsi iste, quia comparat dominium redituum, ad nullam restitutionem teneatur, si eos prodigat; nec ad eam item teneantur quibus iste forte

fortè donauerit illicitè; Tamen de Episcopo regulari, alia sit ratio. Et idem æquè dicendum est de Abbatibus titularibus, & aliis quibusuis Regularibus beneficiariis, quos malè quoad hoc secularibus æquiparat Nauarrus mutata sua priore sententia q. 1. monito 33. & 52.

3. Addidi quoque restrictionem alteram, de portionibus immistis; quia vt supra notaui, cum facta est diuisio bonorum Ecclesiasticorum, præter eam portionem quæ fuit assignata alimoniæ Clericorum, (quæ subdiuisa deinde est in partem Episcopi, & partem cæterorum è Clero;) aliæ insuper portiones eorundem bonorum addictæ sunt variis piis finibus; puta fabricæ, & omnibus ad diuinum cultum pertinentibus; itémque pauperum subuentioni, & captiuorum redemptioni. Quia igitur Clerici, sed maximè Episcopi, vt ex variis Canonibus liquet, portiones illas talium bonorum, quæ ad fabricam vel pauperes aut captiuos spectabant, administrare soliti erant; facilè contingere potuit, vt portiones illæ bonorum alios fines spectantium, permiscerentur cum portione Episcopi, aut etiam aliorum quorundam beneficiariorum. De quo si rationabiliter constaret, non esset dubium, quin tenerentur ex iustitia, hæc superflua tanquam sub onere aliis ea impendendi concessa, refundere, vel fabricæ, vel pauperibus. Idque ni facerent, tenerentur ad restitutionem; non ipsi tantùm beneficiarij ea profundentes, & fortè aliis elargientes; sed & qui illa à beneficiariis acciperent. Et ita Gerso 2. p. tract. de Temperantia Prælatorum in cibo, potu, & veste, *sub finem*. Quod maximè (vt dixi) attendendum est circa Episcopatus. Nam beneficia aliorum Clericorum, facilius fuit constitui ex sola portione ad Clericorum alimoniam destinata. Quanquam nihil etiam vetat, aliquando idem contigisse circa alia beneficia, quod obligationes quædam superstites indicant. Et quoad Episcopatum, non malè conectatur, ex pingui admodùm Episcopatus censu, longè superante quæ necessaria sunt ad Beneficiarij sustentationem conuenientem. Tunc enim verisimile admodùm est, portionem pauperum fuisse permixtam cum Episcopi portione; maximè si nulla sint hospitalia, vel pauperum alumnorum Collegia, similiáve pia loca erecta è bonis præcisis à mensa Episcopali; (quæ enim ex aliis fundata essent, nihil conferrent ad elidendam hanc Episcopi obligationem:) Itemque dummodò ex fundationis tabulis, aliterve, non constet, Principes tam pinguem censum Episcopo contulisse, ad splendorem tantùm & maiestatem Ecclesiæ. Cum igitur prudenter iudicatur, vel rationabiliter ambitur; quod ea permixtio interuenerit quoad partem pauperum, vrget obligatio iustitiæ ad eam restituendam è superfluis sustentationi. Et idem sæpè contingit, de portione debita fabricæ.

4. Dico *sæpe*, quia (vt hoc obiter dicam,) alicubi Ecclesiæ habent suos speciales reditus, plusquàm sufficientes fabricæ. In quo euentu, clarum est non esse præsumendum, eam portionem esse permixtam cum mensa Episcopali. Cum autem admodùm tenues & insufficientes reditus, fabricæ addicti reperiuntur, aut etiam nulli; valdè verisimiliter censentur permixti cum mensa Episcopali in Ecclesiis Cathedralibus, vel cum portione beneficiarij in aliis Ecclesiis. Quia enim olim Episcopus fabricam curabat, & portionem fini illi addictam administrabat; coniectura vehemens est, factam esse huius

portionis permixtionem cum mensa Episcopali quoad Ecclesias Cathedrales, vel cum portione beneficiarij quoad alias Ecclesias. Et tunc interdum ex vsu antiquo necdum vbiuis obsoleto, Episcopus obligatur fabricam Cathedralis Ecclesiæ suis sumptibus curare: quæ obligatio est iustitiæ, debétque illi satisfacere ex suæ sustentationi superfluis; & id omittens, obligatur ad restitutionem. Vbi verò hic vsus non viget, nec constat Episcopum quoad Ecclesiam cathedralem obligari ad fabricæ curam; indicium est, tametsi fortè alias facta sit permixtio portionis pro illius Ecclesiæ fabrica attributæ, cum portione Episcopo propria, tamen obligationem pendendæ illius portionis, præscriptione legitima, aliòve idoneo modo, euanuisse. Itaque fabricæ Cathedralis Ecclesiæ prouidendum tunc est, decisa parte aliqua mensæ Episcopalis, & portionis Canonicorum, superflua vtrisque. Vel si nihil vltra decentem sustentationem vtrisque suppetat, prouidendum erit fabricæ, iuxta vsum regionis, aut iuxta constituta in Tridentino sess. 21. cap. 7. de reformat. Id quod etiam pro fabrica aliarum Ecclesiarum infra Cathedralem, seruandum erit: nimium deceptis superfluis beneficiarjo; vel si neque hæc sint satis, patronis & parochianis in subsidium aduocatis, iuxta decretum Concilij. Sed hæc nunc nostra non referunt. Tantum quippè contendimus, si rationabile dubium sit, vel prudens & verisimilis opinio, quod portio fabricæ addicta, fuerit immixta cum portione beneficiarij, & eius portionis admistæ reddendæ obligatio nullo debito modo obsoleuerit; teneri beneficiarium, eam portionem ex iustitia reddere: idque si omittat, obligari ad restitutionem.

Nulla iustitiæ obligatio in Beneficiario, ad piam superfluorum expensionem, extra euentus propositos.

5. EXtra euentus in restrictione nunc discussa comprehensos, negamus beneficiarium quomodocunque expendat superflua suæ sustentationi, peccare contra iustitiam, vel teneri ad vllam restitutionem. Qua in parte habemus aduersarios, quotquot dicunt, beneficiarium non esse dominum fructuum sui beneficij, quos cap. 1. adduximus. Ita tradit cum multis Ripa tract. de peste cap. 5. à num. 149. & Nauarrus cum multis Iurisperitis & aliquot Theologis quos adducit tract. de redit. Ecclesiasticis quæst. 2. monito 7. & tota reliqua quæstione. Subscribunt Turrianus tota ferè epistola de reditibus Ecclesiasticis, Achilles Statius epistola de eodem augmento ad Nauarrum, Carbo q. 61. de restitut. dicto 10. Et idem dicent, qui videntur velle, bona Ecclesiæ data esse beneficiariis cum onere iustitiæ, piè erogandi superflua. Quod videtur velle Binsfeldius in Enchiridio 4. p. cap. 13. Ioannes Macherentinus ad c. 5. libri secundi Saluiani ad Eccles. concl. 11. annotatione 7.

6. Verùm sententiam nostram non minùs idonei Autores confirmant, nominatim S. Thomas 2.2.q.185.art.7. & quodl. 6. art. 12. Corduba. l. 1. q. 18. *ante primam propositionem*, Bannes 2.2.q.32.art.6.dub.vlt.conclus.4. Sarmientus in cap. *Si priuatum* 12. q. 1. & cap. *nulli* 12. q. 5. Mol. Iurisperitus alios multos adducens l.2. de primog cap. 10. num. 52. Mol. Theol. tract. 2. de Iust. d. 144. Vasq. Opusc. de red. Eccles. cap. 1. num. 27. Marsilius Columna in Opere de origine

gine & iure redituum Ecclesiasticorum, parte 3. cap. 22. Malderus tract. 1. de Iust. cap. 4. dub. 8. Reginaldus l. 30. tract. 3. num. 78. Lorca disp. 40. de charit: num. 21. & Lessius cap. 4. de iustitia num. 43. & 44. Ratio est perspicua ex dictis cap. 1. vbi monstratum est, Clericum esse dominum fructuum sui beneficij, eáque accepisse absque vllo iustitiæ onere, impendendi aliquid in pia opera. Ex eo enim fundamento perspicuè sequitur, quomodocunque Clericus bona sui beneficij superflua dispenset, non peccare contra iustitiam.

7. Ex quo insuper sequitur, neque accipientes, si fortè beneficiarius ea superflua donet; neque ipsum beneficiarium, ad vllam pro superfluis quomodocunque dispensatis restitutionem teneri. Tametsi ad restitutionem, magna verborum seueritate obligat Vlricus apud Carthusianum lib. de pluralit. benefic. art. 11. addens, beneficiarios restitutionem facere debere, non de aliis beneficij sui superfluis, quæ æquè sunt debita pauperibus: sed vel de bonis patrimonialibus, aut quasi patrimonialibus, si quæ habeant: vel certè de illis ipsis beneficij fructibus, quos pro sua sustentatione possent insumere: in quibus vult eos aliquid sibi detrahere, vt habeant vnde sarciant damnum illatum dilapidatione superfluorum. Subscribit Antonius Molina in Sacerd. institut. tract. 2. cap. 16. §. 2. Tametsi solam obligationem charitatis, in superfluis piè erogandis agnoscit. In quo non philosophatur consequenter: quin vbi non est illatum damnum iniustum, nemo obligatur ad restitutionem ratione iniustæ acceptionis. Itaque Vlricus magis consequenter ratiocinatur, quia obligationem iustitiæ, & damnum iniustum illatum censet. Tamen hæc omnia, disiecto fundamento cui Vlricus innititur; euersa manent, vt non sit quod in eis vltra conterendis, opera perdatur.

8. Obiter tamen addo, parum consequenter Vlricum, hanc restitutionem aliis fieri velle, si dispensatio infida superfluorum sit facta in turpes personas, aliis si sit facta in consanguineos, vel potentes, quorum fauorem beneficiarius ambiret. Cum enim superflua turpibus personis sunt erogata, vult Vlricus, vt restitutio in pœnam delicti non fiat ei qui turpiter dedit; sed vt fiat successori beneficiarij, vel potiùs eiusdem loci pauperibus, quibus res Ecclesiæ debentur, cum sunt ministris superfluæ. Cognatos autem & potentes prædictos, vult Vlricus restitutionem facere ei qui dedit, si superstes sit; vel successori, si is qui dedit, iam excessit è vita. Hæc nego dici consequenter. Nam quibuscunque personis facta sit sponte & sine vi erogatio superfluorum beneficij, erogatio est illicita & turpis. Igitur si in pœnam culpæ, cum superflua dantur personis turpibus, restitutio non est facienda ei qui dedit; neque eidem facienda erit, cum personæ non sunt turpes. Item vt cum erogatio liberè facta est in personas non turpes, expectetur successor, eique reseruetur restitutio, non potest moraliter fieri. Quid si enim beneficiarius sit admodùm iuuenis, donatarius verò sit capularis senex, parúmque absit à feretro? Nullum porrò ius est successori, in ea quæ tempore antecessoris sunt percepta è beneficio. Itaque varietas illa personarum quibus facienda sit restitutio, falsò & absque fundamento inuecta est,

Ex hoc puncto liquet, parum æquas esse leges illas, quibus beneficiarij nulla præuia conuentione, obligantur de nouo ad impendendam ex iustitia cer-

tam redituum partem in pauperes, vendicatam absque eorum voluntate in talem finem; quam de mixtura portionis pauperum, cum portione beneficiarij nulla sit idonea suspicio. Latè in hanc rem Soto l.10.q.4.art.3.& Bannes 2.2. q.32.art.6.dub. vltimo concl.6.

Obligatio charitatis aut pietatis, Beneficiario iniecta, ad piè eroganda superflua.

9. VEnio ad aliam obligationem, quam vocabam charitatis: quia ordinaria & frequentior materia, in quam insumi debent superflua beneficij, ex sensu proborum, est eleemosina in pauperes, quam inducit charitas siue misericordia. Nolim tamen hanc beneficiariorum obligationem, distinctam ab obligatione iustitiæ, arctari ad solam eleemosinam in pauperes: sed seclusis grauibus pauperum necessitatibus, quæ proportione æquè vrgerent laicos ad eroganda superflua in pauperes, potiùs quàm in alia pia opera existimo liberum esse beneficiariis, superflua impendere in quoscunque volent pios vsus, quos charitas in proximum non mandet; sed vel regio, vel alia virtus Clericum decens. Itaque si modus receptus loquendi id ferret, malim hanc secundam obligationem nominari *pietatis*, pro vt hoc nomen ad omnia pia opera fundi potest, quàm *misericordiæ*, aut *charitatis*, ad quam reuera siue ex Ecclesiæ, siue ex fundatorum mente, arctari oportere obligationem beneficiarij ad eroganda superflua, nihil est quod suadeat. Quid si enim non adessent in loco beneficij pauperes, in quos prudenter distribui possent superflua, sed vel omnes essent satis instructi à domesticis facultatibus, vel essent validi, quorum segnitiem fouere par non esset? Ad mittendas verò eleemosinas extra locum beneficij, nemo cum fundamento obligarit beneficiarium; siue spectetur mens fundatorum, siue naturalis æquitas, quæ fert, ibi effundi quæ inde sunt percepta. Itaque vocetur sanè hæc obligatio charitatis, quia est frequentior & vulgatior materia; ne tamen ita astringatur ad eam partialem materiam, vt seclusis iis necessitatibus, quæ æquè vrgerent Laicos ad sua superfla in hunc potiùs modum quàm aliter dispensanda, fas esse non possit beneficiario, pro voluntate impendere sibi superflua in alios pios vsus, ad quamcunque aliam virtutem Clerico consentaneam pertinentes. Et ita rectè Nauarrus tract. de redit. quæst. 1. mon. 20. num. 2. cum Sancto Thoma quem profert, itémque monito 26.

10. Sed dimissa qualitate (vt sic dicam,) honestatis in hac obligatione elucentis, & dimissa item virtute ad quam illa obligatio referenda est, satagere potiùs oportet de ea obligatione stabilienda, qualiscunque sit. Multi enim beneficiarij, nullam talem obligationem videntur agnoscere; quandoquidem constat, plerosque pinguia beneficia possidentes, & multa suæ sustentationi superflua inde colligentes, vix vnquam plus aliquid in pia opera nisi quatenus ex iustitia astringuntur, impendere, quàm faciant Laici è bonis per industriam partis aut patrimonialibus. Monstrandum igitur est, talem aliquam grauem obligationem, ab obligatione iustitiæ contradistinctam, reperiri; qua beneficiarius astringatur bona suæ sustentationi superflua expendere. Quanquam volo eam obligationem iniicere quoad omnia planè superflua, sed tantùm quoad

ea

quæ ita residua sunt sustentationi, vt beneficiarius nullum præterea ius aliunde oriundum ad ea habeat. Nam si aliunde ad ea ius habeat, vel si non sint reuera sustentationi honestæ ac decenti superflua; sed tantùm superent ob parcitatem beneficiarij, alia erit eorum ratio; nec erit cur, ex graui obligatione pietatis sint in vsus pios conuertenda.

11. Exemplum prioris euentus est, quod suppeditant Maior in 4.d. 24.q.17. Couar. cap. *cum in officiis*, de testam.num.1 *in fine*. Nauar.q.1.de reditibus, monito 29.num.2.& mon.43.ac 44.Mol.tract.2.d.144.& 145. Ægid.disp. 27. de actibus supern. num. 197. si labores beneficiarij notabiliter excedant quod ei deberetur titulo honestæ sustentionis; sitque reuera ampliori mercede dignus; tunc incrementum quod illi hoc titulo maioris vtilitatis in Ecclesiam collatæ dabitur, tametsi excedat iustam sustentationem, non erit tamen ex necessitate impendendum in pia opera: sed fas erit beneficiario, de eo incremento disponere in alios vsus. Quod malè negat Lorca d. 40. de charit. num. 43. Reuera enim quoad huiusmodi materiam, deficit ratio quoad purè superflua postea assignanda ex origine fructuum beneficij. Simile exemplum eiusdem prioris euentus, sunt distributiones. De eis enim posset disponi vt de bonis quasi patrimonialibus, dicitur in Dialogo Gul. Par. de sacr. c.18.*pag.65*. monstrátque cum Nauarro & multis Iurisperitis Binsfeldius 4.p.cap.13.concl.3.

Exemplum euentus posterioris supra propositi, approbant Nauar. tract. de red.it.q.1.monito 26. Mol. d. illa 145. Soto l. 1.de Iust.q.4.art. 4. Molina Iurisperitus l.2. de primogeniis cap.10.num.50. Lessius l. de Iustitia c.4.num. 39.& ratio est, quia cum posset eos fructus titulo sustentationis licitè consumere; non est quod ea seueritas qua secum vsus est, parcius vtens bonis beneficij, quam iure posset, noua illum obligatione illaqueet. Ea quippè tota quantitas quæ honestæ sustentationi respondisset, nisi parcè agere voluisset, erat beneficiario debita ex iustitia: nec est ex ea bonorum sacrorum parte, quam postea dicemus, ex mente ac spe fundatorum, debere in alia pia extra ministri sustentationem impendi. Itaque his euentibus sepositis, agendum duntaxat est de illis fructibus beneficij superfluis, quæ beneficiarius nullo tali titulo vendicare sibi possit: videndúmque an astringatur graui obligatione, distincta ab obligatione iustitiæ, ad impendendum tales fructus sustentationi suæ superfluos, in pios vsus.

Stabilitur Doctorum & Canonum autoritate.

12. EAm ergo obligationem, agnoscit in primis Diuus Thomas quodl.6. art. 12.& 2.2.q.185.art.7. vbi perspicuè & disertè agnoscit, beneficiarium peccare mortaliter, si in materia notabili, infideliter dispenset superflua sui beneficij. Quod colligit ex Matth. 24. vbi dispensator infidelis, qui bona sibi commissa prodegerat cum ebriosis, dicitur diuidendus à domino, partem eius cum hypocritis posituro. Eandem grauem obligationem, admittunt communiter alij Doctores, cùm Theologi & Summistæ, tum Iurisperiti. Inter Scholasticos distinctiùs & expressiùs id tradunt Bannes 2.2.q.32.art.6.dub.vltimo. Malderus tract.1.de Iust.c.4.dub.8.assert.3. Ludou.

l.1. q. 18. propositione 1. & 2. Ægid. de Coninch. de actibus supern. disp. 27. num. 192. Iacobus Granado, 2.2. contro. 3. Tractatu 11. disput. 3. num. 21. Mich. Med. l. 7. paræn. c. 1. *cum de opitulationibus*, Bellar. de gemitu columbæ l. 2. c. 5. *sub finem*, & in Admonitione Episcopi controu. 8. Inter Summistas & Morales, eadem sententia est longè communissima. Nominatim verò ita docent Reginaldus l. 30. praxeos tract. 3. num. 78. & seqq. Azor. Tomo 2. l. 12. q. 1. Castro disp. 2. de charit. puncto 5. num. 6. (qui notat esse ferè omnium sententiam); Filliucij Continuator Tractatu de beneficiis cap. 6. num. 40. Caietanus in summa v. *Beneficium* 2. Petrus Soto in instit. Sacerd. 2. p. lect. 3. tit. *de bonis Ecclesiasticis*; Omnino neruosè & grauiter, Anto. Molina. Carthus. tract. 2. instruct. Sacerd. c. 15. & 16. Iurisperiti in hoc puncto luculenter versati, multi sunt, sed præsertim Nauarrus Tractatu de reddit. Ecclesiasticis q. 1. monito 20. & seqq. & rursus à monito 48. Binsfeld. in Enchir. parte 4. c. 13. conclus. 9. Denique nemo planè Doctorum dissentit, siue inter Theologos Scholasticos, siue Morales, siue inter Iurisperitos; ita vt quamuis iampridem lites & dissidia efferbuerint inter Doctores, quoad dominium fructuum superfluorum, sítne penes beneficiarios, an penes alios; tamen quoad peccatum graue in dispensatione superfluorum, aliter quàm ad pios vsus, nemo planè, planè inquam nemo dissentiat. Nam Sarmiento, cui Nauarrus monito illo 48. contrarium tribuit, reuera quoad hoc non dissentit: sed tantùm quoad dominium redituum, & obligationem restitutionis, vt benè notauit Anto. Molin. in instruct. Sacerd. tract. 2. cap. 15. §. 2.

13. Induxere torrentem Doctorum in hanc sententiam, in primis varij Canones, & grauissimorum Patrum oracula. Ex Canonibus, considerandum in primis est cap. *quia tua*, 12. q. 1. vbi de eo quod Clericorum sustentationi ex Ecclesiæ fructibus superest, sic decernitur. [Omne quod superest necessitatibus, in causis piis, & religiosis erogandum est.] Item cap. *Res Ecclesiæ* 12. q. 1. Vrbanus Papa grauissimè admonet, vt res Ecclesiæ non in alios vsus, quàm in sustentationem Clericorum, & vsum pauperum dispensentur. Similia habentur cap. *quoniam quicquid*, 10. q. 1. & cap. *quod autem*, 23. q. 7. Apud Clementem Constit. c. 24. & 35. Sacerdotes percipientes fructus Ecclesiasticos ex decimis vel oblationibus, dicuntur constituti vt Oeconomi: & iuxta phrasim Apostoli, benè à Turriano epistola de reditibus num. 4. expensam, vt *actores*, id est, vt procuratores pauperum pro quibus administrent bona Ecclesiastica sibi concredita. Item ferunt locutiones illæ in Canonibus frequentes, quibus bona Ecclesiastica dicuntur res pauperum. Non quod reuera non sint primariè addicta sustentandis sacris ministris; (id enim non potest esse dubium, & optimè traditur ab Innocentio in cap. *cum ab omni*, de vita & honest. Clericor.) sed quod quæ sustentationi superflua fuerint, debeant in pauperes & in alia pia opera erogari. Grauissimè idipsum traditur cap. *Apostolica*, 12. q. 2. ex sexta Synodo. necnon cap. *decima*, 16. q. 1. Et crebrò dist. 42. & 44. Denique tota causa 12. multa in hanc rem vbinis occurrunt insignia, quæ exactissimè vrget Nauarrus in Tractatione de reditibus Ecclesiasticis. Concinnunt his canonibus, decreta Conciliorum iisdem locis adducta, & in plerisque Græcorum Canonibus (vt Turrianus epist. de redit. Eccles. num. 2. egregiè obseruat,) donata à fidelibus

à fidelibus ad sustentationem Sacerdotum, non dicuntur *dona*, quæ dantur etiam habenti, sed *domata*, quæ dantur tantùm indigenti; ita vt inde habeat vnde sustentetur, non autem superflua, vt S. Maximus in qq. & respo nsio... Thalassium, vim illius verbi expendens, annotauit. Præclarè idem trad... Tridentino sess. 25. cap. 1. de reform.

Suffragium SS. Patrum.

14. MVlta quoque ex Patribus in hanc rem deflorauit Gratianus, quorum aliqua locis prædictis continentur. Insigne est illud Hieronymi in cap. 3. Michææ [Tibi ô Sacerdos, de altari viuere, non luxuriari permittitur. Luxuriatur autem, (iuxta vim vocis latè ab Erasmo expensam, ad illud Apostoli, *nolite inebriari vino, in quo est luxuria,*) quisquis in luxum & superfluas impensas effunditur. S. Ambrosius 1. off. cap. 3. grauiter commendat sacro ministro, vt de iis facultatibus quas ex ministerio colligit, cognatos ditare non sit sollitus : sed quæ superflua habebit, sic dispenset, vt pretio miserationis peccata sua redimat, & id contemnenti exitium imminere ac fraudationem mercedis æternæ vitæ, contestatur. Disertissimè & explicatissimè quod hîc intendimus, tradit Pseudo-Augustinus serm. 37. ad fratres in eremo. Qui Autor tametsi non est Augustinus, nisi mimicus & vmbraticus; tamen est valdè antiquus, cum allegetur in Concilio Aquisgran. celebrato anno 836. sub Ludouico Pio cap. 112. & 113. Eamque antiquitatem confirmant, quæ proferunt Ambrosius Coriolanus in defensione Eremitarum Sancti Augustini veritate 7. Basil. Poncius 7. de matrimo. c. 1. à num. 6. Quanquam contendunt germanum eorum sermonum parentem, esse Diuum Augustinum, falsum puto, & rectè euerti videtur à Pennoto l. 1. histor. Cano. regul. c. 30. & 32. Vt vt sit, autor est antiquus, & sensum suo tempore vigentem prodit; affirmans beneficium non debere differre dare pauperibus, quæ ei à victu & vestitu supersunt, quia omnia pauperum sunt. Genuinus Augustinus præclarè idipsum tradidit episto. 50. Insigniter quoque S. Basil. in cap. 3. Esaiæ, qui hoc esse ait, quod ibi dicitur, *rapina pauperis in domibus vestris.* Nam bona Ecclesiasticis collata, cum ad refocillandos pauperes, si Ecclesiastico superent, sint data; non retinentur ab eo absque rapina, vt ibi Basilius philosophatur, & optimè quoque in epistola ad Iulianum Apostatam. Benè quoque ad citatum Isaiæ locum S. Hieronymus. Querelas pauperum in Dei iudicio, aduersùs huiusmodi beneficiarios, exhibet Isido. Pelus. l. 3. epist. 216.

15. Tradit idipsum fortissimè ac vehementissimè S. Bernardus, breuiter epistola ad Fulconem. [Quicquid præter necessarium victum, ac simplicem vestitum de altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.] In declamat. ad Clericos, post multa in beneficiarios malè implentes ministerium, subdit. [Sed esto, studiosè quis & fructuosè laboret : dignus planè est operarius mercede sua; vt qui altario seruit, de altario viuat. Viuat, inquam, de altario; vt iuxta eundem Apostolum alimenta & quibus tegatur habens, his contentus sit. Tertium ei hoc periculum est. *De altario*, inquit, *viuat* : non superbiat, non luxurietur, denique non ditetur, nec contra sancti cuiusdam planè

.nm ad iactantiam, pompásque mendacij exornat, immò deturpat; non sola Ecclesia, cui ipse præest, sed & omnes qui morum illius fœditatem cognoscunt, ad murmurationem derogationémque contra eiusmodi Rectorem excitantur.] Optimus omninò ac illuminatissimus spiritualis vitæ Magister Gerardus Groot, vulgò & meritò dictus *Gerardus Magnus*, referente Carthusiano l. de pluralit. benefic. art. 16. apertissime tradidit sententiam quam proposuimus, cui idem Carthusianus magnæ & vir sanctimoniæ atque doctrinæ, cùm eo loco astipulatur, tum aliàs frequentissimè.

Firmamentum rationis.

17. AVtoritati suffragatur ratio, quæ inde ducenda est, quod cùm reditus sacri nihil aliud sint quàm eleemosinæ aut oblationes fidelium, quas illi propter Dei amorem in sacros ministros liberaliter contulerunt, dubitari non potest quin mens eorum tulerit, vt hæc bona quatenus sustentationi ministrorum quibus principaliter addicuntur, superflua esse possent, ritè & piè expenderentur. Nam quamuis non sub eo onere ex pacto, ex iustitia vrgente, sua bona contulerint; nec ab Ecclesia cum tali onere accepta sit eorum donatio; tamen perspicuum est contulisse in eum finem, vt inde ministri alerentur, & diuinus cultus ac pietatis opera promouerentur. Stultè enim egissent, si aliter profudissent suas facultates, quod par non est de eis sentire, Nec duntaxat in eum finem dederunt suas facultates, sed etiam cum ea spe; quam illis & vsus proborum beneficiariorum quorum semper fuit in Ecclesia specimen diuinitùs prouisum ad aliorum informationem: & bonorum Deo iam dicatorum veluti sanctitas, ingenerauit. Quod enim ob amorem Christi pauperis & nudi ad crucem suffixi, sua bona in Christi ministros contulissent; conspexerunt sua bona iam non vt purè terrenas facultates, sed vt patrimonium Christi, & merces eius sanguine perfusas. Itaque plane sibi persuadere potuerunt, & omninò sperarunt fore, vt facultates tam sacræ & adeò pretiosæ, non nisi in pios vsus expenderentur. Infixitque persuasionem, tam iteratum tamque seriò inculcatum, & neminem latens Ecclesiæ decretum, de bonis beneficiariorum sustentationi superfluis, in pios vsus erogandis: cui tam sancto mandato non refragaturos homines Deo dicatos, meritò censuerunt prædicti beneficiorum fundatores & benefactores. Hanc ergo eorum intentionem, & spem etiamsi nullo iustitiæ onere firmatam, frustrari & cassam reddere, grauem deformitatem continet. Est enim notabilis occasio euertendi homines ab oblationibus Domini, si videant quæ alij obtulerunt non bene expendi. Item elucet in eo agendi modo, abusio non parua bonorum quæ sanguis Christi peperit: quod sufficit ad grauem noxam, de tot prudentum quot supra retulimus communissima sententia: cui velle suum iudicium anteponere, non satis sani hominis sit, nec satis saluti suæ consulentis, in re tam lubrica.

Arcta Beneficiariorum obligatio ad eleemosinam.

18. ET hinc quoque, recte Doctores, in Tractatione de eleemosina & charitate passim inferunt, quàm arcto vinculo Clerici beneficiarij præ laicis teneantur, ad eleemosinas de sibi superfluis erogandas. Vrget hoc egregie Saluianus 2. ad Eccles. cap. 5. & Bernardus in declamat ad Clericos infra adducendus c. sequenti, cum de ornatu equorum beneficiarij: Optime item contrarium multorum studium deplorat s. 10. in Cant. [Quanti hodie (inquit) secùs affectos se ostendunt; de his dico qui animas regere susceperunt! Quod enim sine miserabili gemitu dicendum non est, Christi opprobria, scuta, flagella, clauos, lanceam, crucem, & mortem; hæc omnia in fornace auaritiæ conflant & profligant in acquisitionem turpis quæstus: & pretium vniuersitatis, suis marsupiis includere festinant: Hoc solo sane à Iuda Scariothe differentes, quòd ille horum omne emolumentum, donariorum numero compensauit: isti voraciori ingluuie lucrorum, infinitas exigunt pecunias. His insatiabili desiderio inhiant, pro his ne amittant, timent; & cum amittunt, dolent: harum in amore quiescunt, quantum duntaxat liberum eis est à seruandi vel augmentandi cura. Animarum nec reputatur casus, nec salus. Non sunt profectò fratres, qui cum sint de Crucifixi patrimonio nimium incrassati, impinguati, dilatati, non compatiuntur super contritione Ioseph.]

19. Latè quoque ac neruose idem vrget Laurent. Iustin. l. de compunct. & complanctu Christ. perfect. [Patres (inquit,) pauperum esse recusant, quoniam indigentium substantiam attribuunt sibi. O quanta abusio est, Christi ditari diuitiis, & Christo velle nil tradere. Nónne thesauri Christi, sunt facultate Ecclesiæ? Vnde temporalia Ecclesiits sunt prærogata stipendia? Nónne propter Christum? Nónne vt Christi pauperibus erogentur? Noli igitur tu qui præsides, retinere quòd alienum est, ne furti reprehendaris in causa. Noli, inquam, inutiliter & prodigè dispensare, quod sibi Christi charitas concessit ad tempus. Paris namque periculi est, facultates recondere, & erogare prodigè. Clamabit contra te pauperum nuditas, fames, sitis, calamitatésque cæteræ, quibus congruè poteras opem dare. Scito te debitorem omnium facultatum esse, quæ honesto victui tuo supersunt. Quod enim recondis in sacculo, rubigo consumet in testimonium contra te. *Nolite* (ait, veritas) *thesaurizare vobis thesauros id terra, vbi arugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furantur: sed thesaurizate vobis thesauros in cœlo, vbi neque arugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur.* Absurdum maximè est, Ecclesiarum Prælatos erga inopes tenaces esse, quùm Apostolico sublimati sint gradu. Nempe si diuitibus seculi, Paulus Timotheo scribens præcipit, illos facilè tribuere, communicare, thesaurizaréque fundamentum bonum, vt vitam æternam apprehendant, quantò magis Apostolicis viris, qui amore cælestis patriæ, terrenorum omnium debent habere contemptum? Cæterùm si pro proximorum salute, animam suam dare tenentur, cur non magis temporalem substantiam, quæ ad illorum non pertinet alimoniam? *Date eleemosinam* (inquit diuinus sermo,) *& ecce omnia munda sunt vobis.* Quomodò (oro,) subditis,

ris, prout debent, poterunt suadere, vt pauperibus impertiantur alimoniam, si ipsi immisericordes extiterint?

20. Idem lib. de Instit. & regim Prælat. cap. 4. *in fine*. [De temporalium verò administratione quid memorem? Nam ouium Christi pastores, terrenarum vtique sunt dispensatores facultatum, quas viui tribuunt cum pietate; defuncti autem reliquerunt pauperibus erogandas, vt exinde aliquod suffragium consequi possent. Clamant igitur pauperes aduersùs dispensatores malos, ostendúntque Domino nuditatem suam, alimentorum inopiam, frigoris afflictionem, calamitates plurimas, & in excelso in auribus diuinæ iustitiæ, quin ascendant illorum voces, nemo dubitet. Vociferantur pariter defuncti, sitibundè spectantes orationum refrigeria egenorum, quibus impertiendæ sunt eleemosinæ: quæ profectò quùm minimè sentiant, querelantur coram Deo, ad exterminium Ecclesiasticas dispergentium facultates. Hinc summoperè animaduertendum est, quàm sit odibile Deo, fraternáque dilectioni contrarium, nec non Præsulibus perniciosum, temporales redditus habere opulentos, & ipsos clausis visceribus pietatis tenaciter possidere, qui sibi de redemptione captiuorum, de pupillorum sustentatione, de miseriis inopum & infirmorum necessitatibus, potuissent coronam gloriæ, ac perpetuæ immortalitatis, intexere.] En quàm arctè, eleemosinarum studium beneficiariis commendat Iustinianus.

21. Idipsum etiam Ecclesia beneficiariis innotescere voluit, (vt optimè aduertit Nauarrus tract. de reditibus Eccles. quæst. 3. monito 1.) cum concessa beneficiariis facultate disponendi de superfluis suis per donationem inter viuos, negauit tamen illis facultatem de iisdem bonis testamentum condendi, etiam ad pia opera; eaque bona pro locorum varietate, si à beneficiario moriente relinquantur, vel successori, vel cameræ Apostolicæ tanquam spolia adiudicauit, vt latè explicat Mol. tract. 2. d. 147. & Nauarrus in Commentario de spoliis, necnon Sopranus Opusculo eiusdem argumenti: vt scilicet beneficiarij assuescerent dum viuunt, erogare sua superflua in vsus pios, & nominatim in eleemosinas, quorum vix vnquam deest opportunitas. In eundem quoque finem, constitutum est, vt si quæ bona è reditibus beneficiariorum compararentur, pertineant ad Ecclesiam, vt cum Sarmiento notauit Vasques Opusc. de redit. cap. 1. n. 61. & Nauarrus commentario de spoliis Clericorum §. 1. numero 4. vt scilicet beneficiarij, eo promptiùs censum beneficiorum conuerterent in pium vsum, cum cernerent si vrgente auaritia parci essent sacrorum reddituum, fore vt quæ inde comparassent, non essent in libera ipsorum dispositione, sed aliis cederent, quibus laboratum forte nollent. Sunt igitur hi quasi stimuli, ad vrgendos beneficiarios, vt ea alacriùs præstent, ad quæ iure naturæ, supposita origine bonorum queis potiuntur, astricti sunt præ laicis, ad impendenda ea bona in pios vsus, & quod congruentissimum frequentissimè est, in eleemosinas.

22. Quod intelligo, etiam extra euentum extraordinariæ & grauis necessitatis proximorum. His quippe vrgentibus, certum est; beneficiarios etiam quæ ad sustentationem suam paulò diffusioribus finibus supra circumscrip-

tam pertinent, arctare debere, vt supra monuimus, cum Molina tract. 2. de Iust. disp. 145. Et parcitas contraria in illis circunstantiis, crudelitate sorderet Dei vindicem manum, prouocante, qualem expertum esse Hattonem Moguntinum à muribus cateruatim diu noctúque inuasum, & tandem in media Rheni turre deuoratum, scribit Munsterus l. 3. Cosmographiæ *pag* 486. *&* 493. (quanquam Sigebertus in Chron. anno 918. aliter eum periisse scribit.) Similia iis quæ de Hattone, scribit anno 1074. de vno Scytha Prol. Lucens. in annal. Et idem Munsterus de Vvilderoflo Argentinensi, qui viuebat anno 997. addens *pag.* 506. peregrinationem, & pœnitentiam fratris Heriberti Coloniensis ob auaritiam in pauperes. Seueriùs igitur arctandi sunt præcepto misericordiæ beneficiarij, cum proximi premuntur grauibus necessitatibus.

Sed etiamsi proximus grauibus illis incommodis non prematur, arctior erogandæ eleemosinæ obligatio, (per se loquendo,) vrget beneficiarios quàm laicos, ratione status & originis bonorum quæ possident, vt benè philosophatur Castro disp. 2. de charit. punct. 5. Et debere similiter beneficiarios, non item laicos, ex præceptos eleemosinas suas facere publicè, vt sint exemplo, latè prosequitur Gerso 2. p. tract. de Temperantia in cibo, potu, & vestitu prælatorum, *ante medium*; & latè quoque ac neruosè Bannes 2. 2. q. 32. art. 6. dub. vlt. conclus. 1. quoad Episcopos. Idem proportione extendens ad parochos, & alios beneficiarios conclus. 6. Non posse certè Ecclesiasticos è bonis beneficiorum, (sicut possunt,) statum mutare è suis superfluis, constans ast Doctorum sententia.

23. Quinetiam quamuis Laici non teneantur conquirere egenos, sed abundè numeri suo satisfaciant, si superflua erogent in egenos qui occurrerint; beneficiarios tamen teneri pauperes inquirere, vt in eos effundant quæ ex beneficij reditibus suæ sustentationi supererunt, affirmant Vasques l. de eleemos. cap. 4. num. 14. & Lorca d. 40. de Charit. num. 34. & cum magna contestationne Bannes 2. 2. quæst. 32. art. 6. dub. vlt. concl. 7. Subscribunt Ægid de actibus supern. disp. 27. num. 193. & Reginaldus l. 30. tract. 3. numero 88. dummodò agatur de Pastoribus. De aliis autem beneficiariis, rectè Ægidius & Reginaldus eos exoluunt tali obligatione. Et vere rarum est, vt non occurrant egeni, in quos superflua effundantur. Quare grauare beneficiarios non Pastores, onere inquirendi anxie pauperes, erga quos misericordiam exerceant; non videtur necessarium, satisve fundatum. Sat itaque esto, arctiorem beneficiariorum obligationem ad eleemosinas in communibus necessitatibus, per se loquendo, (id est, nisi in alia pia opera impendant superflua,) ad modum prædictum admittere; consequenter ad originem bonorum beneficio adiunctorum, & originem eorundem, cui inædificabamus grauem obligationem beneficiarij, ad extendenda superflua in pios vsus.

Vana-

Vana erogatio superfluorum, potest esse tantùm leuiter noxia. Idem de ea, & de retentione tenaciore, iudicium.

24. NEque tamen grauis illa obligatio sic intelligenda est, vt graui culpa se contaminasse censendus sit beneficiarius, si in quantumlibet exigua quantitate, res superfluas suæ sustentationi vanè erogauerit. Vt enim bene notauit S. Thomas 2.2. q. 185. art. 7. cum latitudo aliqua sit in sustentatione honesta, potest facile quis ratione bonæ fidei, excusari ab aliqua superfluorum expensione in vsus minime malos, tametsi nequaquam pios. Et quamuis clare constaret, quæ sic expenderentur esse ex superfluis; tamen mens fundatorum & Ecclesiæ nequaquam fuit, agere cum beneficiariis tanto cum rigore, vt quæcunque superfluorum in fines non pios erogatio, sit lethaliter mala & grauis. Itaque notant passim Doctores, eam summam quæ sufficiens esset ad constituendum mortale peccatum furti, si surriperetur à plebeio, non esse idoneam mortalis culpæ materiam, si superflua sit beneficiario, nec ab eo pie expendatur. Ita Ægid. disp. illa 27. num. 193. Necesse igitur est, materiam superfluam ob quam beneficiarius eam non pie expendens incurrit mortale peccatum, esse materiam notabilem; ita vt non sit prorsus exigua pars, præ tota summa redituum. Meritò tamen grauis materia censeretur, tertia, & quarta pars census beneficij, quam proinde qui in profanos & non pios vsus expendederet, mortalis culpæ reus esset.

25. Cœterùm quicquid hactenus dictum est de erogatione superfluorum in vsus profanos, æquè dici debet de eorum retentione per beneficiarium. Neque enim solùm beneficiario turpe est, superflua prodigere in vsus non pios, sed etiam ea asseruare. In quo multos miserè viuentes valdè decipi, pulchrè notauit Nauar. Tract. de redit. q. 1. monito 24. Neque enim aduertunt, non tam prohiberi prodigos sumptus ex huiusmodi bonis, quàm præcipi eorum erogationem in vsus pios. Quæ est aperta mens Sancti Thomæ 2.2. q. 119. art. 3. ad 1, Hinc verò concludit Corduba l. 1. q. 18. propositione 2. *versic. igitur*, beneficiarium qui non habet veram & efficacem intentionem, superflua sua, ante mortem & in morte erogandi in pios vsus, peccare mortaliter, etiamsi non intendat ea malè expendere.

Eroganda igitur sunt hæc bona: Prudentiam tamen in erogando esse valdè necessariam homini Ecclesiastico, egregiè docuit his verbis Orig. tract. 31. in Matth. [Opus habemus, vt fideles simus pariter & prudentes ad dispensandos ecclesiæ redditus: fideles quidem, vt non deuoremus quæ sunt viduarum, & vt memores simus pauperum; & occasionem accipientes ex eo quod scriptum est, *Dominus constituit his qui Euangelium prædicant, de Euangelio viuere*, amplius quæramus cibo simplici, & necessariis vestimentis: vt ne amplius teneamus nobis, quæ demus esurientientibus fratribus, & sitientibus atque nudis, & eis qui necessitatem patiuntur in secularibus curis. Prudentes autem, vt vnicuique secundùm dignitatem vniuscuiusque subministremus, recordantes quod dictum est; *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem.* Non enim simpliciter de rebus Ecclesiasticis dare oportet, vt vnum hoc obseruemus, vt

ne quæ pauperum sunt deuoremus, aut furtum faciamus de eis: sed vt prudenter ntelligamus indigentium causas, propter quas sunt indigentes: & vniuscuiusque dignitatem quomodò educatus est, quantum necessarium habet, vel propter quam causam indiget. Non ergo similiter est agendum in eis qui ab infantia duriter sunt educati & strictè, & in eis qui largè & deliciosè nutriti sunt, & postea ceciderunt. Nec eadem sunt ministranda viris & mulieribus; aut multùm senibus, & iuuenibus; aut iuuenibus quidem & debilibus qui prorsus non possunt sibi acquirere escas, & eis qui vel ex parte possunt sibi succurrere. Requirendum est autem, & si multos habeant natos, non negligentes; sed omnia facientes, & non sibi sufficienter occurrentes. Et ne plura dicamus, multa sapientia opus est, qui vult benè dispensare Ecclesiasticos redditus: vt etiam in istis fidelis & prudens dispensator inuentus, beatus efficiatur.]

CAPVT. QVARTVM.

Quàm graue peccatum sit, censum Beneficij superfluum, erogare in vana Clerico dissentanea; detestabiliúsve in scelera.

GENERATIM constituimus, erogationem notabilem superfluorum beneficij in vsus non pios, esse graue & mortale peccatum. Sed quia omnium mortalium peccatorum non est eadem grauitas, iuuat huius peccati atrocitatem penitiùs scrutari, adhibito Sanctorum Patrum & probatorum virorum iudicio. Verùm quia beneficiarij, superflua sua, aliquando ad suam tantùm voluptatem, & (vt ita dicam,) circa seipsos expendunt: vt scilicet delicientur, vel se ostentent vltra debitam mensuram; aliquando autem, & quidem frequentissime, superflua sua impertiunt consanguineis, in quorum ditationem & euectionem toti sunt; idcirco vt in re tanti momenti omnia dilucidiùs & fortiùs proponantur, seorsim postea agam de erogatione superfluorum in consanguineos. Nunc alterum caput non piæ expensionis superfluorum excutiam, quod rursus subdiuidendum est. Nam quæ beneficiarij ex sibi superfluis malè impendunt; vel profunduntur in vana tantùm, aut quæ ex suo genere iniqua non sunt, solóque excessu improbantur. (Complexus est ea paucis his verbis Laur. Iustinianus l. de instit. & regimine Prælato. c. 4. in *fine*. [Taceo de illis, qui bona pauperum in pompis superfluis, in vanitatibus seculi, in phaleris equorum, in vasis argenteis & deauratis, in vestibus pretiosis, in conuiuiis opulentis, & his similibus quæ moderate tamen congruunt Regibus ac Principibus secularibus.] Vel certe profunduntur in ea quæ ex suo genere sunt detestabilia, putà in scorta, aliáve scelera.

Deprecatio

Deprecatio styli in labes Beneficiariorum, demissi.

p. NEque tamen ista excutere aggredientes, timorem eorum timere debemus, qui beneficiariorum & quorumvis è Clero, turpitudines egendas tegendas potiùs quàm euoluendas contendunt, ne pusillis scandalum ingeneretur, & hostes Ecclesiæ huiusmodi macularum buccinatores & amplificatores assidui, astipulatores habeant in Ecclesia. Adde etiam, ne his memorandis moueantur crabrones, & sine causa pungantur, qui referire paugentes possunt, iure vel iniuria. Id quod Prosper l. 2. de vita contemp. *in præfatione*, cum ad non dissimile argumentum accederet, sibi venisse in mentem, & prope à scribendo auocasse, profitetur. [Ne (inquit) dum in descriptione Ecclesiasticæ vitæ, mores suos, (quos nesciri magis, quàm emendari volunt,) viderint publicari, in me tanquam suorum actuum proditorem, carnaliter commoti desæuiant: atque ea quæ fuerint donante Deo prolata, etsi rationabiliter dicta, diiudicent, à me dici tamen non debuisse contendant; sicque aut materiam disputationis, aut personam disputantis, irrideant.] Non est inquam, quod ista mihi ad hæc probra discutienda venienti, timorem faciant. Nam vt memini dicere in hanc ipsam rem Sanctum Bernardum in declamat. ad Cler. *sub init.* [Si Sanctus est (qui hæc legit) & minimè conscius horum, congratulamur ei; Doleat & ipse nobiscum, in pluribus hæc inueniri. Nec enim reuelamus nunc occulta dedecoris, nec parietem fodimus, vt abominatio maior appareat, *&c.* Manifesta loquimur: & quæ vix aliqui erubescant.] Infruniti videlicet, qui peccatum suum prædicant, & agnitio vultus eorum respondet eis. Pij igitur & boni beneficiarij, quorum numerus est in Ecclesia non exiguus, nihil hinc vel pungi, vel exacerbari poterunt. Imò ad ea cauenda quæ in exlegibus beneficiariis exagitabo, multò magis animabuntur. Mali verò, si sapiant, corripi in misericordia, & increpari ad pœnitentiam grauiter non ferent, exosúmque potiùs habebunt oleum peccatoris, quo fouerentur in sceleribus; & ad atrociorem damnationem disponerentur. Vel si in nequitia obdúruerint, vt sapere ac intelligere & nouissima prouidere prorsus respuerint, non erit quod eorum exacerbationes multùm moremur, qui piis hominibus odibiles sunt, & non placent.

3. Præiuit exemplo S. Bernardus qui epistola 78. scribens ad Sugerium Sancti Dyonisij Abbatem, acturus de noua & execranda (vt vocat,) præsumptione quorundam beneficiariorum, sic habet. [Quam sanè odiosam admodùm nouitatem, & vereor proferre in medium, & prætermittere grauor. Vrget quippè linguam in verba dolor, sed timor ligat. Timor duntaxat ne quem offendam, si palam fecero quod me mouet, quoniam veritas nonnunquam odium parit. Veruntamen de huiusmodi odio, ipsam, quæ parit illud ita me audio consolantem. *Necesse est* (ait) *vt veniant scandala.* Nec me, vt æstimo, tangit omnino quod sequitur: *Væ autem homini illi per quem scandalum venit.* Cum enim carpuntur vitia, & inde scandalum oritur, ipse sibi scandali causa est, qui facit quod argui debeat, nō ille qui arguit. Denique nec cautior sū in verbo, nec circumspectior in sensu, illo qui ait; *vtilius est vt scandalum oriatur, quàm vt ve-*

colorantur nominis falsitate. De quibus Hieremias dicit; *Cleri eorum non prode-runt eis.* Talibus clericis suus non prodest clericatus, quibus non placet religio-si humilitas famulatus, sed extollit pomposi excellentia dominatus.]

6. Inimicos Ecclesiæ, bello eam atrocissimo ac virulentissima peste vastantes pronunciat S. Bernardus. s. 33. in Cant. *in fine*, agens de negotio perambulante in tenebris, post depulsum timorem nocturnum, & sagitam volantem per dié. Quarum malitiarium prima, per patientiã martyrum, secunda per sapientiam sanctorum est eliminata. [En (inquit,) tempora ista libera quidem Deo miserante ab vtraque illa malitia; sed planè fœde à negotio perambulante in tenebris. Væ generationi huic è fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis, si tamen hypocrisis dici debet, quæ iam latere præ abundantia non valet, & præ impudentia non quærit. Serpit hodie putida tabes per omne corpus Ecclesiæ, & quo latiùs, eo desperatiùs; eóque periculosiùs, quo interiùs. Nam si insurgeret apertus inimicus Hæreticus, mitteretur foras, & acesceret. Si violentus inimicus, absconderet se forsitam ab eo. Nunc verò quem eiiciet, aut à quo abscondet se? Omnes amici, & omnes inimici: Omnes necessarij, & omnes aduersarij; omnes domestici, & nulli pacifici; omnes proximi, & omnes quæ sua sunt quærunt. Ministri Christi sunt, & seruiunt Antichristo. Honorati incedunt de bonis Domini qui Domino honorem non deferunt. Inde is quem quotidie vides, meretricius nitor, histrionicus habitus, regius apparatus. Inde aurum in frenis, in sellis & calcaribus, & plùs calcaria quàm altaria surgent. Inde splendidæ mensæ & cibis & scyphis, inde comessationes & ebrietates, inde cithara, & lyra & tibia; inde redundantia torcularia, & promptuaria plena eructantia ex hoc in illud. Inde dolia pigmentaria, inde referta marsupia. Pro huiusmodi, volunt esse & sunt Ecclesiarum Præpositi, Decani, Archidiaconi, Episcopi, Archiepiscopi. Nec enim hæc merito cedunt, sed negotio illi quod perambulat in tenebris. Olim prædictum est, & nunc tempus impletionis aduenit; *Ecce in pace, amaritudo mea amarissima.* Amara priùs in nece martyrum, amarior post in conflictu hæreticorum amarissima nunc in moribus domesticorum. Non fugare, non fugere eos potest, ita inualuerunt & multiplicati sunt super numerum. Intestina & insanabilis est plaga Ecclesiæ, & ideò in pace amaritudo eius amarissima. Sed in qua pace? Et pax est, & non pax est. Pax è paganis, & pax ab Hæreticis, sed non profectò à filiis. Vox plangentis in tempore isto; *Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreurunt me.* Spreuerunt & maculauerunt me à turpi vita, à turpi quæstu, à turpi commercio, à negotio denique perambulante in tenebris.] Hanc esse plerisque Beneficiariis, viam latam ad simoniam, & nundinationem sacrorum, tradit Hildebertus epistola 47. *sub finem.* Hæc Patres illi generatim. Nec aliæ ferè, iam olim fuerunt laicorum de eadem re querelæ. Audiendus nominatim Rex Edgarus agens cum Patribus Synodi anno Christi 970. [Sic, patrimonia Regum, eleemosinæ pauperum, imò quod magis est, illius pretiosi sanguinis pretium profligatur. Ad hoc igitur exhauserunt thesauros suos Patres nostri, ad hoc fiscus Regius distractis redditibus multis detumuit, ad hoc Ecclesiis Christi agros & possessiones Regalis munificẽtia detulit, vt deliciis, clericorũ, meretrices ornentur, luxuriosa conuiuia præparentur, canes & aues ac talia ludicra comparentur. Hoc milites clamant, plebs submurmurat mimi, cantant, & saltant. Et

Et vos negligitis. Vos parcitis. Vos dissimulatis. Vbi gladius Leui, & Zelus Simonis.]

Sed attingamus paulò distinctiùs singula membra primi capitis propositi; mensæ (inquam) lautitias, vestimentorum nitorem, famulorum copiam, supellectilis domesticæ splendorem, equorum iusto exquisitius studium, expensas ludi ac venationis, & quantoperè in his omnibus profusionibus delinquant beneficiarij qui in illis modum excedunt, expendamus. Nec ferè nisi Patrum verbis, vt minùs inuidiosa sit disputatio. Qui plura volet non deerit vbi sitim restinguat, nominatim apud Gersonem 2. p. tract. de Temperantia in cibo, & potu, & vestibus Prælatorum.

Sigillatim, de profusione in epulas.

7. Beneficiarium in ciborum ac mensæ apparatum superflua effundere, probrosum est & indignissimum. Id quod optimè præter cæteros perpendit Gul. Parisi. l. de virtut. cap. 11. [*Sapiunt* (inquit de his bonis) pretium suum, hoc est Christi sanguinem, siue mortem. Morte enim pretiosissima redemptoris, ac sanguine viuifico illius acquisita & empta sunt quodammodò, Sacerdotibus & toti Clero. Vnde & *patrimonium crucifixi* vsualiter nominatur, sic & morte martyrum laboribúsque sanctissimis Confessorum, & Virginum; Propter quod multoties diximus in Sermonibus declamatoriis, omnia huiusmodi rubere sanguine Christi & martyrum, distillare sudorem Confessorum & Virginum. Valet autem iste sapor ad duo: Primùm ad parcimoniam. Dum enim tanto pretio empta cogitantur, parcissime inde nobis sumendum esse non tantum sua soriè suggeritur, sed etiam violenter ingeritur. Secundum est, ad reprimendam lasciuiam & dissolutionem voluptatis. Quis enim non horreat lasciuire in sanguine Christi & martyrum, ad voluptate dissolui in tantis laboribus, sudoribus, atque doloribus omnium sanctorum? Omnia enim hæc, deuotione fidelium, & à Christo reddita sunt meritis sanctorum & à fidelibus oblata.] Tales comedere panem doloris, quippè Christi sanguini & Sanctorum laboribus partum, ait Hugo Card. in Psal. 126. Insignem de hoc argumento disputationem legere licet in Dialogo Palladij de vita S. Chrysostomi, cum purgat sanctum virum ab impacta ei calumnia ob declinatam mensarum lautitiam, & quod solus ederet: quod plerisque vulturibus, neglecta anteriore corruptela ab eo factum, valdè graue fuit.

8. Quantum hinc scandalum existat apud seculares, dum Ecclesiasticorum in hoc genere profusiones animaduertunt, ex ore magni cuiusdam Principis se auditum, scribit Gerso 2. p. tract. de Temperantia in cibo, potu, & vestibus Prælatorum, excusatione prima. Et addit tractans excusationem tertiam, quod monstret minimè debere mirum videri, quod hinc tantoperè scandalum patiantur seculares: *cùm* (vt ait,) *vnum prandium pro replendo ad grauedinem & nauseam, tres aut quatuor ventres, sæpè centum pauperes reficere sufficeret.* Qui huiusmodi sunt, imbelles & Ecclesiæ planè inutiles euadunt, & effœminantur: vt non abs re quod Michæas cap. 2. his verbis habet, *mulieres populi mei, eiecistis de domo deliciarum suarum*; Septuaginta hoc sensu extulerint, *duces populi mei,*

mei, proiicientur de domibus deliciarum suarum, duces habens pro mulieribus, effœminatos pro fœminis. Ad eum locum S. Hieronymus postquàm primò monstrauit, quomodò id de Iudæorum Sacerdotibus accipi possit, addit quod ad rem præsentem facit perbellè. [Sed & Ecclesiæ quoque Principes, qui deliciis affluunt, & inter epulas atque lasciuias pudicitiam seruare se credunt, propheticus sermo describit quod eiiciendi sint de spatiosis domibus, lautísque conuiuiis, & multo labore epulis conquisitis, & eiiciendi propter malas cogitationes & opera sua. Et si vis scire quò eiiciendi sint, Euangelium lege; *In tenebras* scilicet *exteriores, vbi erit fletus & stridor dentium.* An non confusio & ignominia est, Iesum crucifixum, magistrum pauperem atque esurientem, farsis prædicare corporibus, ieiuniorumque doctrinam, rubentes buccas, tumentiáque ora proferre? Si in Apostolorum loco sumus, non solùm sermonem eorum imitemur, sed conuersationem quoque & abstinentiam amplectamur. Sanctum vtique est & Apostolicum ministerium, viduis & pauperibus ministrare. *Non oportet* (inquiunt,) *dimisso verbo Dei, ministrare nos mensis.* At nunc non dico pauperes, non dico fratres, & qui rursum inuitare non possint: ex quibus excepta gratia nihil aliud Episcopalis speret manus, sed militantes, & accinctos gladio, & Iudices excubantibus ante fores suas centurionibus & turmis militum, Christi Sacerdos, inuitat ad prandium. Tota Clerici vrbe discursant, quærunt exhibere Iudicibus, quæ illi in prætoriis suis aut inuenire non possunt; aut certè inuenta non coëmunt.] Pergit vrgens indignitatem qua seculi Magnates parciùs ac tenuius domi suæ, quàm apud viros Ecclesiasticos conuiuantur: de quo item expostulat S. Hieronymus scribens ad Nepotianum, & Bernardus in Apologia ad Gulielmum Abbatem.

9. Non præsto fidem exempli quod à credito Cyrillo Epistola ad Augustinum de laudibus S. Hieronymi exaratum lego. Parænesis tamen quam Autor (qualiscunque demum fuerit,) occasione illius exempli subiicit, est huic negotio opportuna. Testatur ergo Andream Cardinalem, cum in S. Petri ædem tumulandus esset illatus inter iusta defixis stupore omnibus exiluisse, professum, nisi interuenisset deprecator S. Hieronymus qui resurrectionem ad pœnitentiam exorarat, sedem sibi in inferno fuisse paratam ob profusionem in epulas & vestium splendorem iusto nitentiorem. Hinc Autor illud ad sacros beneficiarios monitum eruit.] Multa nos mentis afflictio commouet & contristat, & intellecto quòd quàmplurimi Episcoporum, Deum & Dominum IESVM Christum, cuius vicem gerunt, abnegantes, terrenorum quorum Deus venter est, vestigiis inhærentes, de stipendiis pauperum & sanguine IESV Christi delicatissimus ferculis, cum histrionibus & cœteris diuitibus, suam ventris replent ingluuiem, ad fœditatem luxuriæ incitandam, vestimentorúmque de die in diem superfluitatibus abutuntur: de pauperibus, quorum mercedem raptam manu latrocinij deuorant, fame morientibus & frigore non curantes. Hi certè non Episcopi, sed Diaboli vocandi sunt. Episcopus autem aut sanctissimus, aut diabolicus est. Magni certè meriti est status Episcopalis, sed periculi infiniti. Leuissimum peccatum aliis imputandum; grauissimum Episcopo imputatur. Pontificis etenim vitium, in subditos diffunditur per exemplũ. Maiora recipienti ratio maior crescit. Quot enim ouium Christi vel negligen-

tia Episcopi vel exemplo, in peccata deuiant, de tot tenetur Domino redere rationem. Heu quid Augustine charissime dicam! Graue nobis inest pondus, grauis sarcina. Sed debiles ergo habens humeros, quid portabo? Sunt certè angustiæ mihi vndique me torquentes. At dum graues mihi promptos casus intueor, timore maximo succrescente, continuè affligor & contristor. Securius est Episcopalem statum fugere quàm appetere. Laudo certè Episcopatum tanquam Vicariatum D.N. IESV Christi, sed illos qui in eo vitam agunt militum terrenorum, qui mundi gloriam & pompas appetunt, non collaudo, imò eis consulo vt eum fugiant quantum possunt. Melius certè fuisset eis, cum terrenis vitam agere terrenorum, quàm in Pontificali culmine hoc agentes, ad infima & profundiora loca descendere, tanto præ cœteris cruciandos, quanto præ cœteris plura donaria receperunt. Intelligo enim Episcoporum plurimos potiùs nomen gerere quàm essentiam: potiùs lupos rapaces fore Christi ouium quàm pastores, destructores magis esse Christi Ecclesiæ, quàm rectores: qui Christianorum eleemosinas deprædantes, mercedem pauperum Lupinis faucibus in superfluitatibus ciborum & vestium deuorant & consumunt, quod absurdum est, abominabile, & deflendum. Hæc idcirco dixerim, vt talis abominatio cunctis gentibus innotescat, quatenus si Deum non metuunt, homines verentès, à suis aliqualiter abominationibus retardentur. Audiant quæso hi tales Episcopi quæ narrando proponimus, & saltem aliorum calamitatibus terreantur.]

10. At non omittendus Blesensis, qui Epistola 102. ex persona Abbatis Radingensis, sic in hanc rem scribit. [Quid de hospitalitate dicam? quæ meritò hostilitas potiùs quàm hospitalitas censeretur. Christus enim causam ei non præstat, sed inanis gloriæ obtentus, diuitibus quidem, in hospitio cum honore & reuerentia susceptis, in omni opulentia deliciæ apponuntur de patrimonio Crucifixi. Christus autem semel olim crucifixus in ligno, foris in pauperibus suis crucifigitur & torquetur in luto: in quibus aut nudus omnino, aut in semicinctiis tabescens fame, & frigore tremens, de his quæ interiùs dantur canibus, solatium angustiæ suæ postulat, & non est qui moueatur super contritione Ioseph. Ecce hospitalitas hodierna, in qua diuites ad gloriam Dæmonum, splendidè epulantur: & Christus qui charitas est, contemptu, inedia, & nuditate afficitur. Ego autem oblitus terribilium iudiciorum Dei, & immemor animæ meæ, sed eo tanquam Balthazar in medio conuiuarum, vasis Domini abutens, & patrimonio pauperum ad contumeliam Christi. Interim exeūt de domibus hospitium, Garsiones cibariis onusti & ebrij, vt de superfluitate illorum, pauperibus ingeratur cumulatior doloris & tormenti materia. Sub huius falsæ hospitalitatis prætextu, Vicecomitibus, Forestariis & cæteris Officialibus, aut potiùs Officiperdis hominibus, tanquam Dominis & magistris, omne humanitatis officium exhibemus. Proponetur tamen querela de inofficiso, totámque hospitalitatis gratiam ingratitudo peruertet, nisi Architriclinus vsque ad nauseam & vertiginem capitis, cum hospitibus suis, bibendi bella continuet. Hæc omnia iudicabit, cuius iudicia occulta sunt, & ideò plus timenda. Sumptus tam detestabiles & enormes, non de labore aut patrimonio nostro fiunt, sed de eleemosynis fidelium, de oblationibus atque decimis, &

de

de tributis egentium animarum, de exactionibus & oppressionibus pauperum, de obuentionibus etiam placitorum. Quique in sudore vultus pane nostro vesci debuimus labores miserorum nobis vsurpamus ad delicias; atque in crapula, & ebrietate sudorem bibimus alienum.]

11. Insignem eiusdem locum ex Sermone 12. nefas sit prætermittere. [Sunt etiam (inquit,) qui scripturam contemnunt. Hic timeo patri nostræ. Hi sunt Clerici Ecclesiarum. Nos sanè sacram scripturam legimus, exponimus, approbamus, quia vestit & pascit nos; sed nihil eorum quæ iubet aut parat, opere adimplemus; similes crucibus, quæ in compitis viarum, euntibus viam ostendunt; quasi dicamus, bonum est scripturæ iugum, quod dices, sed non possumus portare modò. Et vt pauca de multis perstringam, bona Ecclesiarum in victum & vestitum concessa, bona, inquam pauperum Christi, in superfluos vsus consumimus. Qui sunt enim qui epulantur quotidie splendidè? Clerici. Qui sunt qui exquisitis aëre, & mari, & terra, vescuntur cibis? Clerici. Qui sunt qui omni tempore pacem & securitatem habentes, in labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellantur? Clerici. Nos itaque falsi fratres Christi sumus: Patrimoniũ enim quasi de iure fraternitatis possidemus: sed quã falsi simus, lippis & tonsoribus patet. Patrimonium enim quod sibi tam gloriosè comparauit, nos gulosè consuminius. Ipse emit illud colaphis & flagellis: & nos cõsumimus illud in cyathis, & scutellis. Ipse in opprobriis & persecutionibus nos in conuiuiis & ebrietatibus. Ipse morte crucis, nos in luxu carnis. Vide quomodò ex opposito respondeat falsitas veritati. Timeo ne cum redierit ille frater noster, qui quasi peregrè modò profectus est, rationem ponat nobiscum super patrimonio nobis credito. Quid autem poterimus dicere? Hoc sanè. Frater nos habuimus omnia tua, nec his contenti fuimus, nec secuti fuimus te: quid ergo erit nobis? Et ipse verè poterit respondere. Mementote fratres, quia recepistis bona in vita vestra, nunc vos recipietis mala. Imò potiùs vereor ne cadat super nos sine misericordia, secundùm Prophetam qui inducit Dominum loquentem ab Angelos de mitigatione pœnarum, & dicentem, nunc misereamini impio, iniqua enim gessit in terra Sanctorum ac si diceret, aliis impiis parcendum est, sed istis non, quia flagitiosa fecerunt in terra sanctorum, quam possederunt.]

Plura iu hanc rem decreta prostant apud Gratianum dist. 44. Omnino verò legenda est Sancti Gregorij ad Natalem Salonitanum Episcopum de hoc argumento epistola. Est 37. libri secundi, De eximio in hac parte Pij V. exemplo, multa testis oculatus Nauarrus Tract. de redit. quæst. 1. monito 45. & optimè quoque de S. Hugone Gratianopolitano Episcopo, Guigo Carthusianus in eius Actis.

12. Reuocari item ad hoc punctum potest cum Palladio, labes alia quorundam Beneficiariorum superflua sui beneficij erogantium in ædificia supra quàm ferat decorum status & personæ. Subnectitur hæc labes ei quæ proximè est proposita, Palladij exemplo., Nam in vita S. Chrysostomi per Dialogum à Palladio conscripta, hæc leguntur post purgationem S. Chrysostomi à calumnia de conuiuiorum declinatione. [Multi ex his qui dicuntur Episcopi, rationabile ipsorum odium, quo morum suorum gratia inuisi sunt, & spiritua-

lium ac diuinarum rerum negligentiam amputare dum volunt, vitium vitio commutant, cupiditatem scilicet vanitate: manu quidem altera turpe lucrum studiosè insectantes, altera verò instruentes mensas & sublimium ædificiorum moles, erigentes; vt ex hoc studio, boni & industrij esse videantur, ac pro ignominia honorem consequamur, Ecclesiastis immemores, qui ista & construxit & odit, atque ea manifestè interdixit, dum scriberet, *Feci mihi domos & pomaria, &c. & ecce omnia vanitas, & odiui omnem laborem meum quo ego laboro sub sole.* Non ait *supra solem*, ne spirituales labores improbaret. Hæc autem dixerim, non vt eos denotem qui probabiliter & necessariò, Ecclesias aut condunt aut reparant: sed illorum causa, qui pauperum opes in hortos pensiles, in aquæ ductus aërios, in communia virorum ac mulierum lauacra parum pudica consumant; siue vt maiores conquirant opes, siue vt ab indignis quibusque diligantur; qui in hoc ipso huiusce studij gratiam reddunt, quod omnia ad voluptatem peccantium faciunt, Gnathones & assentatores nocentissimi. Absit autem vt malis vnquam placere velim. Non enim aliunde illis placere potero, quàm ex his quæ Christo Domino displicent.]

Beneficiarij profusio in vestitum, quàm indigna.

13. IAm quoad vestium nitorem & cultum attinet, extra controuersiam est, pro ratione gradus, & beneficij qualitate, seruandum esse beneficiario decorum; ita vt pannosus cum gradus sui & status probro non incedat, ne deprecietur ministerium. Ideóque etiam nonnullum cultum externum reprehensione vacare debere in maioribus beneficiariis (v. g. Episcopis) rectè notatur in vita Sancti Petri Cælestini cap. 29. Vestimentorum tamen cultum exquisitiorem, captari à beneficiario vltra decorum, & in eum prodigi superflua, & indecorum est, & valdè improbandum. Nominatim, vestem purpuream tanquam iactantiæ mundialis propriam reiicit Concilium Narbonense c. 1. Quod intellige de beneficiariis inferioribus. Nam Cardinales tanquam Pontificiæ supremæ dignitatis assistentes, decet purpura, vt alibi dico. Alios autem aut Clericos aut beneficiarios. non item; quia deficiunt eos causæ quæ locum habent in Cardinalibus. Et præstat, eos honesta vestium simplicitate nitere. Potestque de quouis beneficio asseri, quod à Petro Damiani de Episcopatu dictum est lib. 2. ep. 1. [Non constat Episcopatus in turritis Gebellinorum; transmarinarúmve ferarum pileis, non in flammantibus Martorum submentalibus rosis, non in bractearum circũfluentium phaleris, non denique in glomeratis constipantium militum cuneis, neque in frementibus, ac spumantia fræna mandentibus equis; sed in honestate morũ, & sanctarum exercitatione virtutum.] Eódẽ refero quod ait de Abbate, Opusc. 13. c. 15. [Noli monasterij bona prodigere, nec popularis auræ fauorem proprium, de communi velis vtilitate captare. Si enim credimus, quòd ditantium Ecclesias peccata soluuntur, credendum est etiam proculdubio, quia minuentes, & dilapidantes eas, grauis sacrilegij vinculis innectuntur: & inde sunt isti peccatis obnoxij, vnde reperiuntur illi, peccatorum nexibus absoluti.]

14. S. Bernardi disputatio, in hanc rem validissima est, epistola 42. [Cernitur

nitur (inquit) in nonnullis Sacerdotibus, vestium cultus plurimus; virtutum, aut nullus aut exiguus. Quibus ego si rememorem illud Apostolicum, *Non in veste pretiosa*, vereor ne indignentur: dum nimirum indignum ducant in se assumptam sententiam, quam priùs in viliorem sexum & ordinem prolatam fuisse, recognouerint. Quasi verò non eodem vtantur medici ferro secandis Regibus, quo & popularibus hominibus: aut capiti fiat iniuria, si ipsis forcipibus capilli excrescentes detondeantur, quibus & vnguium fuerint resecata superflua. Attamen si dedignantur pari cum mulierculis, non quidem à me, sed ab Apostolo feriri sententia, dedignentur & cum ipsis eadem inuolui culpa. Despiciant iam textricum, siue pellificum, & non propriis operibus gloriari. Horreant & murium rubricatas pelliculas, quas *gulas* vocant, manibus circundare sacratis, & sacrantibus tremenda mysteria. Respuant & apponere pectori, quod decentiùs ornat gemma sapientiæ. Pudeat & collo circumtexere, quod honestiùs, atque suauiùs Christi iugo submittitur. Non Christi stigmata sunt hæc, quæ isti martyrum exemplo circumferant in corpore suo. Muliebria potiùs esse noscuntur insignia, quæ vtique curiosiùs & sumptuosiùs illæ sibi præparare consueuerunt, cogitantes nimirùm quæ sunt mundi, quomodò placeant viris. Verùm tu Sacerdos Dei altissimi, cui ex his, placere gestis, mundo an Deo? Si mundo, cur Sacerdos? si Deo, cur qualis populus, talis & Sacerdos?] Et mox, referens indignationem conceptam ob ista euulgata. [Etsi ego sileo, ne ponere videar in cœlum os meum, clamatur tamen in Ecclesia, *Non in veste pretiosa*. Clamatur autem specialiter ad fœminas; vt erubescat in se deprehendi Episcopus, quod in fragiliori quoque sexu audierit reprehendi. An fortè nulla timetur confusio, si ego solus submussitare desiero? Nunquid & si ego non loquor; sua cuique non loquitur conscientia?] Idem serm. 33. in Cant. *in fine*, hunc beneficiariorum cultum iusto exquisitiorem, vocat *meretricium nitorem, histrionicum habitum, regium apparatum.*

15. Apud eundē S. Bernardum Episcopus cuius est sermo ad Concilium Remense corā Eugenio, sic conclamat aduersus præcipuos Beneficiarios. [Intuere quomodò incedunt nitidi & ornati, circumamicti varietate, tanquam sponsa procedens de thalamo suo. Nonne si quempiam talium repentè eminùs procedentem aspexeris, sponsam potiùs putabis, quàm sponsæ custodem? Vnde verò hanc illis exuberare æstimes rerum affluentiam, vestium splendorem, mensarum luxuriam, congeriem vasorum & argenteorum & aueorrum, nisi de bonis sponsæ? Inter hæc est quod illa pauper, & inops, & nuda relinquitur, facie miseranda, inculta, hispida, & exanguis. Propter hoc non est hoc tempore ornare sponsam, sed spoliare; non est custodire, sed perdere; non est defendere, sed exponere; non est instruere, sed prostituere, non est pascere gregem Domini, sed mactare & deuorare, dicente Domino de illis, *qui deuorant plebem meam, vt cibum panis*. Et iterum; *Quia comederunt Iacob, & locum eius desolauerunt*. Et in alio Propheta; *Peccata populi comedent*, quasi dicat, peccatorum pretia exigunt, & peccantibus sollicitudinem non impendunt.]

16. Indignissimum verò esse, quod aliqui sacri ministri inde commendari velint, S. Basilius ad illud Isaie 3. *vestimentum tibi est, princeps esto noster*, his verbis tradit. [Præsenti quidem loco, argumentum quod possit gerere principa-

tum, sumitur non ex eo quod animam expoliuerit, sed ab ambitu & cultu vestimentorum. Atqui oremus & nos, vt qui præsunt Ecclesiis, quique duces sunt populi, non quidem testificationem reportent ab externo cultu, aut superinuecto corpori decoro habitu, sed ab ipsa veritate, ita vt dicere possimus: Non quia externus homo tuus decenter adornatus est, & idonee simulachrum hoc pietatis est à te absolutum; quin potiùs quia animam tuam induit Deus, vestimento salutari, & conuestiuit tunica lætitiæ, omnique opum exuberantia magnificauit, iis de causis princeps esto noster; vt per opulentiam penes te reconditam, tum in sermone & sapientia, tum in operibus bonis, tua vnius administratione, ipsi assequamur abundantem copiam spiritualium deliciarum.]

17. Sabinianum è nequissimo Ecclesiastico, impium & detestabilem pseudomonachum, ab hoc nitore vestium & cultus studio, ad horrendam insensibilitatem per turpitudinum monstra perductum, sic describit S. Hieronymus Epistola ad eum.] Hoc plango, quod te ipse non plangis, quon te non sentis mortuum, quod quasi gladiator paratus Libitinæ, in proprium funus ornatis. Amiciris linteis; digitos annulis oneras; dentes puluere teris; raros in rubenti caluaria digeris capillos; taurina ceruix, thoris adipeis intumescens, nec quia propter libidinem fracta est, inclinatur: Super hæc, vnguenta fragras; mutas balneas; & contra renascentes pilos, pugnas: Per forum, ac plateas nitidus, ac politus amator incedis. Facies meretricis facta est tibi, nescis erubescere.] Nec alium finem iis portendit, de quibus sic epistola 22. [Sunt alij (de mei ordinis hominibus loquor,) qui ideò presbyterium, & Diaconatum ambiunt, vt mulieres licentiùs videant. Omnis his cura de vestibus, si benè oleant; si pes laxa pelle non folleat, crines calamistri vestigio rotantur; digiti de annulis radiant, & ne plantas humidior via spargat, vix imprimunt summa vestigia. Tales cum videris, sponsos magis existimato, quàm Clericos.] Insigniter quoque in hanc rem disserit Episto. 83. sub finem, expendens ornatum Episcopi, de quo ad Titum. 1.

18. Alia ex eo, & beato Gregorio in hanc rem loca sanè egregia profert Concilium Aquisgranense sub Ludouico Pio cap. 124 quo decernitur modestia hac in parte. Et respondisse ei decreto fructum, habetur in vita eiusdem Imperatoris anno 817. Et Iulianus quidem Apostata, in longo fragmento de Sacerdotibus Ethnicis, vestimentum Sacerdotis in templo, ornatissimum esse vult, alibi verò moderatum, quia prius ad cultum numinis, posterius ad vanitatem propriam alendam & fouendam pertinet. Non displicet impij hominis iudicium, à nostris, (vt videtur,) haustum, quos viderat ornatissimè ac magnificentissimè se habere in cultu numinis, modestè in suo.

19. Videbitur attendenti corticem verum in eo sensu, in quo nunc passim inter nos vsurpantur, esse alia quædam in vestitu beneficiariorum profanitas à Gulielmo Parisiensi memorata cum detestatione l. de moribus c. 7. quæ vtinam prorsus exoleuisset. Præfatus enim de sanctimonialium se comentium ornatu reddente putorem ab eo statu planè abhorrentem; subdit. [Similiter & in Clerico ornatum vel habitum militarem, quis absque dolore conspiciat, nisi corde insensibilis & totus extinctus? Qui posteriora Clericorum, stellis sumptuosissimè

sissimè pictis circundata, capita & colla & pectora equorum suorum phaleris fabrefactis, argentatis & deauratis ornata intueatur; & Sanctorum corpora vel reliquias, nec lapidea, nec lignea interdum habere receptacula, & non animo torqueatur? Quemadmodùm enim Monachus aut alterius Ordinis professor, si habitu sui Ordinis abiecto secularem habitum deferat, Monachus Apostata iudicatur: sic & clericus Clericali habitu abiecto, si secularem assumpsit, Clericus Apostata iudicandus est. Accedit autem ad cumulum doloris, quod isti luxus tantæ incompositionis atque peruersitatis, non de patrimonialibus huiusmodi hominum ac mulierum bonis, aut labore ipsorum vel artificio acquisitis, sed de ipsa redemptione animarum, adeo de eleemosinis & legatis viuorum atque defunctorum fiunt.] Hæc dico videri posse attento præsenti vsu votum, cadere in profanitatem vestitus beneficiariorum discrepantem ab ea, de qua hactenus. Nimirum in eam, qua aliqui, vestibus quarum est vsus procedentibus ad bellum, amiciuntur; quæ abusio damnatur in Concilio Matisconensi c. 5. & in Metensi c. 3. a. 6. nec non in Leptimensi c. 7. vbi nominatim interdicitur sacris hominibus atque adeò etiam beneficiariis, vsu sagi, sicut apud Bonifacium 8. cap. *quoniam* de vita & honest. Cleric. in 6. iisdem interdicitur veste variegata vel partita atque tabordo fosterato, quæ fuisse vestiméta procestentium in bellicam expeditionem monstratum est in opere cui titulus *Religiosus loricatus*, præsuppsitione 1. Eodémque pertinere calceos rectratos eo quod sunt pars militaris habitus dixit Gerso benè illustratus à Balduino l. de calceo c. 8. videri ergo possit, profanitatem de habitu militari Beneficiariorum à Gulielmo Parisiensi improbatam, pertinere ad assumptionem habitus militaris iuxta præsentem vsum vocabuli. Verisimilius tamen est, sumpsisse Gulielmum virem *habitus militaris* in notione tunc recepta, hoc est pro veste nobilium. Nihil enim vulgatius est apud illius æui scriptores, quàm vt nobilis designetur veste *militis* atque adeò *vestis militaris* nomine designatur vestis pretiosa nobilium propria. Nihil enim in toto decursu orationis Gulielmi occurrit, quo significetur eum damnare in Beneficiariis applicationem ad bella profana, in quam abusionem longè vehementiùs comitaretur, qui adeò seuerè damnat in sacris hominibus sola de bellis illis colloquia, vt videre est eodem libro de Moribus c. 8. *sub finem*. Quare quod Gulielmus verbis allegatis improbat, idipsum est quod ab aliis proximè adductis improbatum vidimus circa Beneficiariorum vestitum.

In profusionem iusto amplioris famulitij, & lautioris supra statum supellectilis.

20. FAmulitium copiosum, & supra quàm gradus vel dignitas beneficiarij exigat, non est materia idonea ad purgandam superfluorum erogationem. [Plenum est discrimine, (inquit Petrus Blesensis epistola 102. ex persona Abbatis Radingensis) superbam familiam de pauperum spoliis exhibere; tutiúsque mihi esset humiliari cum mitibus, quàm diuidere spolia cum superbis.] Reducuntur ad famulitium corui illi, qui in diuitum beneficiariorum aulis frequentes sunt, ex militari, hoc est, nobilium ordine, vel parasiti, aut histriones. Quo ex capite idem Blesensis Epistola 20. acriter nota Episcopum Carnotensem. [Vellem (inquit,) quod munificentiis eius ratio

mensuram præscriberet; & donationes quas militibus aut histrionibus facit, modestia limitaret. Beneficiorum enim quæ pauperibus conferuntur, mensura debet esse immensitas. Quantum verò per adulatores mediantibus donis eius opinio ad inanem iactantiam crescit, tantùm apud bonos & graues, quasi in vaporem, & fumum, suæ beneficentiæ titulus euanescit. Non militibus, sed pauperibus erogare tenetur patrimonium Crucifixi; cuius ipse non Dominus, sed tutor est; vt misereatur, & commodet ad vsus egentium, tanquam testamentarius dispensator.]

21. Petrus Damiani l. 1. episto. 10. agens de S. Bonito Aruernensi Episcopo. [Quid rogo iste faceret, si tormenta quibus nostri cruciantur Episcopi, & ipse perferret? Si scutatorum & lanceatorum turmæ, post equitantis terga confluerent? si eum tanquam gentilis militiæ ducem in procinctu positum, armati vndique manipuli constiparent? Et quem decuerat reuerenter incedere cum choro psallentium, audire cogeretur hinc inde perstrepentium tinnitus armorum? Vnde fit vt modò Pontifices, non comitentur, vt dignum est diuersi Clericorum ordines, sed castra potiùs & armati telis vibrantibus bellatores. Pensemus etiam quale hoc sit, quia hæc nonnulli & inuiti perferunt, & tamen eos quos tolerant, prædiis ac facultatibus Ecclesiæ, velint, nolint, cariùs emunt. Quotidie regales epulæ, quotidie apparatus, quotidie nuptiale conuiuium: & vnde refrigerare debuerant indigentes, nubentium buccarum recreant gestatores. Et cum Episcopus dispensator & promus debeat esse pauperum, ad eorum mensam affluentibus deliciis, alieni ructant; cum & illi quorum est tota substantia, procul exclusi, famis inopia contabescant.]

22. Splendor supellectilis, in beneficiariis fortiter exagitatur à S. Bernardo serm. ad pastores in Synodo. [Quis obsecro (inquit) laicorum, auidiùs Clericis quærit temporalia, & ineptiùs vtitur acquisitis? Cùm tantum fastum videant laici in supellectili Clericorum, nonne per eos potiùs inuitantur ad mundum diligendum quàm negligendum? *Medice cura teipsum.* Si mundum prædicas contemnendum, contemne tu priùs, & ad ipsum efficaciùs alios inuitabis. Da voci tuæ vocem virtutis; consonet vita verbis, & statim erit in ore *tuo* viuus, & efficax sermo Dei, & penetrabilior omni gladio ancipiti. Non sic profectò est, sed sicut populus, sic & Sacerdos; sicut laicus, sic & Clericus. Vterque cupit, vterque diligit mundum, & ea quæ in mundo sunt. Laicus tamen cum labore, sed Clerici sine labore volunt possidere totum mundum. Communicare volunt cupiditati & superfluitati hominum, sed non labori. Peccare volunt, sed non flagellari cum hominibus. Vnde timendum est, quod flagellentur cum Dæmonibus. Quomodò seculares non expenderent substantiam suam viuendo luxuriosè, etiam in præsentia, quomodò non intenderent vanitatibus, & lenociniis huius seculi, quomodò non essent insolentes & elati, cùm tantum fastum, tantam insolentiam videant Clericorum?]

23. Petrus Dam. Opusc. 31. c. 6. agens de sacris personis quæ non destituebantur beneficiis. [Non ad hoc (inquit,) conqueruntur inopiam; vt indigentiam naturæ necessitatum sustentaculis fulciant; sed vt turritæ dapibus lances Indica pigmenta redoleant, vt in chrystallinis vasculis adulterata melle, vina flauescant. Ad hoc certè ditari cupiunt, vt quocunque deueniunt, præsto cu-

biculum

biculum operosis, & mirabiliter textis cortynarum phaleris induant, sicque parietes domus ab oculis intuentium, tanquam sepeliendum cadauer obuoluant. Mox etiam tapetis prodigiosas imagines præferentibus, sedilia sternunt, peripetasmata laquearibus, ne quid occiduum delabatur, opponunt. Deinde clientium turba diuiditur. Alij siquidem Domino suo reuerenter assistunt, nutúmque si aliud fortè iubeatur, curiosa nimis, velut rimatores syderum, obseruatione custodiunt. Alij Marthæ ministerio dediti, velut hirundines, inquieti per diuersa discurrunt. Inter has autem deliræ ambitionis insanias, quid sibi dorsalia quærunt, quæ à suis conspici dominis non merentur? Graue quippè dispendium sui patiuntur ornatus, dum in occipitio, vel ceruicibus oculi non erumpunt. Et quàm vtile diuitiarum genus, quod dum nullum vsum præter solam habeat pulchritudinem, specie tamen sua nequeat pascere possidentem? Alienorum nempe duntaxat oculorum famulatur illecebris, dum non ad aspectum, sed post tergum sui appenditur possessoris. Cui non dissimilis & illa creditur esse dementia, dum lectulus operosis decoratur impendiis, vt ornamentum Sacrosancti cuiuslibet, vel etiam ipsius Apostolici præcellat altaris. Et quàm videtur absurdum, vt stratus ille diligentiùs excolatur, vbi corruptibilis caro, soporis quiete resoluitur; quàm ara Crucis, in qua videlicet hostia Dominici corporis immolatur? Hoc ergo modo cum sobrietas soleat commendare Pontifices, effusis nunc opibus, facti sunt helluones. Regalis itaque purpura, quia vnicolor est, vilipenditur; pallia verò diuersis fucata nitoribus, ad sublimis lectuli deputantur ornatum. Et cum domestici murices nostris aspectibus sordeant, transmarinorum pelles, quia magno pretio coëmuntur, oblectant. Ouium itaque simul & agnorum despiciuntur exuuiæ; Ermelini, Gebellini, Martores exquiruntur, & vulpes.] Et inferiùs. [Tædet cætera vanitatis attexere, non ridenda, sed gemenda ridicula. Fastidium est tot ambitionis, ac prodigiosæ vesaniæ dinumerare portenta. Papales scilicet infulas, gemmis micantibus, aureísque braeteolis per diuersa loca corruptas. Imperiales, equos, qui dum pernices gressus arcuatis ceruicibus glomerant, sessoris sui manus loris innexas, indomita ferocitate fatigant. Omitto annulos enormibus adhibitos margaritis. Prætereo virgas, non iam auro, gemmisque conspicuas, sed sepultas. Nunquam certè vidisse me inemini Pontificales baculos non continuo radiantis metalli nitore contectos, sicut erant qui ab Esculano, atque Tranensi gestabantur Episcopis. Vterque tamen, alter in Apulis finibus, Nicolao præsidente; alter in Lateranensi Ecclesia coram Alexandro Romanis scilicet Pontificibus, sunt deiecti. Nec eis profuit, quod Pontifices lignei auratis vsi sunt baculis; cum sacerdotij meritum non nitor efficiat vestium, sed spiritualium norma virtutum: & non micantia, margarita vel gemmæ; sed mores aurei deceant sacerdotem.] Æquè in Theophilo Alexandrino insanum amorem lapillorum reprehendit S. Isidorus Pelusiota l. 1. epistola 152. & in Paulo 2. Baptista Platina, si tamen fides habenda homini de rebus eius scribenti quem habebat infensissimum. Reuenio ad Petrum Damiani, qui addit denique paulo post. [Per Esaiam Dominus dicit; *Numquid super his non indignabor*? super montem quippè sublimem Sacerdos ascendit, cum sese in superbiæ fastum per quasdam adulterini decoris insolentias erigit.

Et cum anima Sacerdotis, tamquam sponsa Christo spiritalis sit coniugij fœdere copulata, si sic exteriorem ambiat cultum, vt interiorem postponat ornatum, quodammodò viri sui toro introducit adulterum. Vnde vox diuina præsto subiungit: *Quia iuxta me,* ait, *te discooperuisti, & suscepisti adulterum.* O quàm acerbi doloris est, si cum maritus est præsens, tunc introducatur adulter: & in thalamo quo recubat sponsus, riualis admittatur incestus! Vnde protinus additur: *Dilatasti cubile tuum, & pepigisti cum eis, dilexisti stratum eorum in manu aperta.* Et ne de ornatu, vel deliciis taceat illicò subiicit: *Et ornasti te regio vnguento & multiplicasti pigmenta tua.*]

Beneficiariorum erga equilia studium, sugillatur.

24. Equorum studium, Deus ipse in Rege populi sui non approbauit, vt legimus Deuter. 17. quantò minùs in spirituali Principe & Rectore filiorum Dei? Exemplum præbuit Christus ipse; nunquam equo, semel verò asello insedisse compertus. Quo exemplo permotus S. Petrus Moronus, cum electus esset in Pontificem, voluit non equo sed asello ad coronationis locum vehi, vt habet eius vita cap. 29. Non sic Archiepiscopus ille Gallus, de quo sic scribit Aluarus Pelagius l. 2. de planc. Eccles. art. 76. *littera M.* [Cum in die palmarum in sua Ecclesia prædicasset de asina in qua illa die Dominus equitarat, & finito officio rediens domum, equitaret magnum, & grossum, & pulchrum palafredum, quædam paupercula vetula arripiens frœnum eius, dixit ei, Domine erátne talis asina quam Christus equitauit, sicut iste equus videtur? At Archiepiscopus erubuit, & recessit.]

Studio plures & bonos equos possidendi, adiungitur vanitas eos insigniter sternendi. Huiusmodi ornatum equorum, S. Bernardus in declamatione ad Clericos vehementer in sacris hominibus exagitat. Cum enim sibi obiecisset, indignantes quod illiberaliùs talia vulgaret aduersùs Clerum. [Quid si alius (inquit,) audacior me, non quidem de Apostolo, vt ego, non de Euangelio, non de Propheta, non denique quippiam Ecclesiasticum, sed illud tantum gentilitium ingerat: *Dicite pontifices,* non quidem *in sancto*, sed freno, *quid facit aurum?* Quàm tolerabilius cernitur in sancto, quàm in freno! Hoc me etiam tacente, etsi non curia regnum, tamen penuria pauperum clamat; Sileat licet fama, sed non fames. Fama quidem silet, quia non potest mundus odisse vos. Nam quomodò arguet mundus peccatum, à quo potiùs *laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur?* Clamant verò nudi, clamant famelici, conqueruntur, & dicunt. *Dicite pontifices, in freno quid facit aurum?* Nunquid aurum à freno repellit frigus, siue esuriem? Nobis frigore & fame laborantibus quid conferunt tot mutatoria, vel extensa in perticis, vel plicata in manticis? Nostrum est quod effunditis nobis, crudeliter subtrahitur quod inaniter expenditis. Et nos enim Dei plasmatio, & nos sanguine Christi redempti sumus. Nos ergo fratres vestri. Videte quale sit, de fraterna portione pascere oculos vestros. Vita nostra cedit vobis in superfluas copias. Nostris necessitatibus detrahitur, quicquid accedit vanitatibus vestris. Duo denique mala de vna prodeunt radice cupiditatis, dum & vos vanitando peritis

peritis, & nos spoliando perimitis. Iumenta gradiuntur onusta gemmis, & nostra non curatis crura nuda caligulis. Annuli, catenulæ, tintinnabula, & clauatæ quædam corrigiæ, multáque talia, tam speciosa coloribus, quàm ponderibus preciosa, mulorum dependent ceruicibus: Fratrum autem lateribus, nec semicinctia miserantes apponitis. Huc accedit, quòd hæc omnia nec negotiationis studio, nec proprio manuum exercitio vobis elaborastis; *Hereditate possideamus sanct... [illegible] Dei.* Et hæc pauperes, modò quidem coram Deo tantùm, cui corda loquuntur. Nec enim audent apertè causari aduersùm vos, quibus interim pro sua vita necesse habent potiùs supplicare. Cæterùm in futuro, stabunt in magna constantia aduersùs eos qui se angustiauerunt. Stante quippè pro eis patre orphanorum, & iudice viduarum. Ipsius enim tunc vox erit: *Quandiu non fecistis vni de his minimis meis, nec mihi fecistis.*]

In Beneficiarios addictos ludo, aut venationi.

25. LVdo addictum esse beneficiarium, & in eo superflua beneficij expendere, indignitas est non ferenda. In quam proferri æquè, imò iustiùs possunt, quæcunque varij Patres in immoderatos ludos declamant, prolati à nobis in Tractatione de Eutrapelia. Nominatim verò Aluarus Pelagius l. 2. de planc. Eccles. art. 28. *litera B.* acerrimè concitatur in beneficiarios aleatores, excurrens in septendecim crimina ei Ludo coniuncta, de quibus etiam Sanctus Cyprianus tract. de aleato: nec non Hieron. Osorius l.7. de Regis institut. nobilium officium describens. Vnde horror ingenerari beneficiario debeat, si aleator verè audiat. In Concilio tertio Turouensi cap. 8. Seculares quilibet & turpes ioci, procul esse iubentur à Sacerdotibus; quòd accipio de iocis, non prout ea vox sonat sales & leporem in verbis, sed prout ea voce Gall. [illegible] vernacula designantur ludi, dedecentes personam sacram, quos nomine *aleæ* comprehendere ex vsu est, vt notauit Gothofredus ad rubr. C. de aleator. & Angelus Rocca in Opere contra Aleatores, ac Paschasius Iustus l. 1. de alea, qui in hunc suum morbum (ita enim meritò appellat, studiosissimè inquisiuit. Sed in seipsum facundus aleam deperiit, & cum diu votis precibúsque numen fatigasset, vt se ea effrenatione in ludum liberáret, irrita vota morbi contumacia reddidit, infixus ad finem vsque in eo limo, vt produnt qui eius opus de alea euulgarunt. Negant ergo hi Autores & passim alij nomine damnatæ legibus aleæ, vt Horatius l. 3. carm. dixit, venire duntaxat ludum, qui ossibus punctis exercetur (ita aleam exprimit S. Basilius hom. 8. hexaem.) sed omnem planè ludum quem vocant *fortunæ*, & folia quoque lusoria comprehendit, quibus aliqui non minùs tenaciter inhærent quàm talis alij. Verùm est attento cortice vocis aleam sonare ludum taxillorum siue astragalorum, quem accuratione (nescio an iusto maiore) descripsit Erasmus de Colloquio cui titulum fecit *Astragalismos*, nec non Daniel Souterius bona parte libri primi Palamedis, & Delrio in plenioribus ad Herculem furentem Commentariis V. 323. & Adrianus Iunius 2. animadu. cap. 4. Quod ad præsens institutum pertinet, potius est, probra & damna vestigare ob quæ Ecclesia in beneficiariis, auersatur morbum hunc speciе oblectationis plerosque ab omni sancto studio auertentem, eosque innumeris peccatis dehonestantem. S. Basilius hom. 8. hexaëm. aleam quasi

camarinam omnium scelerum his paucis verbis exhibuit, cum in die ieiunij paulò longiùs protraxisset cōcionem, causãque protractionis redderet, ne aliqui fallendo tempori quod ad solem vsque cadentē ieiunij soluendi terminum superat, ad aleam confugerent. [Si vos dimisero, & concilium hoc dissoluero, sunt qui proximus ad tesseras aleásque sese conferent. Iuramenta sunt illhic, contentionesque p rgraues, ac auaritiæ partus. Spiritus malignus assistit, furorem punctis ossibus illis ludentium, insaniámque accendens. Easdem ille pecunias, nunc ad hunc, nunc ad alterum transfert: atque modò hunc victoria effert, illum victum mœstitia premit: modò contra, illum elatum, hunc demissum ostendit. Quid prodest quæso corpore ieiunare, animam verò mille vitiis, mille malis esse refertam?] Quæ scilicet vitia & mala moralia aleam assectantur, & quibus per tempus ieiunij sordere, fuerit indecentissimum. S. Chrysostomus non minùs grauiter hom. 15. ad pop. æquè agens ad populum per tempus ieiunij.] Aleas tractare (inquit) non videtur multis peccatum esse manifestum, sed infinita vitæ mala solet inferre. Circa aleas studium, blasphemias, iacturas, iras, conuitia, infinitáque alia his grauiora sæpè produxit.] Idem homil. 6. in Matth. cum retulisset verba hominis voluptarij nihil triste audire volentis, sed orantis Deum vt sibi per totam vitam concederet ludere, sempérque ridere, subdit. [Quidnam obsecro, tali inueniatur mente puerilius? Non enim Deus dat ludere, sed Diabolus.] Et mox cum monstrasset quantorum scelerum ex perpetuo risu & ludis frequentatis sementis fiat, addit, id nequaquam congruere veris Christianis, sed esse [proprium Diabolo militantium. Ille enim est, ille qui etiam in artem, iocos ludósque digessit, vt per hæc ad se traheret milites Chisti, virtutisque eorum neruos faceret molliores.] Dæmoni cui nomen *Theut*, alearum inuentum tribuit Plato in Phœdro, quò fortassis hîc spectauit Chrysostomus. S. Ephrem tract. de abrenunciatione facta in baptismo, aleat ores à Diabolo stantes, excommunicatos ab Apostolis docet. Ioannes Sarisberiensis l. 1. polycrat. cap. 5. cum alia pleraque de aleæ damnis habet, tum illa nominatim. [Alea exciso regno Asiæ, inter manubias euersæ vrbis, non sub vna tantùm specie migrauit ad Græcos. Hinc tessera, calculus, tabula, vrio, vel Dardana pugna, tricolus, senio, monarchus, orbiculi, taliorchus, vulpes: quorum artem vtilius est dediscere, quàm docere. Quis enim non erubescat, si sortis suæ gratiam, non virtuti debeat sed taxillis! Quis fritilli cautelam suæ prudentiæ non doleat anteferri? Nonne satis improbata est cuiusque artis exercitatio, qua quanto quisque doctior, tanto nequior? Aleator quidem omnis hic est. Mendaciorum siquidem & periuriorum mater est alea: & aliena concupiscentia, sua prodigit, & nullam habens patrimonij reuerentiam, cum illud effuderit, sensim in furta delabitur & rapinas, &c. Aleam à regione morum, illius autoritas prorsus exterminat, qui vniuersum orbem docens in Filio, eam denunciat omnibus fugiendam. Ab ea siquidem armantur ad lites homines, incurrunt inimicitias, in miseram etsi non miserabilem incidunt egestatem.] Expressit Magistrum suum Petrus Blesensis Episto. 84. nam agens de perdito quodam viso. [Iuuenem (inquit) vitiosum esse non miror, cuius pueritiam Pater aleæ dedicauit. Alea siquidem periurij, furti, sacrilegij mater est.] Vterque ex Ethnicis aduersùs aleam addensat varia, quæ Stuckius l. 3. antiquit.

Conin.

Coniui. cap. 22. & Soterius l. 2. Palamedis locupletant. Meliùs porrò Ethnicis quàm SS.Patribus accensuisset Valdenses, è quorum veteri disciplina, hæc verba refert. [Ludi chartarum, raxillorum, & id genus alia, vnde infinita ac horrenda mala, peccatáque in Deum, tum etiam in proximum prosiliunt, deferantur.] Hi scilicet sunt SS. Patres Cauinistarum.

Nexum aleæ cum omni scelerum genere quem Patres prædicti eo nomine digni indicarunt, & Iuuenalis Satyra 1. Insanum Romanorum in aleam studium insectans, graphicè describit, & benè etiam Maioragius orat. 11. quæ est pro decreto Alfonsi Aualos, & senatus Mediolanensis contra aleatores, Experientia nimirum quantum confirmat. Blasphemias certè quibus nullum est atrocius scelus aleatoribus esse perfamiliares præsertim cum amissa pecunia aguntur in rabilem monstrat impetitio sacrarum imaginum per aleatores spoliatos, iactis in eas lapidibus: quod illustri exemplo firmaui in S. Ioannis Benedicti historia puncto 13. Et geminum est quod imagini quæ asseruatur in templo S. Mariæ de Pace post coniectos in eam ab aleatore lapides mananti plurimo sanguine, accidisse produnt Pancirolus ac seueranus, describentes templa Romana, & Angelus Rocca in Opere contra aleatores, *pag.* 28. qui alia non pauca imaginum blasphemè appetitarum exempla & sanguinationes adunauit: & vnum perillustre de aleatore blasphemo in imaginem sacram bacchato, describit Brendebachius l. 3. collat. sacr. c. 13. & alterum cap. 18. Impudicitiam cum alea affinitatem & necessitudinem habere, creditus Cyprianus conclamans in aleatores admonuit. Necti item aleam cum cura carnis, & gulositate docent quæ habet Stuchius lib. 3. antiq. conuiuial. cap. 220. Similem nexum aleæ cum auaritia S. Ambrosius l. de Tobia cap. 11. animaduertit. Tametsi in omnibus aleatoribus, aleæ perpetuandæ morbum, non esse auaritiam, rectè confirmat Paschasius Iustus in calce libri primi de alea cui ægritudinem suam exponenti, credendum videtur. De aliis sceleribus vitiisque cum alea nexis, plenè & accuratè disserunt Hostiensis in summa tit. de Excessibus Prælator. Comitolus l. 1. respons. q. 90. & alij quos initio huius puncti tetigi. Tam probrosum igitur lusum in Beneficiarios non cadere; haud immeritò exposcebam. Nec abs re tot pœnæ in Clericos aleatores iure Canonico sunt constitutæ, de quibus latè Menochius l 2. de arbitrar. Iudic. centur. 4. casu 399. & Iodocus Damhouderius in praxi rerum Criminal. cap. 126.

26. Venatores Beneficiarios, damnat Synodus Francica sub Zacharia, vocans venationes *Syluaticas vagationes cum canibus.* Negans quoque Ecclesiasticis, falcones & accipitres. Insigniter verò Petr. Bles. epistola 56. his præter cœtera. [Legimus quia Nicolaus Papa, suspensionis, & excommunicationis sententiam in Lanfredum Episcopum ferri censuit, quia venaticam artem exercebat, licet ille excusabilior esset beneficio iuuentutis. Ab exordio mundi percurrite Sanctorum Patrum seriem. Venite ad Patriarchas, accedite ad Duces, descendite ad Iudices, vitam sanctorum Regum, & Prophetarum, atque Sacerdotum inspicite, nullúmque eorum inuenietis venationi studium impendisse. Piscatorem sanctum legi, dicit Hieronymus; venatorem non legi. Nam si Beatus Eustachius legitur quandoque fuisse venator; sed & Matthæus quandoque telonarius fuit, & Paulus Ecclesiæ persecutor. Nemrod robustus

venator, ipse est qui in terra Sennaar ædificauit Babel, vbi linguarum schisma factum est, & confusio labiorum. Esau dum officium venationis exequitur, gratia primogenituræ, & paterna benedictione fraudatus est. Si curratur ad inuentionem & initia venaticæ artis, patebit ex ipsa inuentione sua damnabilis. Huius enim artificij, aut potiùs maleficij, legitur fuisse inuentrix gens Thebana, fœda parricidiis, detestanda incestibus, insignis fraude, nota periuriis. Deriserunt eos Athenienses, iungentes sub quodam inuolucro Dardanum venatorem raptum ad pocula, & à poculis ad illicitos & infames amplexus. Vt de sanctis Patribus taceam, vix in numero virorum illustrium poterit inueniri, qui exercuerit artem venaticam, gratia voluptatis. Fixerit aëripedem ceruam licèt, aut Erimanti, placarit nemora victor Alcides. Si auctor humani generis ceruorum corpora fudit, si Meleager aprum strauit, Calydoniæ vastatorem; isti in hoc non priuatæ voluptati, sed vtilitati publicæ seruiebant. Quæ tamen comparatio est, gentilium ad Sacerdotem Christi? qui mortis cruciatus præeligere debuisset, antequàm ad talia posset cogi? Sanè aliud venationis genus vobis ex officio incumbebat, in qua subiectorum est salus, & gloria præsidentis. Dicit enim Dominus per Prophetam. *Ecce ego mittam venatores, & venabuntur in omni monte.* Prælati siquidem Ecclesiæ, venantur in omni monte, dum animas aberrantes, quasi in prædam ad obsequium Christi rapiunt in eminentia scientiæ & doctrinæ. Apostoli missi in orbem terrarum, increpabant feras arundinis, dum ad instar magistri sui, Pharisæorum hypocrisin & figuratiuam ceremonialium obseruantiam reprobantes, vna die multa millia hominum venabantur ad fidem. Vtinam huic venationi velitis operam dare!] Porrò in tota ea epistola quæ ex Ioannis Sarisberiensis Polycratico lib. 1. c. 4. ferè petitur, quamuis Blesensis agit duntaxat cum Episcopo; & locus item Nicolai Papæ quem refert, ad Episcopum attinuerit, (habetur dist. 32. cap. *quorundam*) tamen eadem prohibitio omnes Clericos in sacris constitutos irretit, vt videre est cap. *cum Episcopum* & cap. *omnibus*, de Clerico venatore & in Conc. Trid. sess. 24. cap. 12. de refor. quod ad venationes illicitas se restringit.

26. Hoc vt intelligatur, ac ne laqueum plerisque beneficiariis hoc studio captis iniiciamus, constétque quasnam expensas è suorum beneficiorum reditibus in hanc rem facere possint, attingendum est quæ venatio sit Clericis illicita; quod inuestigans Sebast. Medices tract. de venatione, piscatione, & aucupio parte 1. q. 3. 8. & 9. diuisiones multiplicat parum aptè. Venationem enim distinguit multiplicem. Et eam quidem quæ est hominum oppressiua, ait indistinctè prohiberi omnibus Clericis, cum vetentur pugnare, etiam cum infidelibus, nisi defensionis causa. cap. *ex multa* de voto. Venationem item adulatoriam, quæ est aucupium verborum, vetari notat. c. *væ qui dicit* 11. q. 3. Insuper venationem arenariam in amphitheatro, prohiberi obseruat cap. 1. de Cler. Venat. Omnes hæ venationes, ferè frustra, & extra rem ab hoc Autore adducuntur. Quæstio enim duntaxat esse debuit, de venatione vulgariter dicta: quæ vel est saltuosa siue clamosa, adhibitis canibus, vel fit tantùm reti & laqueo. Hæc secunda, dummodò non nimis frequenter exerceatur, permittitur Clericis ex Couarruuia Regula *peccatum* 2. p. §. 8. num. 2. Prior autem venatio, si rarissimè

tissimè fiat ob recreationem, non est illicita beneficiario, iuxta Medicem supra q.8. num. 17. ac multo minus est illicita, si aliquoties fiat ob necessitatem. v. g. ob valetudinem, & ad excitandum appetitum ex morbo præcedenti retusum. Quanquam etiam tunc, cauendum monet idem Autor, ne canes venatici aut aues eidem vsui addictæ, alantur de redditibus Ecclesiæ, nec retineantur in beneficiarij domo. Sic enim diceretur habere canes, accipitres, vel falcones, quod ius Canonicum vetat c.1. & 2. de Clerico venat. Addit idem Medices, tunc quoque fas fore venationem adhibitis canibus exercere, non Clerico tantùm sed etiam Religioso, si reditus eorum siti sint in venatione; quales ait esse plures in Gallia. Ita habet partim 1.p. quæst. 8. num. 17. Sed gratis ait, esse alicubi aliquod vel cœnobium vel beneficium, cuius reditus siti sint in venatione, per sacros homines obeunda. Itaque vniuersa illa additio reiicienda est; non ob profusionem duntaxat, quanquam & ipsa sola sorderet, nec ob fraudatos tantùm pauperes, quod esset quoque flagitiosum; sed etiam ex eo capite istam superfluorum in vana & inania consumptionem de quibus hactenus egimus, culpat S. Bernardus serm. ad Pastores in Synodo, quod inde Laici exemplum sumant, studij in vanitates & insanias falsas impendendi. [Confusi estis (inquit,) in actibus vestris; non honorati, sed onerati dignitatibus vestris, quoniam Deus spreuit vos. Spreuit enim Deus omnes discedentes à iudiciis suis. Fidem habetis, sed ad opera vos inuito: vos maximè qui estis Vicarij Christi, qui estis Pastores animarum, qui alios debetis instruere, non destruere. Vos inquam, maximè qui soli non potestis perire, qui præire debetis docendo & operando. Multi sunt Catholici prædicando, qui Hæretici sunt operando. Quod Hæretici faciebant per praua dogmata, hoc faciunt plures hodiè per mala exempla, seducunt scilicet populum, & inducunt in errorem, & tanto grauiores sunt hereticis, quanto præualent opera verbis. Vnigenitus qui est in sinu Patris, nónne de secreto suo prodiit ad publicum vestrum? Nónne de cælo descendit ad terras, vt prædicatione & conuersatione sua persuaderet hominibus contemptũ mundi? Nónne vos estis Vicarij eius? Nónne quòd prædicauit, & vos debetis prædicare? quod dissuasit dissuadere? quod persuasit persuadere? A Christo dicti estis Christiani. Nónne ea via qua Christus ambulauit, & vos Vicarij eius debetis conuersari? Ita planè, nisi fortè doctiores eo fueritis, vel sanctiores. Dicite ergo Archidiaconi, dicite Presbyteri, dicant etiã Pontifices, in frænis, in sellis, quid facit aurum? In vestimentis tantus ornatus? In cibis tam superfluis apparatus, &c. Quis obsecro laicorum, auidiùs Clericis quærit temporalia & ineptiùs vtitur acquisitis? Cum tamen fastum videant laici in supellectili Clericorum, nónne per eos potiùs inuitantur ad mundum diligendum, quam negligendum? Medice cura te ipsum, Si mundum prædicas contemnendum, contemne tu priùs & ad ipsum efficacius alios inuitabis. Da voci tuæ vocem virtutis, consonet vita verbis: & statim erit in ore tuo viuus & efficax sermo Dei, & penetrabilior omni gladio ancipiti, &c.] [Quomodò seculares non expenderent substantiam suam viuendo luxuriosè, etiam in præsentia Sacerdotum? Quomodo non intenderent vanitatibus, & lenociniis huius seculi? Quomodò non essent insolentes & elati; cum tantum fastum, tantam insolentiam videant Clericorum. Nónne in præsentia eorum, irreuerenter

abutimini eleemosynis pauperum? De patrimonio crucis Christi, non facitis codices in Ecclesiis, sed pascitis pellices in thalamis vestris: Impinguatis canes, adornatis equos, phalerantes pectora, & capita deaurando. Et verè in capitibus omnium platearum dispersi sunt lapides Sanctuarij. Plateæ latæ sunt, & lata est via quæ ducit ad mortem. Lapides Sanctuarij, id est Sacerdotes, sunt in capitibus, id est, in introitu latarum viarum. Vocant enim populos per praua exempla ingredi vias latas, quæ ducunt ad mortem, & demergunt in profundum Inferni. Dolor capitis in membra redundat. Capita populi, sunt Sacerdotes. Omne caput languidum & omne cor mœrens. Languent Prælati Ecclesiæ, in cupiditatibus suis. Quia ergo languor est in capitibus, mœror oboritur in cordibus.]

27. Cæterùm non me latet, quid ad omnia antedicta mentiatur iniquitas sibi, & quas vanas excusationes in peccatis nonnulli obtendant. Aiunt enim dummodò excessus absit, præscriptum esse legitima consuetudine aduersùs Patrum decreta & antiquos Canones, quorum à tam longo tempore conculcationem, vident & tolerant Pontifices. Aio hanc esse vanam excusationem, quod egregiè tradidit Caiet. 2, 2. quæst. 185. art. 7. & Nauar. tract. de redit. Eccles. quæst. 3. monito 18. & quæst. 2. monito 4. Nulla enim consuetudo (vel iùs corruptela,) potest abolere obligationem in iure naturali fundatam, supposita institutione beneficiorum, de origine bonorum eis conferrorum. Nec summi Pontificis toleratio eam honestare potest, cum multa tolerentur intrinsecè mala, ad malorum maiorum euitationem; nec ob tolerationem, ius comparetur ad ea perpetranda. Quàm præstaret antiquorũ Beneficiariorum quoad omnia prædicta vestigiis insistere, quàm inhærere posterorum quorundam moribus, quibus per comparationem ad priscos illos liceat occinere quæ S. Bernardus plerisque sui æui Episcopis cum S. Malachia comparatis occinebat in huius sancti vita. [Sed aduertere est (inquit) quomodò diuidat hæreditatem cum fratribus suis, æquè nepotibus Apostolorum. Illi dominantur in clero, iste dum esset liber ab omnibus, omnium se seruum fecit. Illi aut non Euangelizantes manducant, aut Euangelizant vt manducent; Malachias imitans Paulum, manducat vt Euangelizet. Illi fastum & quæstum æstimant pietatem; Malachias hæreditate vendicat sibi opus & onus. Illi felices se credunt si dilatauerint terminos suos, Malachias in dilatanda charitate gloriatur. Illi congregant in horrea, & dolia replent, vnde onerent mensas: Malachias colligit in deserta & solitudines, vnde impleat cœlos. Illi cum accipiunt decimas, & primitias, & oblationes, insuper & de Cæsaris beneficio telonia, & tributa, & alios reditus infinitos, solliciti sunt nihilominùs quid manducent, aut quid bibant. Malachias nihil horum habens vos tamen locupletat de promptuario fidei: Illis nec sollicitudinis vllus est finis: Malachias cupiens nihil, non nouit tamen cogitare de crastino. Illi à pauperibus exigunt quod dent diuitibus; iste sollicitat diuites pro pauperibus sustentandis. Illi marsupia vacuant subditorum; iste pro peccatis altaria cumulat votis, hostiisque pacificis. Illi alta palatia erigunt, turres ac mœnia ad cœlos leuant. Malachias non habens vbi caput reclinet, opus facit Euangelistæ. Illi equos ascendunt cum turbis hominum gratis manducantium panem, & non suum: Malachias sæpius Sanctorum Fratrum

collegio,

pedes currit portans panes Angelorum, quibus satiet animas esurientes. Illi plebes ne agnoscunt quidem, iste erudit. Illi potentes & Tyrannos honorant, iste punit. O virum Apostolicum, quem tot & tanta honorant signa Apostolatus sui.] Quæ de S. Malachia absolutissimo Antistite dixit S. Bernardus, æquè de innumeris aliis antiquis dici possent. Vtinam quæ de aliis quos cum S. Malachia componit, sunt à S. Bernardo pronunciata, in nullum ex hodiéque Pastorum nomen præferentibus cadant, sintque omnes hodierni beneficiarij macularum quas eisdem affricabit, exortes.

Labes superfluorum in scelera erogatorum, delibata.

28. AGgrediens ad caput alterum, quo propudia per se nefaria continentur, possim ab illis Hieronymi ad Sabinianum, spurcum & impium Ecclesiasticum secularem, mox ementitum monachum, exordiri. [Paueo miser, & tam mente quàm corpore perhorresco, ponere tibi volens ante oculos tuos opus tuum.] Vnum verò aut alterum de immanitate illa nequitiæ verbum præfatus, addit. [Proh nefas! Non possum vltra progredi. Prorumpunt lachrymæ ante quàm verba, & indignatione pariter, ac dolore in ipso meatu faucium spiritus coarctatur. Vbi mare illud eloquentiæ Tullianæ? Vbi torrens fluuius Demosthenis? Nunc profectò muti essetis ambo, & vestra lingua torpesceret. Inuenta est res, quam nulla eloquentia explicare queat. Repertum est facinus, quod nec mimus fingere; nec scurra ludere, nec Attellanus possit effari.] Hoc quid sit, vtcunque exponam verbis S. Bernardi in Declamatione ad Clericos probra beneficiariorũ exagitantis, his præter cætera. [Nullum adhuc de fornicatione fecimus verbum; quamuis & hæc in multis etiam & multipliciter regnet, qui puritatis auctori, impuro corde & corpore ministrantes, non verentur stare Angelum Domini, qui secet medios, & disperdat, sed omnino audent agni immaculati sacras contingere carnes, & intingere in sanguine Saluatoris manus nefarias, quibus paulo ante carnes, (proh dolor!) meretricias attrectarunt; sic altaria circuire, sic frequentare psalmos, cum & eiusmodi laus execrabilis, & oratio sit in peccatum.] Debere Zelum sanctum in hanc profanationem bonorum temporalium beneficij Ecclesiastici concitari æquè ac in profanationem vasorum sacrorum, contestatur Gulielmus Paris. l. de moribus c.7. *in fine*. [Illa enim (ait de bonis hisce temporalibus) pia deuotione fidelium oblata & sanctificata sunt Domino. Propter quod viri Zelatores cum ea in luxibus & luxuriis Clericorum aut Regularium, vel aliis quibuscunque Dei contumeliis consumi, siue vident, siue audiunt, zelo ardentissimo succenduntur. Si enim sacrilega fuit auaritia Iudæ proditoris, & furtũ imo sacrilegium, quo ea quæ mittebantur in loculis asportabat, cum ea fideliter egenis distribuere deberet, vxori eius & filiis ea dabat; Quanto magis sacrilega impietas Clericorum secularium & regularium damnanda est, cum huiusmodi bona meretricibus & histrionibus dare non verentur, & in omnes execrabiles turpitudines, ac in omnes Dei contumelias expendere non formidant? Præcepit siquidem Dominus, vt sanctificata sibi & oblata, comederentur in loco sancto sicut legitur Leuit. 10. Execrabilis abusio, dona quibus Deus colendus

est, & quæ ob honorem eius, Ecclesiis oblata sunt, in tantas támque impias ipsius contumelias detorquere.]

29. Nihil potest ad eam honestatis contrucidationem addi, nihil ad sacrilegij monstrosam & prorsus horrendam execrabilitatem. Itaque ne vel ipsa necessariorum verborum prolatio inquinationem inferat, vtendum est bellè huc cadente exclamatione illa Ennodij in Apologetico, intonantis aduersùs eos, quos ait voluptatem amasse magis quàm Deum. (Qui verò sic exertare congruentiùs dicantur, quàm hi de quibus agimus?) [O vim doloris interni, qui nequit expedire quod concepit; qui profundis ingestum visceribus loquendi affectum, quem imperauit, irrumpit. Nihil vobis vltra eloquar. Quod de oratione remanet, lamenta supplebunt.] Quinetiam hæc pauca quæ adduxi mouens tam fœtentem Camarinam, si dicta sint apertiùs quàm par sit, (dicam enim cum Chrysostomo hom. 37. in 1. ad Cor. *sub finem*) nemo me criminetur: neque enim orationis grauitate conspici studemus, sed graues eos qui audiunt afficere. Certè nec Prophetæ sibi ab genere verborum temperarunt, quoties excindere Iudaicam intemperantiã student, & clarius ista quàm nos tangunt. Nam & medicus putredinem eiicere volens, qui mundas manus seruet, non curat; sed qui ægrum sanet; & qui deiectum releuare vult, deiicit se priùs: qui mactare insidiatorem suum festinat, sanguine se illius conspergit. Imò hoc est quod victoriam pleniorem reddit.]

Quatenus filiæ spuriæ, dos è superfluis beneficij à Beneficiario debeatur.

30. PRiusquàm tamen stylum è volutabro in quod mersus est, planè abstrahem, illud prius necessarium videtur aduertere, quod est his turpitudinibus connexum; S. Bernardum in declamatione ad Clericos, inter dedecora beneficiariorum, & illicitas expensas numerare, quod de facultatibus Ecclesiæ, nepotes ne filias dixerim (inquit,) nuptui tradant. Quod ita reprobat, vt addat, res pauperum non pauperibus dare, par sacrilegij crimen esse dignoscitur. Quare videtur S. Bernardus, negare fas esse beneficiario, filiam ex damnato coïtu susceptam, dotare de Ecclesiasticis facultatibus. Id quod Pius V. perspicuè vetuit, duplici constitutione, quarum prior anno 1566. Cal. Februa. posterior anno sequenti 5. Martij edita est. Iis Constitutionibus, Pontifex seuerè cauet, ne bona Ecclesiastica, iure testamenti, aut donationis, vel eleemosinæ, aliòve quocunque titulo, directè aut per circuitionem, tribuantur personis illegitimis, vel quæ legitimæ fuerint effectæ: quamuis non abnuit, quominus de huiusmodi bonis beneficiarius ditet loca publica, in quibus illegitimæ personæ foueri, & ali possint. Has Pij Pontificis constitutiones, certum est iuri naturali non aduersari, vt videtur velle Comitolus l. 1. respons. quæst. 75. num. 2. & 3. contendens nulla humana lege, alimenta negari posse filiis aut filiabus, etiamsi ex detestando hoc commercio procreatis. Inter alimenta autem, recensetur dos filiæ, quia dos in locum alimentorum sufficitur. Vnde Bartolus Authent. *Ex complexu C.* de incest. & nefar. nupr. admittit hanc filiæ illegitimæ dotationem: quam latè quoque confirmant Maior in 4. d. 24. quæst. 19. Nauar. de spoliis Cleric. §. vlt. à num. 9. Corduba

duba l. 1. q. 18. propositione 2. coroll. 2. Binsfeld. in Enchir. p. 4. c. 13. concl. 9. & videtur suffragatus Clemens III. qui authenticam prædictam, negantem spuriis, (& multò magis istis de quibus agimus,) alimenta, atque adeò etiam dotem, correxit c. *cum haberet*, de eo qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium.

Admitto ego quidem hæc omnia & iuris esse naturalis concedo, vt pater etiamsi ex damnato coïtu prolem susceperit, ei prouideat alimenta, atque adeò dotem, si sit filia. Sed hoc ius naturale saluum manet, dummodò facultates quæ filiæ ad eos fines attribuendæ essent, dentur pio loco, vt Pontifex permisit;) addito pacto, vt alatur & dotetur puella conuenienter. Quæ conuenientia, vt Maior benè supra perspexit, & Corduba l. 1. q. 18. propositione 2. coroll. 2. non est adæquatè admetienda ad genus aut gradum Patris, fortè nobilis, aut dignitate Ecclesiastica clari: sed neque prorsus admetienda est ea conuenientia ad conditionem spuriam. Media itaque via ineunda est, vt scilicet, paulo plus ei detur, quàm filiæ ignobilis aut pauperis Sacerdotis: quod rectè tradit Mol. tract. 2. d. 146. Non tamen ita vt tantum accipiat, quantum si esset legitima. Vbi ergo Pij Constitutiones sunt receptæ; & adhuc vigent, nec desunt loca publica per quæ præstari possit quod Pater filiæ debet, seruandæ sunt Constitutiones illæ. Si verò obsoleuerint; aut nunquam sint alicubi in vsum inductæ; vel desint loca per quæ tali filiæ prouideatur, debet Pater quod iuris naturalis est præstare, filiámque locare in tuto per dotem, etiamsi de superfluis suis in moderatione prædicta subministratam. Id enim ambitu sustentationis beneficiarij, supposito scelere præuio, comprehendi potest; Si alia bona patrimonialia aut quasi patrimonialia non suppetent, vt Binsfeldius loco annotato admonuit. Si enim suppeterent, par non esset, facultates Ecclesiasticas in hoc cœnum corriuari. Iis verò deficientibus, hæc necessitas prolis spuriæ, continetur ambitu sustentationis beneficiarij, vt dictum est.

31. Subscribunt huic resolutioni Bursatius l. 3. consil. 226. num. 98. Carolus de Grassis tract. de effectibus Clericatus, effectu 35. num. 7. adducens præterea in eam sententiam, Abbatem, Ripam, Palæotum, Redoanum, & Arnonem. Præmiserátque ex plerisque aliis Doctoribus num. 6. talem prolem dici & esse spuriam, ac incestuosam, si Pater beneficiarius sit in sacris, aut miles Hierosolymitanus: quod æquè dixerat in præludio ad totum opus num. 44. At cur incestuosa? quæ enim ibi cognatio inter beneficiarium ad lupam, quam suppono planè extraneam? Æquè autem reiicio quod eodem præludio num. 37. Idem Autor cum nonnullis aliis Iurisperitis tradit; nempe Episcopum si cum soluta fornicetur, esse adulterum, & prolem inde susceptam, ex adulterio suscipi ob coniugium spirituale Episcopi cum sua Ecclesia. Verùm Episcopi coniugium cum sua Ecclesia, non est nisi mysticum & proportionale: ac proinde Episcopum nefario illi commercio operam dantem, non constituit verè adulterum, sed sacrilegum duntaxat, si iam consecratus sit; vel non constituit nisi fornicarium, si nondum susceperit vllum sacrum ordinem, vt facilè posset contingere, si electus & confirmatus in Episcopum, non esset nisi minoribus Ordinibus initiatus. Nam per eam electionem & confirmationem, matrimonium spirituale Episcopi, fit saltem ratum. Coniugatus autem matrimonio tantùm

rato illigatus, si ad extraneam solutam adeat, erit verè adulter: non item Episcopus, si in prædicto statu se contaminet simili iniquitate. Quare sufficit dicere, fœdum illud commercium beneficiarij, (etiamsi electi Episcopi,) nullo adhuc ordine sacro initiati, cum soluta, coram Deo & in ordine ad confessionem sacramentalem, non esse nisi fornicationem: quamuis in ordine ad pœnas fori externi, dicatur coitus damnatus, ratione beneficij vt habetur ex. §. *Clericos* Authent. *de sanctiss. Ep. &c.* docétque Purpuratus lib. 1. consil. 95. n. 5. Pœnas illas beneficiariorum cum sunt concubini, qui hodiéque scilicet non semel aut iterùm per fragilitatem sint, lapsi sed cum vna quapiam, etiamsi soluta, infeliciter consueuerint,) ius antiquum varias constituerat. Concilium verò Tridentinum sess. 25. cap. 14. de reform. distinctis variis gradibus obdurationis in peccato, multiplices imposuit.

32. Verùm me quidem, iam execrabilium spurcitiarum, támque sceleratæ graueolentiæ, iam pœnitet & tædet. Quare excedendum est ex hoc luto fæcis, in quod inuitus & sola necessitate tractationis adactus descendi, si fortè audiat peccator, & contemnere desinat. Qua spe & necessitate, consilium suum demissæ aliquando in huiusmodi purulentias orationis, excusat S. Chrysostomus l. 3. aduersùs vituper. vitæ monast. & hom. 5. in 1. ad Thessalo. *sub finem.* Verbum Sancti Bernardi in declamatione ad Cler. aptè obsignabit hoc caput. [Nemo indignetur nobis, aut molesté accipiat quæ dicta sunt. Si sanctus est & minimè sibi conscius horum, congratulamur ei; doleat ipse nobiscum, in pluribus hæc inueniri.]

CAPVT QVINTVM.

De erogatione superfluorum Beneficij in consanguineos.

1. HÆc est omnium tetertima & perniciosissima lues, cui in erogatione superfluorum beneficij, maximè est timendum. Quæ enim hactenus sunt proposita huius generis probra, sua inhonestate aut vanitate, præferebant vnde beneficiarius auocari meritò posset ab illis abusionibus. Nec pauci reperiuntur, qui illa occulta dedecoris; illas vanitates & insanias falsas, auersari haud ægrè persuadeantur. Qui verò cognatorum hac in parte amorem, gyro rationis & diuini præcepti coërcere in animum inducant, eorum numerus adeò exiguus est; vix vt numerum faciant; & propè miraculo sint, qui aliquando hac in parte leguntur non respexisse carnem & sanguinem, & sibi coniunctis dixisse propter Deum, *non noui vos*, iuxta laudatam in Leuitis vocem. Adeò quippè inualuit contrarius vsus, vt pro lege ferè habeatur, præsertim in morte, vt Molanus obseruat l. de piis Testamentis c. 39. Nec tantùm non angantur scrupulo, præeuntibus vbique tam multis, qui ita se gerunt: vt potiùs qui nolunt viæ adeò tritæ insistere, corrupto vulgi iudicio, parum sapere existimentur. [Luna vniuersa,

uersa: id est, Ecclesia, (ait de suo æuo Aluarus Pelagius l.3. de planc. Eccles. art. 15. *litera M.*) versa est in sanguinem:] quod pro maximo ostento profertur Ioelis 2. Lucæ 21. Apocal.6. Sanguis sanguinem tangit. Omninò magna est in Dei Ecclesia iam olim ista peruersio, quæ olim ad distractionem immobilium Ecclesiæ extendebatur, vt latè refertur ac refellitur in Dialogo de statu S. Ecclesiæ qui habetur in calce Opusculorum Hincmari. Nunc sistam in erogatione superfluorum qua hodiéque, beneficiariorum saluti, & consanguineorum bono pessimè consulitur. [Hodie (aiebat ante annos quadringentos Petrus Blesensis epistola 51.) pro filiis quos abstulit Prælatis Ecclesiæ Deus, habere nepotes in dissipationem patrimonij Christi & in suæ salutis dispendium, permittuntur.] Adde & dispendium salutis æternæ, ac etiam temporalis ipsorum nepotum, similiúmque cognatorum, beneficij superflua obligurientium.

Quæ è superfluis Beneficij, erogatio in consanguineos, innoxia.

2. PRiusquàm verò ad illorum duorum punctorum illustrationem & confirmationem descendam, operæ pretium est, monstrare breuiter, quid sit quod in beneficiariis, facultates Ecclesiasticas, & beneficij censum, in cognatos effundentibus culpatur. Neque enim omnis communicatio facultatum suarum à beneficiario consanguineis facta, iis est obnoxia diris & verborum fulminibus, quibus vsos sæpè Patres & Doctores sacros referemus. V.g. si cognati beneficiarij sint pauperes, non debet beneficiarius, viscera sua super eos claudere: imò dignum ac iustum est, vt eis præsertim benefaciat; ne dum vult esse iustus multum, illam in se Apostoli censuram deuocet, *si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* Itaque Sanctus Remigius, (vt narrat Flodoardus l.1. hist. Rem. c.23. & patet ex eiusdem Sancti Testamento, quod exhibuerat c.18.) pleraque cognatis suis tribuit. S. Ambrosius l.1. offic. c.30. sacrum ministrum prouentibus Ecclesiasticis potientem, sic affatur.] Est etiam illa probanda liberalitas, vt proximos seminis tui non despicias, si egere cognoscas. Melius est enim vt ipse subuenias tuis.] Idem habebet Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 1. de reform. commendans quidem temperationem affectus erga consanguineos, hac in parte; tamen agnoscens, si pauperes sint, atque adeò si desint alij cognati qui possint aut velint subuenire, posse illis vt pauperibus stipem conferri, háncque esse haud ingratam Deo eleemosinam. Id quod etiam tradiderat sexta Synodus, & habetur c. *quisquis* 12.q.2. Et posse etiam ita largam conferri eleemosinam vt non sint probro ipsimet beneficiario, benè tradit Caiet. 2.2.q.43. art.8. Tabienna v. *restitutio*. §.19. Corduba l.1.q.18. propositione 2 corollario 2. Nauar. q.2. monito 27.n.4 Mol. tract. 2. de iust. disp.146. Mald. tr.1. de Iust. c.4. dub.8, *in fine*. Lorca disp.40. de Charit. n.42. Platus l. de Card. dignit. c.24. qui admittunt, cũ graues proximorum cæterorum necessitates non vrgent, (hæ quippè præferendæ essent;) fas esse beneficiario, ex fructibus sibi superfluis, nonnihil supra conditionem anteriorem, iuuare suos, prudentis arbitrio, vt dedecus ex humili eorum sorte à se auertat. Latè quoque confirmat Columna parte 3. operis de Origine reddit. Eccles. capite 32. fas esse beneficiario, dotem præstare suis consanguineis, si dotem non

haberent, saltem qualem earum conditio postulat. Id enim spectat ad tuendam familiæ & ipsiusmet beneficiarij honestatem; & ad subducendas periculo consanguineas, confert non parum. Adducit in eam rem multos Doctores n. 8. quos inter Angelus v. *Dos*. n. 5. rectè monet, ad conditionis necessitatem, non autem ad pompæ fastidium, dotis modum sumi oportere.

3. Æquè fas est beneficiario, quæ parciùs viuendo ex honesta sua sustentatione detraxerit, largiri consanguineis, etiam vt ditiores fiant, & statum mutent, vt rectè tradunt Maior in 4. d. 24. q. 17. Soto l. 10. de Iust. q. 4. art. 3. Corduba l. 1. q. 18. propositione 2. corollario 2. Nauarr. in Apol. q. 1. monito 30. & 38. Mol. tract. 2. de Iust. d. 146. Mol. Iurisperitus l. 2. de primog. c. 12. n. 30. Ægid. Coninc. disp. 27. de actibus supern. n. 183. & 197. Less. cap. 4. de Iust. n. 39. & 40. malè repugnante Lorca disp. 40. de Charit. n. 43. & Sarmiento tract. de redit. Eccles. parte 3. cap. 5. post Abbatem repetit in cap. d. *cum esses*, de testam. n. 27. Nostra tamen sententia est admittenda. Et ratio est, quia hæc bona, vt superiùs vidimus, non annumerantur iis superfluis quæ beneficiarius tenetur erogare in pias causas. quia in eis deficit ratio, quæ vrget pro bonis simpliciter superfluis, petita ex origine talium bonorum, & mente eorum qui illa contulerunt. Neque reuera hæc bona debent censeri fructus beneficij, sed industriæ & parsimoniæ. Sicut Monachus iter agens, potest ex iis quæ sibi subduxerit, elargiri eleemosinam, vt sentit Sanches, & Nauarr. q. 1. de redit. monit. 33. n. 3. Idem ergo est de similibus bonis beneficiarij, proportione seruata. Vnde sine scrupulo possunt expendi in quæcunque aliàs non illicita: atque adeò possunt dari consanguineis, etiam vt statum mutent; non modò ex natura rei, sed etiam spectato iure positiuo contra distinctionem quam fuisse à quodam Recentiore abhibitam, refert Mol. disp. illa 46. Neque enim Concilium Tridentinum, (vt Recentior ille existimauit) Sess. 25. cap. 1. de reform. vetando ditationem consanguineorum per beneficiarios, hoc prohibere voluit; sed tantùm ditationem è fructibus illis beneficij, qui sunt erogandi in vsus pios. Nec aliter accipiendus est Diuus Thomas 2. 2. q. 185. cum ait, Clericum dantem consanguineis, non malè facere, si det ne egeant; peccare autem, si det vt ditiores fiant. Agit enim Diuus Thomas de bonis simpliciter superfluis, quæ beneficiarius nullo peculiari titulo possit in vsus profanos conuertere. Quod autem Lorca addit, hos quoque parsimoniæ fructus esse bona sacra, atque adeò non posse in vsus non pios conuerti, negandum est. Nam ita sunt fructus bonorum sacrorum, hoc est prædiorum beneficio consertorum, vt tamen non sint ipsi aliquid sacrum: alioqui qui ea furaretur, esset sacrilegus, quod nemo præter Lorcam dixerit. Sic etiam non possent vendi Laicis, consumpturis in vsus profanos.

4 Multò magis certum est, si beneficiarius aliqua habet patrimonialia bona, vel alia quæ nullo modo è beneficio sint petita, posse illum talia bona dare consanguineis; insumendo sui beneficij reditus in suam sustentationem, vt quæ aliunde habet, ad donandum consanguineis suppetant. Vnde si aliquis beneficiarius, per industriam qua pollet, compararet copiosa bona, non prohibetur ea elargiri consanguineis. Item si testamento institueretur hæres, posset hæreditatem illam ad suos transfundere; nisi si constaret, hæreditatem esse delatam, quatenus beneficiario, non autem quatenus amico, vel affini. Tunc enim hæditas

hæreditas illa annectenda esset beneficio, vel conuertenda in pios vsus, iuxta mentem Testatoris. Quod si ambiguum sit, vtro titulo delata sit hæreditas, tunc præsumendum esse pro Ecclesia, censuit Hieronymus Albanus Opusc. de Cardinalibus q. 48. Ex hoc ergo, & alio proximè proposito bonorum genere, quæ scilicet fuerint honestæ sustentationi subducta, potest beneficiarius per se loquendo, (id est secluso scandalo & grauibus proximorum necessitatibus non vrgentibus) non modò erga suos charitatem testari, sed etiam eos ditare, ita vt mutent statum, per acceptionem talium bonorum. Potest etiam beneficiarius, ex iisdem bonis fundare maioratum, vt rectè statuit Mol. Iurisperitus l. 2. de primog. cap. 10. num. 50. & Mol. Theologus tract. 2. de Iust. disp. 606 iuncta disp. 148. *initio.*

5. Admitto præterea, beneficiarium dare posse consanguineis, incrementum illud quod iustè potest è reditibus beneficiorum assumere, vltra congruam sustentationem; eo quod ratione maioris industriæ & laboris quem præ cæteris subit, atque adeò magnæ vtilitatis quam præ cæteris affert Ecclesiæ, iustum sit, vt non modò sustentationem accipiat, sicut alij similes beneficiarij Ecclesiæ minus vtiles, vel minus laborantes. Ita Maior in 4. d. 24. q. 17. Soto l. 10. de Iust. q. 4. art. 3. Nauar. supra adductus, & monito 33. *in fine*, Lessius l. de Iust. c 4. num. 40. Mol. Iurisperitus l. 2. de primog. c. 12. num. 50. Mol. Theologus tract. 2. de Iust. disp. 146. §. *contrarium*, consentaneè ad fundamentum quod iecerat d. 144. §. *illud tamen* & disp. 145. §. *vt verò* quod scilicet tale incrementum possit expendi quomodolibet. Reprobat hoc placitum Lorca d. 40. de charit. num. 43. tanquam singulare & conscientiis intutum, ac periculosum. Nam si tam latè pateat sustentatio quàm supra diximus, insuperque fas est sumere non taxatum & arbitrarium stipendium, nihil vnquam esse poterit superfluum beneficiario. Deinde sustentatio est sufficiens stipendium. Itaque negat hic Autor, sententiam Maioris & vtriusque Molinæ quos pro hoc placito retulerat, tutam esse. Verùm hac in parte, Lorca aut parum syncerè, aut parum consideratè agi. Imprimis enim existimat, vnius aut alterius esse placitum, quod vidimus esse quàm multorum, & quidem è potioribus. Deinde fingit sibi, autores illius placiti censere, quemcunque beneficiarium posse ex reditibus beneficij partem pro sustentatione congrua sumere, partem pro labore qui subeundus est in exercitio ministerij. Ad hoc Auctores illi non somniarunt; Sed tantùm dixerunt, cum labor est extraordinarius, & aliquis extra labores communes, pro quibus omnes eiusdem gradus & qualitatis beneficiarij (v. g. omnes alij eiusdem Ecclesiæ Canonici,) accipiunt congrua in sustentationem; excipit labores extraordinarios Ecclesiæ perutiles, vel industria sua singulari magnam vtilitatem præmio meritò compensandam, Ecclesiæ creat; aliquod illi incrementum Ecclesiasticorum fructuum meritò deberi. Hoc puto debere esse extra controuersiam. Dixerunt secundò iidem autores, hoc incrementum similiter subesse dispositioni beneficiarij, ac ea esset quæ accipit in sustentationem congruam, de quibus sibi subtractis, potest disponere vt lubet, etiam ad vsus non pios, dummodò licitos: Nam vt sic sumpta, non ampliùs censentur fructus beneficij, & æquiparantur bonis propria industria planè extra beneficium acquisitis, quæ nemo negat subesse beneficiarij dispositioni, ad vsus quoscunque licitos. Igitur clarum

KKk 4

esse videtur, tale incrementum à beneficiario cui obtigerit, posse donari consanguineis. Nec est curanda censura Lorcæ, quem Ioannes Sanches disp. 1. n.21. ad censuras maximè procliuem esse, notauit.

Alia quæuis erogatio superfluorum beneficij in consanguineos graue peccatum.

6. HI igitur sunt modi, quibus beneficiarij citra culpam possunt erga suos esse benefici, per se loquendo. At agendo simpliciter de bonis superfluis beneficiorum de quibus nunc agimus; & supposito quod consanguinei beneficiariorum, nec sint pauperes, nec tam humili conditione, vt probro ac dedecori esse videantur beneficiario, sed tantùm ex affectu carnis & sanguinis, superfluis beneficij reditibus à beneficiario donentur, vltra fines donationum in sustentatione honesta comprehensarum, quod est punctum in quo versamur; sic omnino dicendum est, grauiter peccare beneficiarium, reditus beneficij in suos conferendo; nec secus agere quàm Gedeonem, cum de manubiis fecit Ephod, quod ipsi & domui eius, fuit in ruinam. Hanc esse dicebam, vulgatissimam & verò antiquissimam luem in Ecclesia Dei. Nam iam à tempore Sancti Ambrosij, grassatam esse constat ex eius l. 1. de offic.c.30. Vigere autem maximè hoc malum in beneficiariis qui ex infima sorte euecti sunt, & hac ex causa Ludouicum Pium in multas se & Imperium induisse ærumnas, scribit Theganus in eiusdem Imperatoris rebus gestis n. 20. vbi validè & fusè conclamat aduersùs huiusmodi terræ filiorum, elationem & studium prouehendi suos, quâ coniugiis cum nobilibus. quâ aliis quibusuis rationibus: additque Thehanus, propinquos item sortis anterioris immemores, illicò turgere, & efferri etiam supra eos quorum canibus gregum, priùs non fuissent annumerandi. In hanc rem, non Thegani modò quem vt potè nobilem pupugit ea disparium sibi euectio, sed etiam Aluari Pelagij Minoritæ, cuius nullomodo intererat, egregia planè disputatio prostat l. 2. de planctu Ecclesiæ art. 15. *Litera M.*

7. Esse itaque graue peccatum, si beneficiarius de talibus beneficij sui superfluis consanguineorum statum mutet,eósque vltra terminos supra fixos prouehat, est communissima sententia Doctorum. Ita enim D. Thomas 2. 2. q. 185.art.7 Abul.in c.6.Matth.q.74.& 75. Turrecr. l.2.de Eccles.c.16. Corduba l.1.q.18. propositione 2.coroll.2.ex Summistis S.Antoninus 3.p.tit. 21.cap.2. Subscribunt Iurisperiti præsertim Andr. Barbatius l. de Cardinal. nec non Iacobatius, & Hieronymus Manfredus, ac Hieronymus Albanus, quorum loca signat Hieron. Platus l.de Cardin.dignit. cap. 24. Idem apertè habetur ex definitionibus Ecclesiasticis. Theganus in rebus gestis Ludouici Pij num.20. ait id esse vetitum in Scriptura Canonica, quæ nominatur *Concilium Apostolorum.* Vbi sic dicitur.[Si Episcopus parentes pauperes habuerit, tribuatur eis quasi pauperibus, vt non res Ecclesiastica pereat.] Verùm non esse Scripturam illam Canonicam, eo modo quo fert vsus loquendi receptus, perspicuum est. Nisi si Canonica Scriptura dicatur, quæ ad sacros Canones pertinet, quorum plerisque hic abusus seuerissimè vetatur. Et verè locus à Thegano adductus, est canon septimæ Synodi adductus cap. *quisquis* 12. q.2. Item cap. *decenter* dist.89.

ex

ex Concilio decimo Toletano cap. 3. nefanda hæc præsumptio (ita enim ibi vocatur ,) grauiter vetatur , & excommunicatione per annum duratura mulctatur ; vtique si non priùs sequatur emendatio, & satisfactio condigna. Grauissimè Gregorius VII. decreto quod exhibetur cap. *peruenit*. 1. quæst.3. cum grauius esse pronunciasset , beneficiorum fructus dare consanguineis , quàm si darentur seruitoribus aut militibus ; (nempe ob maius periculum excedendi ea in parte , & perstandi in semel suscepta voluntate ,) addit , [si quis Episcopus inuentus fuerit huius diuini præcepti transgressor , inter maximos hæreticos , & inter Antichristos non minimus habeatur.] Nempe hæreticus habendus est opere & in actu exercito , quia perinde se gerit ac si res sacras censeret profanas ; Antichristus autem quia Christi patrimonium dilapidat. Tandem Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 1. de reform. idem verbis grauissimis tradidit , adhortans beneficiarios ad temperandum affectum propinquorum hac in parte. Parum verò aptè Lorca 2.2.d.40. de Charit. num. 44. locum hunc Tridentini , negat pertinere ad fructus beneficij ; vultque spectare sola bona immobilia , & ius ad fructus : quod est manifestè contra Concilium , cuius hæc sunt verba. [Omninò eis interdicit , ne ex reditibus Ecclesiæ, consanguineos familiarésve suos augere studeant.] En *ex reditibus*.

Suffragium SS. Patrum.

8. Adduci quoque ad idem possunt sancti Patres. Iam supra adduxi S. Ambrosium l. 1. de offic. cap. 30. præclarè admonentem , vt Clericus rebus Ecclesiæ abundans . proximos seminis sui non despiciat si egere cognouerit , non tamen vt illi ditiores fieri velint ex censu pauperibus addicendo ; quasi idcircò se Clericus diuino obsequio manciparit , vt suos diuites faceret.

S. Augustini testimonium , factis (quod multò fortius est ,) expressum ; extat apud Possidium *sub vitæ finem* ; vbi monstrans quid ab eo factum de censu Ecclesiastico, [Nec suos (inquit ,) consanguineos , vel in proposito , vel extra constitutos , in sua vita & morte , vulgi more tractauit. Quibus dum adhuc superesset , id si opus fuit, quod & cœteris erogauit ; non vt diuitias haberent, sed vt , aut non , aut minùs egerent.] Hoc exprimere videtur voluisse , qui ad Eremitas serm. 21. sic dixit [Bona Ecclesiarum , patrimonium pauperum sunt. Vnde ego qui Episcopus sum , summè cauere debeo, ne res pauperum , quas Hipponensis Ecclesia conseruare videtur , diuitibus largiantur : quod benè feci [illegible]. Nam consanguineos habeo ; & ignobiles se esse non erubescunt; & ad me Episcopum veniunt , aliquando cum blandimentis , dicentes ; Da nobis aliquid Pater , caro enim tua sumus. Et tamen Dei gratia , & vestris orationibus [illegible], consanguineum aliquem me ditasse non recolo. Chariores enim mihi [illegible] pauperes , quàm diuites : quia habentes victum & vestitum, [illegible] , maximè nos Clerici : in cuius rei signum, [illegible] rasa habere [illegible] , ne diuitiarum cupidi occupent mentem seruorum Dei.]

9. Sanctus Bernardus, cum in Declamatione ad Clericos grauissimè detestatur, extollere de facultatibus Ecclesiæ consanguineos suos, aut neptes nuptui tradere; tum l.4. de consider. cap. 4. *ad finem*, tales vult esse beneficiarios, qui non festinent suos ditare de patrimonio Crucifixi, & dote viduæ. Sic nominat bona Ecclesiastica, quia Christi sanguine comparata, & Ecclesiæ Christi sponsi, nunc viduæ, derelicta. Idem Episto.276. cum Altissiodorensis Episcopus vita functus, diceretur reliquisse Testamentum in sui Nepotis fauorem, conclamat in hoc factum, tanquam non sobrij hominis, negátque vllum, vel secularissimum, habiturum eiusmodi Testamentum pro Testamento Sacerdotis.

Petrus Blesensis epistola 102. ex persona Abbatis Radingensis. [Sufficientiam Apostolus, certa definitione præscribit. *Habentes*, inquit, *alimenta*, & *quibus tegamur, his contenti simus.* Quæ ergo insania est, thesaurizare in laboribus pauperum, & in sanguine alieno, mihi & meis delicias procurare? Nunquid me apud districtum Iudicem poterunt excusare, parentum sustentatio, falsæ hospitalitatis fama, numerositas euectionum, & multiplicitas clientelæ? Nunquid propter hoc me oportuit bona pauperum rapere? Rapio enim, etsi non manu propria, sed aliena, & quasi longa manu. Scriptum est autem; *Manus in manu, non erit innocens malus.*] Et inferiùs. [Si accepi diuitias, vt parentum meorum indigentiam releuarem, terret me Beatus Hieronymus dicens, quod cum propinquitates corporum respicimus, corporis & animæ creatorem offendimus. Et adiungit. Multi dum parentibus miserētur, suas animas perdunt. Hi sunt qui iudicio meo animas suas pro amicis suis crudeliter & damnabiliter ponunt. Legi epistolam Hieronymi ad Heliodorum, & inueni, quàm graui & austero rigore abscindenda sit in in his qui conuertuntur ad cor, omnis affectio parentelæ. Vaccæ fœtæ quæ deferebant arcam Domini in Bethsames, ad vitulos suos colla minimè reflectebant: nec in domo Domini Sacerdos aut Leuita eligitur, nisi dixerit patri & matri, *nescio vos.* Mortuus eram mundo, & mundus mihi. Amor autem sæculi, qui in corde meo aruerat, sub quodam falsæ pietatis obtentu per affectiones sanguinis reuirescit: Infelices autem qui parentibus erogant, vnde post illorum gaudeant obitum; cum vana viuorum gaudia, sæpè transeant in supplicia mortuorum.] Idem epistola 20. [Licet parentibus debeam affectionem naturalem, illud tamen non debeo vt pro eis me perdam, aut pro eis ab honestatis proposito me reflectam. Vaccæ siquidem quæ in Bethsames deferebant arcam Domini, licet eas traheret naturalis quædam affectio vitulorum, ad eos tamen colla sua minimè reflectebant. Multi pro parentibus suis animas perdiderunt, dum in eis plus amantes carnem quàm spiritum, animas suas pro amicis temerè & crudeliter posuerunt. Leuita, imò Archileuita ego sum: Scriptum est autem in lege Domini, vt nemo in Sacerdotalem ordinem aut leuiticum assumatur, nisi prius dicat patri & matri, *vale*; id est, nisi in eo penitus extinguatur affectio parentelæ.]

Firmamenta

Firmamenta ex ratione.

10. VT ratione agamus, duo illa discutienda & illustranda sunt quæ initio attigi; nempe quod hæc consanguineorum ditatio è superfluis beneficij, sit & ipsi beneficiario perniciosa, & cognatis eius exitiosa. Et de ipsius quidem beneficiarij pernicie, satis liquet; quandoquidem ex communissima Doctorum sententia, fundata in origine redituum Ecclesiasticorum, erogatio eorum in cognatos, est peccatum mortale, æterna damnatione plectendum. Idque esse illud *veh* quod Deus Mich. 3. intentat ædificanti Hierusalem in sanguinibus, ait Aluarus Pelag. l. 2. de planctu Eccles. art. 15. *litera M.* Deinde incredibile est, hæc cognatos ex Ecclesiasticis bonis locupletandi cupiditas immoderata, quantorum malorum seminarium sit, non modò Ecclesiæ, vt Tridentinum iam supra notauit, sed etiam ipsi beneficiario. Nimirum ob consequentem præsertim, cultus diuini neglectum, & pauperum abiectionem, dum miser beneficiarius planè exsugitur ab insatiabilibus hisce sangui sugis. Qui neglectus diuini cultus & pauperum, ad fundandam grauem beneficiarij culpam, satis superque esse potest. Nemo deinde satis explicet in quantas se ærumnas induat, qui affectum in cognatos adeò nobis inuisceratum & concarnatum, (vt ex nonnullis Patribus attigi sect. super. cap. 3.) in hac parte non temperauerit; & de iisdem, per superflua suæ sustentationi è beneficio promouendis atque ditandis, cogitationem admiserit. Inde enim fiet, vt nunquam possit quietè ac sibi viuere; & vt in plerisque euentibus, constantiam tenere nequaquam valeat, sublucente spe lucri ac munerum quibus cognati crescant, vrgente pessimo illo & vehementissimo affectu; sed semper sit negotiosus, semper ad quascunque augendæ rei domesticæ occasiones intentus, non secus acsi in seculi castris militaret, & filiis thesaurizare obligaretur. Quod perillustri exemplo virginis Deo sacræ, pro nepte quam adoptarat in filiam nimium quantum sollicitæ, & in auaritiæ hypobrichium miserè ea ex causa mersæ, delusæ autem à Macario, exponit Pallad. s. 5. Lausiacæ, vbi multa in hunc amorem cognatorum per sacras personas. In summa, hæc est aqua frigida restinguens in beneficiario omnem pietatis calorem, & erga bona opera feruorem; iuxta illud quod à S. Maximo dictum est homilia vltima de diuersis circa illud Esaiæ. 1. *Caupones vestri, miscent aquam vino.* [De illis vtique (inquit,) cauponibus loquitur, qui præsunt Ecclesiis, non tabernis, qui sitientibus populis, non concupiscentiæ calicem porrigunt, sed virtutis; non ebrietatis ministrant poculum, sed poculum saluatoris. Istos ergo caupones, Propheta arguit & obiurgat: queritur eos vino, aquæ speciem permiscere. Hoc increpat in eis, cum functionum diuinarum essent Præsules: Sectatores rerum facti sunt humanarum, sicut ipse ait Propheta: *Sectamini vnusquisque domum suam.*] Quis acriùs sectatur domum suam, quàm qui in augenda & euehenda domo sua totus est?

Exempla Sanctorum, & probatorum Beneficiariorum.

11. PRobè conſcij horum malorum viri ſanctiſſimi & doctiſſimi, etiam ex iis qui in ſummos Pontifices ſunt euecti, contra torrentem moris humani; vt Deo ſeruirent, & innumeris ſe peccatorum pedicis exoluerent, non admiſerunt ſuos ad prædam ſuperfluorum è reditibus Eccleſiaſticis: ſed bona illa in vſus pios eroganda, exemplo ſuo confirmantes, iis planè fruſtrati ſunt cognatos. Illuſtre eſt quod de Clemente IV. ſcribit Aluarus Pelagius l. 2. de planctu Eccleſ. artic. 15. *litera M.* Eum Pontificem quem à vicinia vocat *Prouincialem*, cum eſſet reuera Arecomicus, & Sancti Ægidij natus, ait cum ad ſummum Pontificatum eſſet euectus, duas filias quas ex legitimo matrimonio olim ſuſceperat, noluiſſe è reditibus Eccleſiaſticis ad ſublimia coniugia euehere; ſed vnam quæ monaſterium præoptauit, aſſignatis in dotem triginta duntaxat paruorum Turonenſium libris, de ſuo patrimonio decerptis, deſpondiſſe Chriſto; alteri itidem, ex ſuo patrimonio trecentas libras Turonenſes conſtituiſſe, dotis nomine. Ita quidem Aluarus, & ſuffragatos video, Platinam, & Ciaconium *in Clemente IV.* Genebrardum & Bzouium ad Chriſti annum 1265. Sed Diuus Antoninus 3.p.tit.21.c.1.§. 1. & Baptiſta Fulgoſius l.4. memorabil.c.3.vtramque Clementis IV. quondā Guidonis Groſſi filiam, Mobiliam & Cæciliam, Chriſto nupſiſſe tradunt. Nepti tamen ex fratre, trecentas illas libras ad coniugium fuiſſe oblatas à Clemente, conſtat ex eius iam Pontificis ad fratrem epiſtola, aureis notis & cedro digniſſima quam in pereleganti lucubratione de huius Pontificis rebus geſtis, Claudius Clemens cap. 8. exhibuit; demonſtrans, Clementem verè fuiſſe Melchiſedecum abſque Genealogia, quia non reſpexit carnem & ſanguinem, cum de ſacris prouentibus in ſuos decriuandis ſermo eſſet. Cuius etiam illud verè Apoſtolicum oraculum retulerat c. 7. *Pontificibus Romanis, nullos eſſe liberos: ſibi non licere quod ſuum non eſſet dare propinquis; ſui ſque eſſe, ſi quas ante Pontificatum poſſediſſet fortunas, eis relinqueret.* Patrem tam ſanctè in filias dotum, nepotis ſtudio non fuiſſe à recti finibus abductum, non poterit mirum videri. Nepotem illum à Francis Antiſtitibus triplici præbenda cohoneſtatum, cum ad eum dignitate aliqua exornanandum vrgeretur, præcisè negauit, vlteriùs à ſe prouehendum. Quinetiam iuſſiſſe vt è tribus illis beneficiolis, vnum quod mallet eligeret, cætera dimitteret, ſcribunt Aluarus Pelagius loco allegato, Platina, Onuphrius & Ciaconius in huius Pontificis actis, Paulus Æmilius in rebus geſtis S. Ludouici, & Genebrardus anno 1265. Res videtur ſtuporis pleniſſima, & quam nulla vnquam æquent præconia.

12. Addit Aluarus, S. Petri de Morono qui non ita multò poſt Clementem ſedit, ſub nomine *Cæleſtini V.* eximium facinus. Fratris filium, cum ad Curiam acceſſiſſet, illico abigi iuſſit, vixque poſt multas Purpuratorum Patrum preces, adductus eſt, vt ei concederet vnum ſimplex beneficiolum, è quo neceſſaria ad vitæ ſuſtentationem ſuppeterent, quo delato hominem confeſtim ablegaui. Illud verò ad ſuos dignitatum Eccleſiaſticarum vel facultatum candidatos exemplo Chriſti repellendos profantem, inducit Aluarus. *Poteſtis bibere*

bere calicem, quem ego bibiturus sum? Christum cognatos suos filios Zebedæi, ad Cardinalatum tribulationis, & Apostolatum altissima paupertate diuitem, euexisse. S. Petrum Petronillæ suæ filiæ Paralysim pro dote dedisse, quod ita ei expedire diceret. S. Paulum vas electionis, non acquieuisse carni & sanguini. Sibi qui Apostolorum successor & Christi vicarius esset, non alia via esse insistendum; Nec fas sibi esse cum certo suæ animæ exitio, de bonis Ecclesiæ prouehere ac ditare sanguinem suum; sanctè monente Dauide, *quæ vtilitas in sanguine meo*, (propinquis inquam & consanguineis saginatis de Ecclesiastico censu,) *dum descendo in corruptionem*, & mortem perpetuam? Addit Aluarus Pelagius ex quo hæc ex scripsimus. [Vtinam ante oculos mentis, omnes Prælati hunc versum Dauidis semper memoriter haberent; quem versum allegauit vnus Sanctus Prælatus cuidam suo consanguineo inquietanti eum de promotione.]

13. Benedicti duodecimi in hoc genere eximium decus, refero ex nuper refossa veteris scriptoris ex Ordine Prædicatorum historia Pontificum Gallorum qui Auenione sederunt, per Bosquetum edita. Sic habet pag. 60. [Ipse de suis consanguineis vel propinquis exaltandis vel promouendis, nullatenus curauit. Non enim inuenitur, quòd aliquem de suo genere ad quamcumque prælaturam promouerit, nisi vnum solum quem præfecit Ecclesiæ Arelatensi, qui tamen ad hoc aliàs erat benè dignus & sufficiens, & hoc etiam fecit, quodammodò precibus & Instantia Cardinalium deuictus. De laicis verò nullum exaltauit; imo (nec voluit quòd statum suum, qui satis erat per) prius infimus, propter ipsum immutarent. Vnicam enim neptem quam habebat, per plures magnates pro coniugio petitam, eis dare expressè negauit, dicens in vulgari suo, *quod non decebat talem equum, hanc habere sellam*, sed demum ipsam nuptui tradidit filio vnius mercatoris simplicis Tolosæ, dotem sibi secundùm statum eiusdem mercatoris constituendo. Fuit etiam multum cordatus, constans, & rigidus in euitando illa quæ in offensam Dei, & animæ suæ periculum seu damnationem cedere posse existimabat, nec ad ea aliquatenus flectebatur. Fertur enim ipsum dixisse Phlippo Regi Franciæ, cum ad ipsum (vt supra citatum est) venit, essetque simul Ambo causa Audiendi & exponendi illa quæ idem Rex secum habebat agere, ac per ipsum fieri posse disponebat, *quod si ipse haberet duas animas, vnam sibi libenter daret, & eam pro ipso exponeret, sed non habebat nisi vnam, quam vnicè & summè diligebat, & eam volebat posse tenus conseruare.*]

14. De Vrbano Quinto sanctissimo Pontifice, sic habetur in eadem historia. [Affectum carnalem nequaquam ad suos se habere demonstrauit, nullum ex eis ad quamcumque prælaturam promouit, nisi duos duntaxat; Videlicet memoratum fratrem suum, & nepotem ex consanguineo germano Doctorem decretorum, aliásque bonum & sufficientem, quem Ecclesiæ Sancti Pauli Episcopum præfecit. Alios autem, quamquam essent boni & idonei, aut beneficiis satis simplicibus, aut officiis curiæ voluit remanere contentos. De laicis etiam, nullum exaltauit, immò nec per alios exaltari permisit; in cuius euidentiam, expressè recusari ordinauit per patrem suum sexcentas libras renduales, quas Rex Franciæ sibi dederat, ob sui fauorem: Nepotem etiam suum vnicum, & ad quem paterna hæreditas pertinere debebat

non cum altiori, immo nec æquali sibi in genere, voluit matrimonialiter copulari; suscepit namque sibi in vxorem, filiam cuiusdam mercatoris Montispessulani, satis simplicis, sui generis respectu; quam tamen vt creditur ipso adhuc in minoribus existente, dictus nepos minimè recepisset.]

15. Laurentius Iustinianus, quàm prudenter cōsanguineum repul- it, ex censu Ecclesiastico iuuari poscentem, sic narrat Autor vitæ eius c. 5. [-rauit aliquando Laurentium consanguineus eius non ita pauper, vt pecunia eum iuuaret in filiæ dotem. Respondit Laurentius, Considera quæso, frater, si parum dedero, non est quo opus habes; si multum, defrandabo multos, vt vni satisfaciam; & præterea quicquid illud est, quod est, ad cibos potiùs pauperum, quam ad intortos crines, aut margaritas, ab Ecclesia traditum est: Igitur ignosce, si dare non possum.]

Adriani Sexti exemplum, recentius est, sed non minus luculentum. Homo non minus à pietate quam à doctrina constiutus, quem non latebat in quos vsus expendenda sint superflua beneficiorum, vt diligenter & perspicuè scriptis prodidit in 4. Senteutiarum, ex humillima sorte ad culmen honorum euectus, accurrentes ad se vndecunque cognatos, ea moderatione excepit, quæ duritiem carneis quorundam oculis preferre visa est. Patruelis filium, Senis operam dantem literarum studiis, cum non vocatus Romam venisset, illicò .ndonatum remisit Senas. Alios arcta satis necessitudine sibi coniunctos, qui è Germania ad eum venerant, cum singulos mediocri viatico instruxisset, & sago lineo donasset; pedites vti venerant, regredi in patriam voluit. Minùs mirum est in vana & illicita, sacrorum prouentuum fuisse parcum sanctissimum hunc Antistitem, qui sic illis vteretur erga suos. Allatrauit illum qui abnegaro ex parte Lustrico nomine, cum *Ioannes Petrus* in baptismo dictus esset, *Pierij* Paganum agnomen, Christiano antetulit. Is lib. 19, hieroglific. §. *princeps tantum studens*, Adrianum Sextum, hominem sibi soli natum, omnesque præter se auersantem, teterrimis depingit coloribus. Agnosco hominis genium, & vbi calamum intinxerit. Quod is esset Adrianus, qui in aulicorum coruorum prædam, succum Ecclesiasticæ substantiæ non prodigeret, nec in Poëtas aliósque huiumodi (quorum iste vnus erat,) gnatones ac balatrones profunderet sacrum censum, Timonis cuiusdam specie repræsentandus visus est. Et sanè iniquiorem fuisse Poëtis Adrianum, quod impietatem & Lasciuiam in eis regnare diceret, Genebrardus est autor in Chron. ad annum 1516. An in huiusmodi homines fructus sacrorum bonorum profundere debuit, qui eorum tam fidelis dispensator erat in suos: Benè verò ac optimè, quod ea lutosa aspergo qua malus criminator optimum Pontificem dehonestatat, vigilantia posteriorum ex eius Codice euanuit.

6. Marcellum Secundum, qui quasi flos egressus & contritus est, & fugit velut vmbra, Onuphrius qui ei perfamiliaris erat, & omnia eius consilia habebat perspecta, scribit fuisse erga suos temperatissimum, ita vt neminem suorum Romam venire Pontifex factus permitteret, ne fratrem quidem. Fixum verò habuisse, tantum fratri ac nepotibus elargiri, quantum deceret habere virum nobilem, ea qua ipsi essent conditione natum: non tamen vt vltra priuatam conditionem assurgerent, statùmque omninò mutarent. Hausit à patruo hunc spiritum

piritum Robertus Cardinalis Bellarminus Marcelli Pontificis ex sorore nepos, cuius de redituum Ecclesiasticorum, non in consanguineos, sed in pios vsus erogatione, sententiam; eius ad Episcopum Theanensem commonitorium, controuersia octaua expressam habet; nec non liber 2. de Gemitu Columbæ c 5 *sub finem*, quam multo magis testatus est factis, vt scribit vitæ autor.

Remorsus Beneficiariorum, incarnatis necessitudinibus plus iusto addictorum.

17. EX his ergo & aliis sanctissimorũ virorũ exẽplis; discant cæteri carnem & sanguinem in hoc negotio non attendere: potiúsque tranquillitati suæ ac securitati consulere, quàm cognatorum iniquis desideriis satisfacere, cum æterno suo dedecore apud omnes consequentes mortales, & certo apud Deum animæ damno, nisi ante mortem per pœnitentiam eluatur ea macula. Qua ratione; Clementi VI. laudatissimo alioqui Pontifici, ex hoc capite non parum culpando diuinam, indulgentiam sperabat Autor historiæ Pontificum Gallorum nuper à Bosqueto refossæ. [Suos enim fratres, (inquit,) nepotes, consanguineos, propinquos, compatriotas, & seruitores, valdè dilexit. Plurimos namque ex iis qui tempore suæ promotionis erant in statu Ecclesiastico, aut demum esse voluerunt, in altis & magnis Prælaturis, & dignitatibus sublimauit: Multos verò in inferioribus beneficiis, ferè vbique terrarum existentibus collocauit: & quamquam inter eos, fuerunt multi idonei, & sufficientes, quod tamen quandocumque ipsos, cæteris magis, aut æquè sufficientibus, alios verò sic passim & indistinctè, & quasi vbique collocauit, fortassis aliquid vltra debitum, caro & sanguis sibi reuelasse censentur. De laicis, & præsertim de domo sua paterna prodeuntibus, quid dicendum? suo enim tempore, suóque fauore, ac propter eum, multas diuitias, magnos reditus, plurima dominia, honores. & status, sunt multis modis cònsequuti; fuerúntque per affinitates confœderati cum multis; sicque generaliter actum est, quod in vtroque statu post eum, altero ex modis prædictis ipsum contingentium, remanserunt paucissimi, qui suam munificentiam non senserint sibi & suis, & in posteris etiam fuisse, & esse, vtilem & fructuosam. Ipse tamen finaliter infirmitate grauatus, humiliter pœnitens de commissis; ad Deum Iudicem abiit, transfuso eodem carnali affectu, in Nepotem Gregorium Vndecimum.]

18. Non licet dubitare quin Innocentius 3. Pontifex vndecunque laudatissimus, pœnitentia ipse quoque sit tactus, hac ex causa. Acta enim S. Lutgardis lib. 2. produnt, Innocentium vita functum B. Lutgardi apparuisse, suffragia eius exposcentem in acerbissimis Purgatorij cruciatibus. Nam flammis conuestitus apparuit. Rogante autem pia virgine, vnde hæc suppliciorum acerbitas communi fidelium patri, respondit Innocentius, se tres ob causas addictum fuisse purgatorio, ad diem vsque iudicij cruciandum; tametsi beneficio pœnitentiæ ante obitum conceptæ, exorante Deipara, Infernum cui alioqui addicendus fuerat, euasisset. Accepisse se à B. Lutgarde causas illas, sed ob Innocentij honorem eas consultò premere, scribit Autor Actorum, Thomas Cantipratanus.

Quem vellem dum silentio honorem Innocentij prætexit, considerasse, num è re Innocentij potiùs fuisset, causas illas distinctè euulgare, quàm eas premen-

do, specie consulendi famæ Innocentij, suspicionibus Innocentio probrosioribus ansam dare. Certè Cantipratanus eiusmodi silentio apud nó paucos excitauit vehementem suspicionem de noxis indignissimis, ac humano iudicio teterrimis, à quibus alienissimum fuisse Innocentium, omnino persuadeor. Sollicitiùs ista scrutanti, supposita reuelationis veritate (quam solus Oldericus Raynaldus, è Baronij continuatoribus vnus, gratis figmenti suspectam fecit,) nihil occurrit accommodatius, ad quasuis infames suspiciones dispellendas, quàm quod suggessit nuper, vir grauis; confirmans visas abs se tabulas continentes titulum ex quo Agnania, Valmentonium, & omnino multa oræ illius oppida, postea vt fert rerum humanarum vicissitudo ad alios, ac rursus etiam ad alios quos nominabat, primùm ad Innocentij necessarios deuenissent, ipsius Innocentij liberalitate. Quæ apud seculi homines innoxia, (certè infamiæ vacua) in suos profusio Ecclesiastici census; apud Deum grauiter sordere potest: sicut & illa in structuras gentilitio nomine donatas, haud tenuis expensæ collocatio, qua passim Innocentium grauant, quæ potest censeri secunda è tribus causis à Cantipratano suppressis. Tertiam suppeditare potest, promotio tam multorum è suis, siue familiaribus, siue necessariis, ad amplissimas dignitates Ecclesiasticas: Ex quo capite Oldericus Innocentium celebrat, vereor an satis commodè; cum pleranque in eo genere multa peccari sit extra dubium. Hac ratione, nec veritas reuelationis, obiectæ virgini illi piissimæ sollicitatur; nec Innocentius suspicione probrorum apud homines infamium oneratur; Et tamen simul deprehenditur, quàm noxia apud Deum sit, Pontificibus cæteroqui laudatissimis (cuiusmodi sanè fuit Innocentius,) moderatior in suos propensio, quæ illum potuerit in discrimen salutis adducere, post tot & tanta in Ecclesiæ bonum ab ipso edita, quibus nulla par sit celebratio.

Damnosa ipsisinet Consanguineis, Beneficiarij in eos profusio.

19. QVod secundo loco monstrandum receperam, cum ipsorum consanguineorum indubitato exitio & euersione, etiam temporali, cótingere has consanguineorum de beneficiorum superfluis ditationes, non est obscurum. Et sanctorùm enim testimonio, & iugi à multis seculis experimento, testatissimum est, qui hæreditate possidere volunt sanctuarium Dei, qui inquam census Ecclesiasticos cognatorum beneficiariorum sustentationi superfluos, hæreditati commiscent, poni à Deo vt rotam, id est, suldéque euerti. & fieri sicut stipulam ante faciem venti; breui inquam dissipari, & esse hoc aurum Tolosanum iuxta vetus prouerbium, quod auita & plerunque pinguia patrimonia, breui exedat. Plumæ sunt aquilarum, alias consumentes, aiebant Lutherus & Chytræus, ominosa duo nomina, (sed quid refert ex impiis quoque proficere veritati?) Eorum de hac domorum per immixtas Ecclesiasticas facultates certa euersione, longa testimonia, recitat Serar. in c. 7. Iosue q. 43. Sed quid testimoniis, præsertim testium omni iure reprobatorum agámus, cum res sit factis & perantiquo experimento testatissima?

20. Est qui in hunc syllabum referat cognatos Sancti Cyrilli Alexandrini. Vir sanctus adeò opimum Sacerdotium obtinebat, vt quod scribit Socrates l. 7. hist.

hist.c.7. acquisiuerit temporale dominium Alexandrinæ ciuitatis, quam constat fuisse inter vrbes primarias orbis terrarum. Ammianus sanè l. 22. *verticem omnium ciuitatum*, appellauit. Secundas verò ei à Romana vrbe, inter omnes orbis vrbes, tribuit Herodianus lib. 7. Nazianzenus item orat. 21. agens de Athanasij euectione ad illius vrbis Episcopatum, perinde ait esse, dicere electum esse in Alexandrinum Episcopum, ac si dixisset, vniuerso terrarum orbi fuisse præfectum. Sic ille ibi num. 6. Tanti Antistitis affines, cum valdè diuites euasissent, eo mortuo à Dioscoro successore in Alexandrina sede, ad extremam propè paupertatem sunt redacti; cumque Alexandriâ Constantinopolim confugissent Dioscori truculentiam deuitantes, inciderunt in Nomi tunc Consulis à Dioscoro concitati furorem: sicque euersi fortunis omnibus, & ad extrema quæque deducti, vt habetur ex libello Athanasij, Sancti Cyrilli sororis filij, postea oblato Synodo Chalcedonensi, actione tertia, monstrarunt quid sit poni à Deo vt rotam. [Vetus exemplum, (inquit Baronius anno 445. initio) frequentiùs iteratum de his quæ pati soleant, siuè iustè, siuè iniustè ditati Episcoporum affines.] Ego quod aliqui sint tituli, quibus vt supra monstraui, beneficiarius suos absque peccato ditare potest, non ausim cum Sancti Cyrilli probro, iudicium Dei in eius affines, causæ de qua agimus, adscribere. Itaque contentus alienam siue suspicionem siue sententiam aperuisse, profero indubitata exempla euersionis cognatorum, per beneficiarios vltra rectum & æquum, euectorum.

21. Thomas Cantipratanus l. 1. Apum c. 18. n. 1. multa in hoc (vt vocat) pestilens malum, egregiè disputat, & prolato præter cætera exemplo è vitis Patrum petito, subdit. [Sicut si aliarum rerum substantiam, igni miscueris, consumetur: sic & si Ecclesiasticis bonis bona tua patrimonialia, contra iura miscueris, cum illis ad nihilum redigentur. Huius rei tot exempla vidimus, quòd nimium esset tædium singula pertractare; vnum tantùm de pluribus explicabo. Erat quidam cliens natus ex rusticis, qui in ditissimo monasterio patruum habuit, à monachis in Abbatem assumptum. Vocatus autem à patruo, eques ire didicit, qui priùs ire pedes consueuerat. Ad mensas seruire, prorsus ineptus ponitur; & qui solum aratrum contorto collo regere & tenere didicerat, erecta ceruice cibos inferre Principibus cogebatur. Quid plura? Ex rustico paupere, factus est diues inclytus: Domui domum conjunxit; redditus auxit reddittibus, agrum agro distentiùs copulauit. Hinc villas emit, & prædia, & qui olim fuit vnus ex rusticis, factus est dominus rusticorum. Tandem eum ad hoc fortuna leuauit, vt spreto connubio militum simplicium, factus miles, vxorem sibi nobilem copularet. Nec diu postea in hac eo gloria constituto, pes ei succisus est cui nitaus innixus stabat, & cecidit miser tanto deiectiùs, quanto sublimiùs fuerat eleuatus. Statim enim mortuo Abbate patruo eius, spernitur, eiicitur, fugatur ab omnibus, & ab Abbate successore defuncti, nimirum velut monasterij deprædator, impetitur. Conuictus autem, in plurimis minoratus est. Sed tamen diues in multis copiis remansisset, nisi eum fortius infortunium ad pauperiem impulisset. Mox enim contagia pecorum, agrorum sterilitas, ruina ædificiorum, ingratitudo suorum subsecuta sunt; vt nulli dubium esset, iusto Dei iudicio tantam infelicitatem ex iniusto & iniquo congregatis diuitiis successisse. Extremò ad tantam deuenit calamitatem miser ille, vt nullus eius misereretur; nullus ei vel

Mmm

iu paruo fuccurreret. Et dignè, quia ex minimo ferè, indignè fe extulerat fuper magnos. In fe ergo, etfi tardè, reuerfus homo, iuftum in fe Dei iudicium benedixit. Mifit igitur vxorem cum paruulis ad parentes, laborare propriis manibus ipfe coepit; & in fudore fuo comedere panem fuum. Quod vt viderunt & monachi, vel quibus Abbas patruus fuus, bonus extiterat, humiliato homini in pluribus benefici extiterunt. Paulatim ergo tam per laborem, quàm per iuuamina, refurgere cæpit; & in patuo tempore, pro ftatu fuo fatis habuit.]

22. Narratio ex vitis Patrum, quam Cantipratanus initio attingit, habetur his verbis apud Raderum 3. p. Virid. c. 6. §. 17. Et quanquam non fit de rebus fupetfluis beneficiarij malè in cognatos transfufis, quià tamen eft fuperfluorum perfonæ facræ, habetque omninò paritatem cum re noftra, rectè huc adducetur. [Erat (inquit) Religiofo viro germanus quidam magna preffus inopia; cui fi quid ex opere fuo comparaffet, largiebatur, fed quo plus hic dabat, hoc magis alter in dies egebat. Retulit hanc rem monachus ad Religiofum fenem; qui fi (inquit,) me audias, nihil porriges, fed vbi reuenerit, hæc verba refponde illi; frater quod habui, dedi; iam tu viciffim, fi quid opera tua quæfieris, mihi affer. Si quid ergo tulerit, accipe; & in mendicos & feniores partire, & roga, vti Deum illi propitient. Paruit confilio patris monachus; cùm frater illius rediiffet, fecit quod fenior monuerat Religiofus. Moeftus ergo à fratre frater difceffit; & altero die attulit quædam ex horto fuo olufcula; quæ alter accepta, fenibus miferis obtulit; rogauit que vti fratrem fuum Deo commendarent. Reuerfus dein alio die, attulit & olera & panes tres; quæ itidem alter, vt ante, in pauperes diftribuit, rediitque frater cum pia apprecatione domum. Vbi tertio reuenit, magnum fecum commeatum apportauit, efculenta, vinum, pifces panefque; quæ Monachus admiratus, vocatos mendicos expleuit epulis, & compellato fratre, non eges, inquit, Domine; Quando abs te panem acceptum ædibus intuli, perinde fuit ac fi ignem inferrem, qui omnia popularetur. Pofteaquam abs te nihil accepi, Deus benedixit mihi, opéfque in dies auxit. Quæ poftea cùm digreffo fratre, alter feniori referret; An ignoras, (inquit) pater, monachi opus & laborem, ignem effe, qui omnia quæ inferuntur, abfumit? Quamobrem ex re magis hominis politici eft, vt ipfe de fuo elemofinam porrigat religiofis, & à fanctis, votis piis adiutus, opes fuas amplificet.]

23. Quæ Ioannes Villani l. 9. hiftoriæ Florentinorum c. 58. de Clemente V. in hanc rem narrat, horribilia funt, ac fortaffis nutabit eorum fides apud plerofque. Ait Villani Clementem cum aliis forduiffe labibus, tum nimio affectu in fuos, quos immensùm locupletauit. Cum autem nepos eius Cardinalitia purpura clarus, ei effet præmortuus; adhibito Mago percontatum effe de ftatu Nepotis; quem è facellanis Pontificiis vnus, præfidens & audax, à Mago ad Tartari comfpectum adductus; reuerfus nunciauit abs fe vifum in lecto igneo, æternis fuppliciis addictum, propter fimoniam, & fcilicet fub vmbella autoritatis patrui corrafas facrilegè immenfas opes: è regione Nepotis fimilem locum apparari patruo, quem non celauit ifta facellanus. Vnde Clemens præ moerore, non ita multo poft, exceffit è vita. Elatum autem cadauer in Ecclefiam Rupemauræ

maurę trans Rhodanum, vbi excesserat, & ibi cũ multis facibus noctu dimissum, incensa sandapila cingulo tenus cõflagrauit, qua parte peccarat, eadem mulctatus.

24. Verùm hæc quæ apud omnes rata non erunt dimittamus. Subiiciamus autem aliquid verisimillimum, & in rem præsentem valdè opportunum quod legitur apud Anonymum ex Ordine Prædicatorum, in historia nuper à Bosqueto refossa, de Pontificibus Romanis qui Auenione sederunt. Narratio est paulo longior, sed sua simplicitate se probans. Quare eam truncare, religioni duxerim. Agens igitur de immani vexatione, qua Raymundus Rogerius a Turenia, Gregorij V I I I. ex fratre Nepos, Clementem V I I. affinem licet suum, infestauit; ait. [Non recordatus quod ei dicta Ecclesia fecerat bona. Meritò ei de ipso & suis conquerendo, poterat dicere id propheticum, *filios enutriui, & exaltaui; ipsi autem spreuerunt me*: fuerat namque nutritus & exaltatus per Ecclesiam; cùm per ministerium Clementis Papæ sexti: cuius ipse pronepos extiterat, domus eius paterna, quæ in eius promotionis principio, in terra, hoc est in simplicitate & paupertate iacens ab inde erecta extitit, & plurimum eleuata, magnificata, & exalta ta, tam in diuitiis & redditibus, quàm in honoribus, & dignitatibus ac etiam confœderationibus magnatũ, & aliorum nobilium plurimorũ; ad quas si ipse ex ea prodiens ipsáque sciens, debitum habuisset aspectum, non ita insanire præsumpsisset: sed ipse tanquam ingratus filius, accepti beneficij immemor, partúsque viperarum, matrem nascendo morsibus lacerantium, imitatus sæuitiam, eandem Ecclesiam, suam vtique plusquàm matrem, tam crudeliter, támquae terribiliter in sui personam proscindit, ausu temerario non est veritus impugnare; Quem & si pro interesse proprio, vt falsò confingebat, fortassè haberet exosum, tamen ob dictæ matris reuerentiam à talibus abstinere debuit, præsertim cum eam sic angustiatam & afflictam occasione schismatis memorati, tum videret. Opinor tamen quòd hoc Deus sic fieri & esse permisit; vt cunctis euidenter demonstraret, sibi non esse gratum, quòd viri Ecclesiastici & præsertim summi Pontifices qui debent esse cæteris in exemplum, de bonis Ecclesiæ ditent, & magnificent suos Consanguineas, & parentes. Quamquam enim exemplo Beati Augustini, ipsis indigentibus sic subueniendum sit, quòd nimis non egeant; non tamen quod ex talibus abundent, aut denuo exaltentur; Cùm in hoc necessitas attendenda sit, non voluptas. Experientia etiam sæpè nos docuit, quod hoc modo sublimati, non diutiùs subsistere solent, siue quòd ad instar ipsius malis actibus se implicantes taliter acquisitis debitè vti & viuere nesciunt: siue quod iusto Dei iudicio, soboles eis deficiunt, aut debitis vel alijs omnibus eos opprimentibus, ea coguntur alienare, vel vendere, vt sic vno modo, vel alio ad manus deueniant alienas, ipsis quandoque nudatis manentibus, etiam illis quæ antiquitus eorum obtinuere parentes. Ad quæ, vtinam benè aduerterent suos propinquos plus debito diligentes, in eorúmque fauorem talia operantes; qui si oculos linceos haberent, satis perspicere possent, quòd ea quę ante eos in talibus acta sunt, nihil vel modicum valuerunt; ac sicut subitò venerunt, sic subitò abierunt. Sed sunt eorũ quàm plurimi, qui oculos luteos habentes, dum per eorum promotionem vident sibi arridere fortunam, mentaliter sic excoecantur, quòd credunt sibi licere, quæ aliis nõ licuerunt, ac durarę quæ aliis defecerunt; ad instar enim illorum qui turrem Babylonicam cui us summitas cœ-

lum attingeret, ædificare tentauerunt, suas hæreditates ac patrimonia acquirere meditantur, quorum celsitudo, & proceritas aut cœlos attingat aut ipsorum durationem excedat. Sed sicut hi perfecto opere confusi remanserunt, ita & ipsi in suis huiusmodi voluptatibus cõtinuè deficiunt, & quos sic erigunt, ad instar pristinorum ad nihilum inmomento rediguntur.] Multus & fortis in hanc rem est Aluarus Pelagius ex Minorita & Penitentiario Pontificio, Syluensis in Lusitania Episcopus, libro 2. qui est de planctu Ecclesiæ artic. 15. & seqq. Nam circa omnes beneficiarios Ecclesiasticos à primo ad vltimum, grassari hanc malignitatem obseruat; quo consanguineorum commodo, tangit nominatim dicto artic. 15. *litera M.* his præter coetera hic recidenda. [Prælatorum nepotuli & alij consanguinei. Dij eorum hodie sunt. Ipsos supra, & contra Deum diligunt. Ipsos contra Deum, & plusquàm Deum honorant. Vnde super illud 1. Reg. 15. *scelus Idolatria, nolle acquiescere*, dicit Expositor. Idolum hominis est quicquid plusquàm Deum colit. Et super illud Psalmi 80. *non erit in te Deus recens*, dicit Glossa quod illud vnicuique Deus est, quod Deo præponit in amore. Hi sunt Dij in quibus Prælati habent fiduciam, quod eis in Abbatiis & Episcopatibus succedant, & propterea maximè ædificant Ecclesiam in sanguinibus, vt semper de eorum genere aliquis sit, qui eis in Abbatiis & Episcopatibus succedat. Vnde & totam Ecclesiam & monasteria implent consanguineis, vt per eos aliquis consanguineus eligatur, & sic quantum possunt volunt sanctuarium Dei iure hæreditario possidere, sicut Patriarcha Coustantinopolitanus Venetus faciebat. Quia verè Prælati hodie plus consanguineos honorant quàm Deum, audiant quid loquatur eis Dominus in persona Heli 1. Reg. 2. *Honorasti filios tuos plus quàm me* &c. Qui fractis ceruicibus expirauit, & filij eiùs in bello consumpti sunt Ophni & Phinees 1. Reg. 3. & 4. Oquot nepotes & consaguineos, Prælati præmittunt sequantur ad inferos.] Nec duntaxat æternæ damnationis occasionem aut causam suis præbent improuidi beneficiarij, sed etiam tẽporariam cladem cum euersione familiæ eis plerũque cõciliant, vt docet obtritio filiorũ Heli, de qua proximè.

25. [Existimo exploratum esse, quod demonstrandum receperam. Nempe nullum certius incendium quo domus aliqua deflagret esse posse, quàm immissionem Ecclesiasticorum bonorum in illam. Nec mirum. Nam Micheæ 3. veh dicitur ijs qui ædificant Hierusalem in sanguinibus, quod in hanc rem interpretatur Aluarus l. 2. qui est de planctu Eccles. art 15. *litera M.* alia ibidem in hanc rem ponderans; & nominatim æternam calamitatem quæ infelices beneficiariorum consanguineos, cum beneficiariis æquè inuoluet & demerget in Tartarum, vbi beneficiarij æternis maledictis cognatos, & vicissim cognati beneficiarios hac ex causa configent, ijs vocibus quas Aluarus eo loco repræsentat, huc accomodans quod in ludo Senecæ legitur de Claudij consanguineis eidem in inferno occurrentibus cateruatim: ad quos cum ille exclamasset, *quomodò huc venistis?* Reposuit pro omnibus Pedo Pompeius. *Quid dicis homo crudelissime? Quæris quomodo? Quis enim nos alius huc misit quam tu, amicorum omnium interfector?* Idipsum diratos à beneficiario consanguineos, ei in inferno reposituros, ratiocinatur Aluarus.

Victori, in finem, laus & gloria.

INDEX

INDEX.

C

Concilia

Hæredi

NN 2

N

T

Tolo.

LECTORI, PARERGON.

MISI anno superiore, opus *de iusta & iniusta confixione librorum*, pridem à me conscriptum, occasione Censurarum quarundam Gallicanarum in varios Societatis IESV libros, doctrinæ integros labisque puros, quos improbari, intererat vnius cuiusdam è Vacantinis Episcopis Synesio memoratis. Per occasionem Censurarum illarum, placuit iustas & iniustas librorum confixiones secernere. Figenti autem legitimos configendi Canones, & cauillatorias confixiones reiicienti, occurrit argumentum ex eo ductum, quod si placeret quærere occasiones, & nugari configendo, facile foret, ipsum Symbolum Apostolorum, multiplicis erroris insimulare, vti factum tunc erat à Theologo Anglo, homine Religioso, qui adhibito eodem stylo quo libri illi innoxij damnari fuerant, Symbolum Apostolicum configi posse demonstrauit, non symbolo illudens (absit;) sed in tam absurda per sensus affictos symboli improbatione, ostendens quanta esset absurditas similis formæ confixionum. Quemadmodùm Lacones suis ephæbis Ilotas mero oppressos ostentabant, vt à simili fœditate tanquam homine indignissima auocarentur, id quod Christianus Pædagogus notauit. Cochlæus sanè vir optimus & de Catholica Ecclesia, æuo suo benemeritissimus, non putauit vitio sibi vertendum, quod illuderet scripturæ, cum impugnans sectarios scripturam ad sua falsiloquia obtorquentes, è raptatis & obtortis simili stylo scripturis, librum confecit quo probabatur, *Christum non esse Deum & hominem*. Et alium quo probabatur, *B. Mariam non fuisse semper Virginem*. Et denique alium quo probabatur, *Deum debere obedientiam Diabolo*. Eodem consilio Christophorus Rusperg*rus scriptor Catholicissimus, vt illuderet Hæreticis, adunauit ducentas interpretationes, imo obtorsiones, & sceleratas raptationes illorum Christi verborum, *Hoc est corpus meum*, iisque adulterationibus absurdissimis volumen impleuit, quod contractum Claudius Sanctesius Episcopus Ebrociensis, suo nunquam satis laudato de Eucharistia operi immisit; vt Sacramentarij in ea verè ludicra verborum Christi adulteratione, suam similis formæ diuinorum verborum lacerationem & ad sensus nefarios detorsionem, haberent oculis subiectam. Quod tamen acceperim, eam cauillatoriam symboli Apostolici confixionem ab homine Anglo & docto & pio concinnatam, à me autem pro paradigmate cauillatoriæ censuræ relatam, & seriò improbatam, quibusdam viris grauibus non probari; consilium hac in parte meum, candidè aperui, vt pridem feci datis literis ad Illustrissimum Franciscum Antonium Diez de Cabrera, Inquisitorem Toletanum, cuius & doctrina exquisita, & virtus præcellens; dotésque nobilitati stirpis compares, cis & trans Pyreneos, atque Alpes, luculenter micant; à quo de eo scrupulo nonnullos sollicitante certior feram factus. Ad plenam autem scrupuli exemptionem; placet, vt in prima eiusdem operis mei recensione, totum illud Censuræ ridiculæ paradigma, siue vniuersa symboli Apostolici confixio iocularis, expungatur: Hoc est, ab illis verbis, *sed vt appareat*, pag. 294. vsque ad illa verba paginæ 299. *Hactenus ille.* Mea enim (vt præmisi) non fuit ea Censura, sed Theologi Angli Catholici. Quem vmbonem meæ hac in parte innocentiæ potuissem prætendere; cum ipsa diuina scriptura, nudè referens pleraque falsa, extra noxam sit. Exempla addendat Redanus 1. Machab. 8. n. 2. & 3.